



















tanae primus
Mediolano,
dux



Scholae Salernitanae primus
auctor est Jo. de Mediolano,
qui primas lineas operis duxit
quod postea à Medicis Saler-
nitanis approbatum & à mul-
tis aliis, comentationibus illu-
stratum fuit, praesertim
à renato Moreau, Medico
Parisiensi v. Ballmann Schau-
platz masquirter Gelehrter
pag. 443.



HYGIEIA,

ID EST,

BONÆ VALE-TVDINIS CONSERVANDÆ

Thesaurus locupletissimus;

In quo quicquid ad eam rem pertinet, ex probatißimis quibusq; Auctoribus traditur, docetur & explicatur.

Elenchum Scriptorum post Præfationem inuenies.



LVXEMBVRGI,
Excudebat Hubertus Reuland.

M. DC. XXVIII.


WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

Admod. Reuer.do Nobili Clariſſ.mo,
& Conſultiſſ.mo Viro ac Dño

SIGERO LINCKENS AA. LL. MAGIſtro, SS. Legum Doctori, Curiæ Archiepiſcopalis Colonienſis Aſſeſſori, & Aduocato Iurato, SS. Apoſt. B. M. V. in Capitolio, Colon. ac Diui Petri, in Dietkirchen/ reſpectiue Canonico, &c.



Anitatis corporeæ, poſt Pietatem & verũ Dei Timorem ac Cultum (qui ſanitas mentis eſt) maximam curam quibusvis eſſe, certe eſſe debere, inſanus ſit qui negauerit. Quid enim?

nim? Ipſis certe brutis animantibus hunc Natura ſenſum indidit, vt declinent ea quæ nocitura ſunt; atq́; læſa etiam, eadem monſtrante, appoſitis remedijs vtantur. Quanto magis hominis eſt, quum ea quæ animæ profutura ſunt curauerit, corporis ſanitatem curæ habere?

Quocirca minime mirandum eſt, ſi doctiſsimorum hominum ingenia in præceptis ad eam rem facientibus conſcribendis deſudarint. Libelli ſane compluſculi eo argumento editi ſunt; in quibus

tamen varia varij desiderarunt: sed profecto inhumanius illi faciunt, qui ab vno aliquo in re tam ampla ac per intimas Naturæ vires diffusa perfectum aliquid postulant, quam qui quidquid ipsis vel doctrina vel experientia reuelauit, alijsq; absq; dolo communicatum eunt, etsi forte imperfectionis aliquid secum trahat.

Quum ergo quibusdam huius rei non imperitis consultum videretur, vt præcipua, quæ ad Sanitatem tam tuendam quam restituen-

dam edita ſunt, coniunctim omnium vſibus communicarentur; facilè mihi perſuaderi paſſus ſum vt eam in me ſuſciperem prouinciam, & hoc ipſo de bonis literis ac literatis bene mererer; quum præſertim iam edito meo Medico domeſtico, vadum tentaſſem.

Quia vero mos eſt, vt eiuſmodi libelli Patronis clientelæ; aut beneuolentibus amicis gratitudinis ergò dedicentur: ego vtriusq; cauſa idem facio. Nam quia obſtrictum me T. R. non vno

nomine fateor, (vt cuius ſingularem humanitatem non ſemel expertus ſum) iam Eiuſdem nomini libellum hunc dico ac dedico: non certe aliam ob cauſam, quã vt ſit animi mei erga virtutẽ ac doctrinã T. R. & affectus teſtis ſempiternus. Va-le, Vir admodum Reuerende ac clariſſime, *& hunc meum conatum bonam in partem interpretare. Coloniæ pridie Calend. April. M.DC.XXVIII.*



Lectori Salutem.



TA est profecto, quisquis es mi Lector, Sanitate nihil carius est. Experimur omnes, quamuis rem tam pretiosam parui interim æstimemus. Præscribuntur præcepta ad Sanitatem seu Bonam valetudinem conducentia. Sed quotus quisq; obseruat? Non hoc Artis vitium est, sed hominum: nec ideo quæcunque ea de re scripta sunt, contemnenda. Sunt tamen, præsertim ex Literatorum cohorte, qui non amant tantum eiusmodi seu consilia seu Præcepta, verum etiam diligenter obseruant. Nos quidem omnibus, parati gratificari, hunc in libellum congessimus pleraq; quæ ad id argumentum faciunt. Tuũ erit quæ commoda videbuntur inde decerpere iisq; ad tuam vtilitatem vti. Vale.

ELENCHVS SCRIPTORVM

seu Tractatuum qui in hoc libello continentur.

Victus

IN-

INDEX BREVICVLVS EORVM QVÆ HOC toto tractatu continentur.

Cere-

D

E

F

Fomenta

Panis

**
*

MODVS FACIENDI CLYSTERES,

Clyster ad purgandum ventrem, omni tempore factu commodus.



Vme manipulum vnum hordei,& manipulum alterum furfuris macri,coque vtrumque in duabus libris aquæ fluuialis, vel alterius bonæ aquę decoque, vt tertiùm bulliat.

Huius decoctionis sine expressione colati sume libram vnam, in eoque dimidiam vnciam foliorum senæ, & duas drachmas granorum anisi vel feniculi viridis ita coque vt semel bulliat: deinde liquorem per linum purum cola, & mediocriter exprime. In id verò quod percolatum fuerit,postea immittes mel,butyrum,saccharum rubrum,hoc modo:

Sume catinum, in eumq; mitte duas aut tres vncias boni mellis,vnciam vnam sacchari rubri: ijsdem septem aut octo cochlearia supradicti decocti calidi superfunde,in quo mel & saccharum colliquescāt. deinde reliquum decocti infunde, atq; ita cum speciebus liquefieri sine. Quo facto, omnia per linteum purum percola, ei vero quod percolatum fuerit, quinq; aut sex cochlearia olei addito, vel quartam partem butyri recentis,sicq; clysterem factum habebis: quem siphunculo immittes,ita vt tepidus seu mediocriter sit calidus. Si ad manum nihil sit præter hordeum,manipulum eius in communis aquæ libra vna,vt dictum est,decoques: quod si aliud nihil habeas quam furfur,duos eius manipulos,

 obser-

obſeruatis iis quæ ſupra indicata ſunt, in 2. libris aquæ bullire facies.

Si forte nec hordei nec furfuris habeas copiam, ſumito libram vnam iuſculi calidi, aut ptiſanæ communis, aut laxatiuæ, vel lactis communis, & procede ad modum ſupraſcriptum. Quod ſi ſenę folijs ad clyſterem vti nolis, ſic facies:

In libram vnam eius quod diximus decocti iniicies, vti ſupra, mel, ſaccarum rubrum & oleũ: addita drachma circiter ſalis, aut ea amplius.

Id vero obſeruabis, vt in omnibus clyſteribus quos facies, quando iam mel, aut aliæ ſpecies in decocto liquefactæ fuerint, omnia rurſus per purũ linteum percoles: ne ſi quid forte ſordium adhæreat, id dum clyſter adhibetur, in ſiphonem ingrediatur, & obturatione, eius iniectionem impediat.

Alius clyſter ad eundem vſum.

SVme furfuris, hordei communis, maluæ, altheæ parietariæ, violarum, betæ, Mercurialis, florũ anthemidis & meliloti, ſingulorum manipulum vnũ; ſeminis lini, & fœni græci, ſimul contuſorũ, vncias binas: prędictas herbas & flores bene lotos & purgatos, cultro diſſeca. Deinde ſume ollã fictilẽ capacem intus cruſtatam, infunde ſex libras aquæ, plus minus ve primum hordeũ ad ſecũdã aut tertiam bullitionem decoque, inde furfur & prædictas herbas, & paullo poſt ſemina & flores inijce & eo vſq; decoqui ſine dum decocti menſura ad tres libras deueniat. Ex his tres facies clyſteres. Sume libram vnam decocti percolati, in eoq; iam calido tres drachmas ſeu ſemiũciam foliorum ſenę, & duas drachmas granorum aniſi viridis ad ſpacium vnius aut dimidiæ horæ macera, ſic tamen vt prius aliquantulũ ferueſiat. Liquorem poſtea, vt ſupra oſtenſum eſt percola, & ei quod expreſſum fuerit id quod Medicus tibi monſtrauerit, inijce.

Alius Clyster.

SVme vnam libram decocti huius percolati, mitte in vas aliquod, cum dimidia foliorum senæ vncia & vna drachma granorum anisi viridis. Vbi semel efferbuerit, adde quatuor vncias boni mellis communis ; & iterum bullire sine; quo & ipso soluto ac liquefacto, omnia per linteum purũ ac tenue colabis , & ei quod expressum fuerit, duas vncias butyri recentis affundes, sicque Clyster paratus erit.

Alius Clyster.

SVme libram vnam lactis vaccini, aut lactis clari cocti & colati: huic inde duas vncias saccari rubri: quo liquefacto , ecce alium Clysterem tibi paratum. Poteris quoq; libram decocti hordeacei aut ptisanæ sumere, in eaq; feruida prædictum saccarum aut quartam partem libræ boni mellis dissoluere seu liquefacere.

Clyster detergens.

SVme manipulum hordei communis, & duas drachmas granorum feniculi viridis. Fac vt in libra aquę bis aut ter bulliant. postea quartam partem libræ boni mellis communis immitte, iterumq; efferuescere sine , vt mel colliquescat, tandem omnia percola, & in id quod expressum fuerit duas vnęias butyri recentis infunde, vt & ipsæ liquefiant,

Clyster in principio dysenteriæ vsurpandus.

SVme libram boni lactis feruidi , in eam tres aut quatuor vnęias boni mellis communis inde, cum oui vitello.

Clyster restauratiuus & detergens.

SVme duas libras clari lactis, coque cum tribus aut quatuor lactucis, & vno aut duobus manipulis portulacæ. Ex decocto hac colato sume vnam libram , & in ea quartam partem libræ mellis liquefac. Sic Clyster factus erit.

Clyster ex lacte ad leniendum.

Svme vnam libram boni lactis, & igni impositam semel sine bullire. In eam inijce oui vitellũ. Exprime dein, & in id quod expressũ fuerit duas vncias olei rosati, aut vnam vnciam & dimidiam butyri recentis liquefacti infunde.

Clyster ex terebinthina contra dolores colicos nephriticos.

Svme duas vncias olei ex oliuis (vt vocant) aut tantundem butyri recentis. Super foculo aut calidis cineribus calefacto liquori dimidiam vnciam terebinthinæ Venetæ affunde, vt cum oleo seu butyro colliquescat.

Clyster astringens.

Svme foliorum plantaginis, verbasci, bursæ pastoris, de singulis duos manipulos, omnia diligenter lota, purgata, minutim concide, adde manipulum rosarum Prouincialum: ac primum herbas concisas aquæ, in qua candens ferrum extinctum sit, postea rosas inijce, & aliquantum bullire sine, donec mensura aquę colatę ad vnam libram deueniat: tandem adde duas vncias olei ex malis cotoneis, & vnum aut duo ourũ vitella.

Alius eidem vsui.

Svme libram boni lactis, in quo ter aut quater ignita seu candens chalybis particula extincta sit. Percola, in id quod expressum fuerit duas olei ex cotoneis malis vncias, & ouorum vitellos aut vnciam vnam saccari rosati in puluerem redacti inijce, & colliquescere sine.

Clyster contra Colicam ventosam.

ACcipe maluæ, altheæ, Mercurialis, parietarię, hyssopi, rutæ, calamentæ, pulegij, origani, de singulis manipulum vnum; seminum feniculi, siseris, cumini, de singulis drachmas duas; baccarum lauri vnciam dimidiam, florum Camomillæ & meliloti manipulum dimidium: coque

hæc

hæc in sex aquę, plus minus, libris, ita vt initium fiat ab herbis, deinde à seminibus contusis, ac sic tandem ad flores deueniatur: fiat decoctio vsque ad mediam partem, ex eo quod reliquum fuerit, tres fiant clysteres.

Sume vnam libram vel minus ex hoc decocto percolato, in eoq; liquefac sex drachmas diaphœnici, & tantundem Benedictæ laxatiuæ, duas vncias mellis Mercurialis, & tantundem olei Camomillæ aut rutæ. Hoc clystere vti poteris: quod si dolor nihilominus perseuerabit, ex consilio Medici iterabis.

Clyster contra Apoplexiam.

CОntra Apoplexiam, si morbus permittet, sumes libram vnam similis decocti, & in ea liquefacies sex drachmas Benedictę laxatiuę, & tantumdem Hieræ diacolocynthidos Paccij, cum duabus vncijs mellis Mercurialis, nec non duabus vncijs olei ex camomilla vel ruta. Ex hoc facies clysterem.

Quod si morbi vis vrgeat, sume libram vnam ptisanæ communis aut laxatiuæ, & in ea prædictas species liquefac seu dissolue.

Alius Clyster contra Colicam, in vsum pauperum.

SVme hyssopi, saluiæ, florum camomillę & meliloti de singulis manipulum vnum, anisi viridis contusi vnciam dimidiam: coque hæc in vigintiquatuor boni vini vncijs, vsq; dum ad vnam libram percolatam decoquantur, in quam infūdes tres vncias olei nucis, & tantundem boni mellis.

Alius ad eorundem vsum.

SVper calidis cineribus macerabis aut bullire facies in vna boni vini libra dimidiam vnciā foliorum senæ, & tantumdem granorum seu seminis feniculi viridis. Quibus percolatis & expressis infundes ternas illas vncias olei nuceis & boni mellis.

Clyſter nutritiuus.

SVme libram vnam iuſculi in quo capus, caro vitulina, & fruſtum veruecinæ adhuc ſanguinolentę decoctum vnà decocta ſint, in hoc vnciam vnam ſacchari optimi, & duo ouorum vitella liquefac. Habebis Clyſterem nutritiuum.

Alius in eundem vſum.

SVme dimidium ſeptarium iuſculi in quo pipio decoctus ſit, & tantumdem eiuſdem congelati, miſce cum duobus oui vitellis, & fac Clyſterem.

Alius in vſum pauperum.

SVme libram vnam lactis bullientis, cum duobus boni ſacchari vncijs, eiſq; admiſce duos oui vitellos.

Nota. Antequam vero clyſteribus his nutritiuis vtaris, prius ventris excrementa clyſtere remollitiuo expurgabis.

Tum hoc quoq; nota: quanto minoris ætatis ſit patiẽs, tanto minorem doſin tam decocti quã ſpecierum ſeu ingredientium (& quidem ex conſilio Medici) eſſe adhibendam.

MODVS FACIENDI Suppoſitoria.

ACcipe duas vncias mellis communis, ad lentum & clarum ignem in vaſe decoque vſque dum fere ad inſtar Electuarij ſolidi indureſcat. Poſtea ab igne amoue, & (vt acrius reddatur) duas vncias ſalis gemmati in puluerem redacti admiſce, ſpatula bene conquaſſa, inde in papyrũ oleo pingue factam effunde, & manibus itidem oleo inunctis in formam ſuppoſitoriorum, digiti añularis craſſitie, & pro adultis ſex aut ſeptem, pro pueris, trium aut quatuor digitorum longitudine, redige. Quibus ſi vti voles, ea prius oleo aut recenti butyro inunge; vt vero eadem integra mane-

maneant, in butyro recenti aut oleo asseruabis: alioquin n. aere facile liquefient & dissoluentur.

Aliud suppositorium efficacius.

SVme mel coactum, sine paulum refrigerari, spatula deinde admisce drachmam vnam salis communis, & tantum salis gemmati in puluerem redacti.

Aliud.

VEl melli illi decocto & paulum refrigerato affunde seu admisce viginti grana colocinthidis, & tantundem salis gemmati in puluerem redactorum.

Alia suppositoria.

SI malis, melli illi decocto affundes quadraginta grana scammoneæ puluerisatæ.

In vsum infantium suppositoria fiunt ex sapone, aut ex herba quæ Mercurialis dicitur, vel exigui cerei particula recenti butyro pinguefacta.

Plures modos componendi suppositoria hic omitto, vt quæ iam non ita vsu sint frequentia, & eorum loco suprapositi clysteres adhiberi possint vel etiam ptisanæ, aut iuscula Senæ, ad quorum descriptionem iam venio.

REMEDIVM LAXATIVVM pro iis qui clystere vti nolunt.

SI quis clysteribus vel ob pudorem vel aliquem sedis defectum vti nolit, hoc remedio vtitor:

Sume drachmam, vel sesquidrachmam, aut etiã duas drachmas foliorũ senę, & vnciã dimidiã granorũ anisi viridis. Inijce in patinã, superfũde plus minus 4. aut 5. aquę purę cochlearia: quod si patiẽs tussi nõ vexetur, sume semissẽ aquæ, & alterã semissem succi de malis citrijs. Operi patinam,

& calidis cineribus ad ſpacium dimidiæ aut etiã integræ horæ, vt fiat infuſio, impone. Liquorem inde percola, & molliter exprime. Ei quod percolatum fuerit vel macrum iuſculum clarum, vel primum in quo carnes coctæ ſint, affunde, & mane vnam aut duas horas ante cibum ſumendum patienti ieiuno propina.

Quod ſi iuſculum hoc alicui forte ob foliorum ſenæ guſtum minus gratum ſit, ei addes ſuccum vnius limonis. Quod ſi ne ſic quidem placebit, ſenæ folia & aniſum non calidis cineribus, vt infundantur, impones, ſed procul ab igni per tres horas ſtare ſines, inde in iuſculum, rurſus expreſſo mali citrij aut limonis alterius ſucco, effundes.

Iuſculum hoc ita præparatum excrementa indurata ita emolliet, vt nec hæmorrhoidas exulceret, nec vllum dolorem in receſſu cauſſetur.

Quod ſi venter ita conſtipatus ſit vt iuſculum hoc nullam habeat efficaciam, veſperi vel altero mane eo iterum vtetur.

Quod ſi quis á foliorum ſenæ guſtu plane abhorreat, ptiſana laxatiua, quam poſtea deſcribemus vti poterit.

Remedium pro pauperibus, qui conſtipatum habent ventrem.

PAuperes qui clyſterum commoditatibus, vti & alijs ſupra deſcriptis ad ventrem laxandum remedijs deſtituũtur, ſequenti remedio vti poſſunt.

Sume duas aut tres drachmas foliorum ſenæ, cum pauxillo aniſi viridis, inde catino inditis ſeptem aut octo cochlearia aquæ puræ ſuperfunde, calidis impone cineribus, ſicq; ſpacio vnius aut duarum horarum macerari ſine, tandem linteo puro percola: quod expreſſum fuerit, vel aquę calidę, vel iuſculo, quod tertia aut quarta parte

plus

plus sit quam infusum, infunde, eoq; vti supra dictum est, vtere.

DE INIECTIONIBVS.

INiectionibus vtimur ad plures morbos, vt ad vlcera & vulnera corporis, ad morbos pudendorum & matricis; eæq; fiunt per siphunculos, quibus induntur aqua, decoctiones, olea, aut alij liquores, prout Medicis, habita morbi ratione, visum fuerit.

Et eiusmodi quidem Iniectionum, quum pro morborum & membrorum quibus accommodādæ sunt ratione, variæ admodum sint & differentes, certa compositio describi nequit, sed totum hoc periti Medici arbitrio permittendum est.

Vt tamen curiosulis aliquo modo satisfaciam earum aliquot describam.

Iniectio contra Gonorrhæam.

INiectionem contra defectum hunc facies lacte claro aut ptisana seu decocto hordei tepido, in principio; postea adiunges syrupum rosarū siccarum, nempe ad quatuor decocti vncias, sesquiunciam aut duas vncias.

Sic ab initio, si magna inflammatio aut vredo appareat, æstate iniectionem facies decocto hordei, plantagine, solano, nenuphar; hyeme vero earum aquis extractis. contra dolores iniectionem facies lacte vaccino recens emulso.

MODVS FACIENDI *Pessaria.*

PEssaria crassiora sunt suppositorijs, & ad matricis iuuandos defectus commodi. Fiunt ex Xylo, serico, linteo, aut bene pexa lana, quibus species quæ commodæ visæ fuerint, indūtur,

 dein-

deinde tenui ſyndone inuoluũtur, atq; ita vino, aqua, aut alio loquare conuenienti madefactam in collum matricis immittuntur.

Vtuntur quidam etiam herbis, floribus, ſeminibus, & in mortario bene contuſis, & tenui linteo inuolutis: quæ quidem peſſaria magnæ ſunt efficaciæ.

Notabis vero, eiuſmodi peſſarium ita faciendũ vt femini alligari poſſit, ne ſcilicet in matricem attrahatur.

Peſſaria ad prouocanda menſtrua.

SVme folia de duobus aut tribus manipulis herbæ eius quæ Mercurialis dicitur, ea piſtillo in mortario conde, tenui inde linteo, & ſic peſſarium factum tepido prædictæ herbæ ſucco madefac, & vt ſupra oſtenſum, applica.

Peſſaria ad ſiſtendum menſtruorum fluxum.

SVme folia earum quas iam dicemus herbarũ, nempe centinodiæ (Galli renouee vocant) myrrhę, plantaginis, quinq; folij, verbaſci, ſingularum manipulum dimidium, ſimul contunde, prius tamẽ bene lota & purgata, in mortario, & ſupra oſtenſo modo peſſarijs factis, tepido plantaginis ſucco madefactis vtere.

MODVS FACIENDI *ptiſanam ſimplicem ad vſum ordinarium.*

SVme manipulum hordei communis bene purgati & limpida aqua loti, tum drachmam vnã aniſi viridis granorum: affũde duas libras aquæ fluuialis aut alterius aquæ, & in vaſe fictili aut alio bene puro ita vt bis aut ter bulliat decoque: adde deinde ſemunciam glycyrrhizæ itidem

itidem præparatæ, id est, bene abrasæ & purgatæ, despuma liquorem diligenter: qui vbi spumare cessauerit, ab igni amotum refrigescere sine, eoque ad potum vtitor.

Sunt qui glycyrrhizæ gustu valde delectentur, sunt & qui pæne offendantur. Tu ergo pro ingenio hominis dosin huius temperabis, aut addes radicem lapathi, chiendan, rasuram cornu cerui- ni, aut eboris, vel aliud aliquid, prout. Medico visum fuerit.

Modus faciendi decoctum hordei.

Svme manipulum hordei communis, præparatî vti supra dictũ est, affunde duas libras aquæ, & in ea tãdiu coq; donecad 24. vncias redigatur. decoctũ hoc vbi refriguerit, linteo puro percola,

Quod si eo ad potum vti velis, incoque aliquid granorum feniculi viridis, aut cinnamomi.

Aqua refrigerans, & in continuis febribus potui commoda.

Svme duas libras aquæ optimæ, inijce tres vncias lecti saccari, atq; ita igni imposita aliquantulum bullire sine: statim deinde tres vncias succi limonum adde, rursusq; vsq; dum liquor bulliat igni appone: quem vbi iam tepuerit, puro linteo bis aut ter percolabis, eoq; vteris.

Lac clarum eodem modo ad eundem finem pręparatur.

Dosin vero seu quantitatem tam saccari quam succi limonum complexioni vsuri attemperare poteris.

Modus vtendi lapide quem Bezoar vocant.

Svme quatuor, sex, octo, decem, aut plura grana lapidis Bezoar, in puluerẽ redacti, immissis in cochleare, ptisanę aut iusculi de malis Citreis

aliquid ſuperfunde, ſicque liquorem omnem abſorbe.

Modus faciendi Hydromel ſimplex.

SVme quatuor libras fluuialis, aut alterius bonæ aquæ, quatuor vncias boni mellis, ollæ fictili aut alteri vaſi commodo immitte, in eoque bullire, tum diligenter ſpumatum ſeu defæcatum liquorem refrigeſcere ſine, ſicque vtitor.

Sunt qui ſingulis aquæ libris duas admiſceant mellis vncias: ſed quantitas mellis pro Medici iudicio aut ægri guſtu atq; natura temperanda eſt. Quidam enim melle delectantur, alij minus.

Modus faciendi Hydromel compoſitum.

PRimò omnium eas ſpecies quas Medicus præſcripſerit, vaſi inditas coques ac bullire ſines: inde in ipſum decoctum tantum mellis quantum videbitur inijcies, & rurſus coques.

Modus faciendi ptiſanam laxatiuam.

SVme vnciam vnam optimæ glycyrrhizæ bene raſæ & purgatæ, vel, ſi mauis, dimidiam vnciã, aut ſex drachmas; inijce in duas aquæ libras, coque, & diligenter deſpuma: deſpumato ſic liquori drachmam feniculi viridis & dimidiã ſenæ foliorum vnciam tenui linteo, non tamen preſſim, illigata immitte. Mane eum liquorem percola, & ſi voles, mediocre vitrum eius exhauri. Quod ſi velis, poſt duas horas iuſculo vti licebit.

Si ptiſanam hanc efficaciorem velis reddere, aliquanto minus aquæ adhibebis.

Alia ptiſana laxatiua.

SVme manipulum vnum hordei communis præparati, abraſum cornu ceruini & eboris aliquan-

aliquantulum, abrasum verò linteo tenui & puro illigat, hæc simul in duabus bonæ aquæ libris bullire sine: dein vnam quoq; vnicam, aut quanto minus videbitur, glycyrrhizæ itidem bene purgatæ adde: tandem despumato iam liquori feniculum quoque & senæ folia linteo illigata vt supra descriptum, inijce.

Æstiuo tempore sume libram aquæ fluuialis & cum dimidia glycyrrhizę pręparatæ vncia, & duabus senæ foliorum drachmis, & dimidia granorum feniculi viridis vncia ampullæ infunde. Hęc omnia in ipsa ampulla seu gutto diutiuscule agita, tandem quo vis repone, & post duarum aut trium horarum spacium hauri quantum voles.

Erit verò ptisana multo efficacior, si per totam noctem steterit. Et æstate quidem aqua fluuialis adhibenda, quæ iam à sole quasi percocta est. Si velis, supradictas species in vase in quo coctæ sũt relinquere poteris, & ex eo haurire quoad totus liquor sit consumtus.

Fasciculo foliorum senæ addere quoque licebit drachmam aut paullo plus rhabarbari minutim concisi, cum pauxillo cinnamomi, aut tantodem agarici aut pauxillo zinziberis, prout Medico consultius visum fuerit.

Alia ptisana laxatiua.

SVme dimidium vnciam foliorum senę, drachmam vnam granorum feniculi viridis, medullam & nucleos cassiæ mitte in ollam fictilem vel vas aliud commodum, super infunde sesquilibram ptisanæ ordinariæ, seu communis, adhuc bullientis: operi ollam, & totam noctem cõmodo loco suo stare sine, æstate scilicet super abaco, aut alio loco, hyeme in foci angulo. Mane duabus horis ante ientaculum vel prandium quantum videbitur percolabis, & exhauries. Ac sic deinceps.

Ptiſana laxatiua ex folijs ſenæ, rhabarbaro, agarico.

Svme vigintiquatuor vncias bonæ aquæ, & in ea vnciam, aut aliquanto minus, glycyrrhizæ decoque, & diligenter liquorem deſpuma. Dein, olla ab igne amota, foliorum ſenæ vnciam dimidiam cum aniſi pauxillo, drachmã & dimidiam rhabarbari, aliquantum cinnamomi, tantundem agarici minutim (vti & rhabarbari) cõciſi, & pauxillum zinziberis, contuſi, linteo tenui illigata in eam mitte. Mane liquorem linteo percola & exprime: eoq; vtere.

Alia ptiſana laxatiua ex caſſia & ſenæ foliis.

Svme vnciam glycyrrhizę præparatæ vel minus, eam in duabus libris bonę aquę diligenrer deſpumatã decoquę: vbi ſpumare ceſſauit, medullã & nucleos caſſiæ ei inijcies, ſicq; rurſus liquorem igni admotum feruefacies, tum faſciculum foliorum ſenæ, vnciæ dimidiæ, & feniculi viridis, vti ſupra deſcriptum, ollæ ab igne & prunis remotæ indes, & mane, mediocre vitrum, de percolato liquore exhauries.

Nota. Si quis ventrem adeo conſtipatum habeat, vt mediocre vitrum. (quod tamen raro fieri ſolet) aluum ei non moueat, is eadem die circa quartam aut quintam horam veſpertinam, aut altero die manè ieiunus adhuc alterum ſumat vitrum.

Sic etiam ex Medici conſilio, triduum continuum aut ſubalternis diebus manè quis ieiunus ptiſana hac vti poterit.

Medici verò fidelis eſt, pro morborum ratione alijſq circumſtantijs medicamenta augere, diminuere, mutare, id deniq; facere quod ratio præſcribit

Illud ſane tibi ego adfirmo, ptiſanas has laxati

xati

xatiuas verum esse Manna, tam diuitibus quam pauperibus, quũ nõ multo constent precio, & tamẽ ad purgandũ mirabiles habeant effectus, non minus quã clysteres & reliqua purgantia medicamenta. Præterea ob glycyrrhizæ succi copiã gustum non ita offendunt: quę glycyrrhizę reliquarum specierum ingratum gustum edulcetat, vires verò nequaquam eneruat Deo ergo ages gratias, proq; ijs orabis, qui eiusmodi remedia & excogitarunt, & ad communem vsum in medium protulerunt.

Aqua Cassiæ.

Svme dimidium quadrantem Cassiæ in festucas colligatæ, munda eam, & cum nucleis suis in vas commodum inijce, affunde duas aquæ libras, adde drachmã & dimidiã boni cinamomi cõtusi, feruefac ad primã bullitionẽ, percola, refrigescere sine: dein mediocre verrum liquore hoc plenum ad vsum tuum exhauri.

Licebit etiam vnà cum cassia coquere vnã vnciam aut dimidiam tamaricis seu myricæ, tũ post bullitionem inijcere duas drachmas rhabarbari minutin concisi, sed omnia ex Medici consilio.

Nota. Eodem modo facile fieri possunt decoctiones ex ligno Guaiaco, sarsaparilla, radice Chinæ, & eiusmodi alijs quæ ad morbos non diuulgandos adhibentur: nec opus est vt quemquam in cõsciẽtiã assumas præter Medicum & Chirurgum qui his in casibus Hippocratis & Hippocratis munere fungi debent. Differẽtia tantum est in præparatione speciorum seu medicamentorum, & tempore infusionis & coctionis; sed hæc exigui sunt momenti, facilis laboris & præparationis.

Alia aqua Cassiæ.

Svme duas aut tres radices Cichoreæ sylucstris, tantumdem taraxaci bene purgatarum, id est lotarum, exemto neruo quem in medio habent. Hæc in tribus aquæ fluuialis aut al-

terius bonæ aquæ libris. decoque donec ad duas libras redigatur. Postea dimidiam vnciam glycyrrhizæ rasæ & contusæ & quartam partem libræ cassię festucatæ ferreo pistillo contusæ inijce, ollam tantisper ab igne amoue dum liquor aliquantulum tepescat: hunc tandem percola, & ad vsum tuum adhibe.

Alia aqua Cassiæ refrigerans & astringens.

SVme foliorum agrimoniæ & plantaginis vnũ de singulis manipulum, seminis portulacæ & plantaginis in mortario contusi binas drachmas, in tribus bonæ aquæ libris decoque, & procede vt modo dictum est.

Si aquam Cassiæ ad medicinæ vsum velis adhibere, infundes eandem vitro, deinde inijcies & in ea dissolues paullum syrupi rosati, aut syrupi cichoreæ cum rhabarbaro compositi; aut dimidiam vnciam foliorum senæ, cum aliquot feniculi granis, prout Medico ordinario visum fuerit.

Nota. Antequam Cassiam contundas lignum & linteũ prius purgabis & aqua etiam ablues. In medicamentorum enim compositionibus summa opus est munditie.

Aqua Rhabarbari.

IN ollam fictilem infũde libras bonæ aquæ tres, & semel ac bis feruefac: amoue dein ab igne, & in eam calidam inijce vnam drachmam Rhabarbari minutim concisi, & aliquantum cinnamomi: eoque liquore ex consilio (Medici ordinarij) vtere.

Vnà cum aqua decoquere etiam possis radices chiendam, lapathi, glycyrrhizę, rasuram cornu ceruini & eboris; ac simul coctis & ab igne amotis tum demum & rhabarbarum & ciñamomum inijcere.

Quod si velis, quamprimum ingredientia il-

la cocta sunt, ea exprimes, deinde in ipsam decoctionem rhabarbarum & cinnamomum inijcies, nec prius eximes quam totus liquor sit absumtus.

Sunt qui rhabarbarum concisum vnà cum cinnamomo linteo, sed laxe admodum, inuolutum inijciant.

Vt vero talis aqua maiorem vim purgandi habeat, fasciculo illi linteo simul indi potest vnà cum rhabarbaro, vna aut dimidia drachma foliorum senæ.

Iusculum ex foliis senæ purgatiuum.

SVme foliorum senę vnciam dimidiam, granorum anisi aut feniculi viridis drachmam vnã: totam noctem in duodecim aquæ vncijs, aut plus, macera, & limonis succo in scutella expresso addito, procul ab igne colloca. Mane linteo puro hęc omnia percola, & mediocriter exprime, expressum deinde in iusculum feruens macrum aut cui cibus, non tamen aut parum salsus, incoctus sit, infũde. Vt vero iusculum hoc gratius sit, integri alterius limonis succum exprimes atque addes, sicq; ieiunus eo iusculo vteris, ita tamen vt in cubiculo maneas.

Iusculum ex foliis senæ pro pauperibus.

QVos res angusta domi operosius aliquanto medicamenta hæc ad præscriptum modum componere prohibet, quiq; nullo gustu facile offenduntur, in aqua aut ptisana calida macerabunt foliorum senæ vnciam dimidiam, & drachmam vnam granorum feniculi viridis totã noctem, illam dein mane feruefácient, iniecta puro linteo percolabunt, & quod expressum fuerit iusculo parum salso affundent: eo sumpto, in cubiculo manebunt.

Modus

Modus diuersis rationibus & exiguis sumtibus medicamenta laxatiua componendi.

SVme dimidiam vnciam foliorum senę, drachmam vnam granorum feniculi viridis, injice catino, affunde tertiam partem quadrãtis ptisanæ ordinariæ bene calidæ, catinum diligenter apertum ad foci angulum aut locum alium parum calidum repone, sicq; iniectas species totam noctem macerari sine. Mane senæ folia super foculo aliquantulum feruefac, linteo percola, & mediocriter exprime. In id quod expressum fuerit, vnciam vnam syrupi rosati iniice, sicq; medicamentum habebis: quo statim ieiunus, sed refrigerato paululum vteris, & tribus horis post iusculum macrum & clarum, post dimidiam verò horam ientaculum sumes, totumque eum diem cubiculo te continebis.

Aliud medicamentum laxatiuum.

SVme dimidiam vnciam foliorum senæ & aliquantum anisi viridis, dimidio septario aquæ aut ptisanę ordinarię incoque, percola linteo, & in id quod expressum fuerit vnciam & dimidiam syrupi rosati inijce: & quo dictum est modo vtere.

Aliud medicamentum laxatiuum, ex foliis senæ, rhabarbaro, agarico & syrupo rosato compositum.

SVme dimidiam vnciam foliorum senæ, drachmam vnam granorũ anisi viridis, in dimidio septario aquę ptisanę ordinariæ aut aquę hordeaceæ decoque, percola & exprime omnia mediocriter. In liquore hoc expresso, ad locũ mediocriter calidũ reposito, totam noctẽ macera duas drachmas agarici limati aut minutim concisi, paullũ zinziberis, vnciã vnã & dimidiã rhabarbari, itidẽ minutim cõcisi. Mane liquorẽ & species iniectas paullum feruefacies, deinde linteo

me-

mediocriter expressa percolabis, & in eo quod expressum fuerit, vnciam syrupi rosati liquefacies. Medicamento hoc bene mane ieiunus vtere, ac tribus post horis iusculum macrum sumes, cubiculoq; te continebis.

Medicamentum laxatiuum ex decocto herbarum, radicum & Senæ foliorum, rhabarbari, cassiæ, & syrupi rosati.

Svme duas aut tres radices cichoreæ syluestris. laua easdẽ, & neruũ seu fibrã quæ est in eis exime: item duas aut tres radices lapathi, eodem modo præparatas: tũ quinq; aut sex festucas radicum Chiendan bene rasarum & contusarum: nec non tres drachmas glycyrrhizæ itidẽ præparatæ. Sume prǽterea agrimonię, betonicę, escolopendrię, buglossę, boraginis, lapathi, portulacę, lactucæ, de singulis manipulum dimidiũ: quibus etiã semina eorũdem & flores addere poteris. Hæc omnia diligenter munda & limpida prius aqua ablue: inde in ollã fictilem aut aliud commodũ vas iniecta, affuso quantũ satis est aquæ fluuialis aut alterius bonæ aquæ, ad perfectionẽ feruefac: sic tamen, vt prius radices, postea herbas, ac tandem flores & glycyrrhizam decoquas. Ex decocto hoc percolata sume quantum satis est, & sequenti modo in componendo medicamento procede.

Sume dimidiam vnciam foliorum senæ, duas drachmas granorum feniculiviridis aut anisi immitte catino, vna cum medulla & nucleo dimidij quadrantis cassiæ, nec non drachmam aut sesqui drachmã boni rhabarbari minutim concisi. His decocti feruentis tantum superfunde quantum ad infusionem seu macerationem sufficit. Catinum deinde in foci angulum aut locum alium mediocriter calidum repone, & totam ibi noctẽ relinque. Mane easdẽ species super foculo recalefac, & linteo mediocriter expressas percolatum in id quod expressum fuerit vnciã vnam syrupi rosa-

rosati infunde. Ecce perfectum iam tibi medicamentum, quo statim ac refrigeratum fuerit, vteris, eo qui antea descriptus est modo.

Alius modus multo facilior idem medicamentum componendi.

SVme, vt dictum est folia senæ & feniculum & in decocto supra descripto, debita quantitate sumto, feruefac, aut eidem adhuc calido inijce per tres aut quatuor horas in locum mediocriter calidũ reposito: percola deinde, & in liquorẽ expressum cassiam & rhabarbarum im̃itte: percola rursus & exprime, ac tum demum ei quod expressum fuerit syrupum rosatum affunde.

Crassiori huius medicamenti materia vti quis possit clysteris loco, si nimirum illã cũ decoctione ad clysterem accom̃odata, (quam Medicus tibi mõstrabit) feruefacias, exprimas & restringas, & ei quod expressum fuerit mel, saccarum rubrũ, butyrum, aut aliud conueniens addas.

Medicamenti huius tanta vis est ac si in id Catholicon duplum aut syrupus cichoreæ cum rhabarbaro compositus ingressa fuissent.

Nota. Si commoditatem non habeas prædictas radices, herbas, semina & flores comparandi, ptisana ordinaria, seu decocto hordei aut alio, vti Medico videbitur, vti licebit.

Aliud medicamentum laxatiuum.

SVme dimidiam vnciam foliorum senę, drachmam vnam granorum anisi aut feniculi viridis, in ptisana, quantum satis est, coque, percola & exprime: in id quod expressum fuerit inijce dimidiam vnciam catholici dupli ex rhabarbaro fideliter præparato, drachmam vnam & dimidiam diaphœnici, vnciam vnam sytupi rosati.

Medicamentum ad vsum robustorum hominum.

SVme dimidiam vnciam foliorum senæ, cum ani-

aniso viridi, totam noctem in ptisana vel alio decocto, quod Medico conueniens videbitur, macera, exprime, expresso inde tres drachmas seu dimidiam vnciam Electuarij diacarthami cum vna vncia syrupi rosati.

Medicamentum laxatiuum ad vsum hominum teneriorum.

SVme duas drachmas foliorum senę, dimidiam drachmam granorum feniculi viridis, sesquidrachmam rhabarbari minutim concisi. Hæc catino inde, calidæ ptisanæ quãtum satis est superfunde, vt tota nocte macerentur. Mane aliquantulũ feruefac, linteo percola & mediocriter exprime, expresso tres aut quatuor drachmas sacchari puluerizati inijce, vt gustus tanto sit gratior. Medicamento hoc duabus horis ante quam iusculum sumas, vteris.

Medicamentum laxatiuum ad vsum Infantium.

SVme dimidiam vnciam syrupi cichoreæ cum rhabarbaro compositi, eamq; vel solam vel in pauxilo ptisanæ liquefactã Infanti da degluttiendam, vel drachmam foliorum senæ tota nocte in ptisana, aut aqua saccarata calida maceratam, exprime, & expressum propinandum porrige.

Vel, drachmam vnam rhabarbari minutim concisi, in ptisana aut aqua saccarata totam noctem macera, mane exprime, & parum eius Infanti da deglutiendum.

MODVS FACIENDI BOlum Cassiæ.

SVme Cassię sex partes vnius libræ, purga, & eo qui sequitur modo præpara.

Sume

Sume dimidiã vnciã granorum anisi viridis, in dimidio aquæ Septario semel aut bis feruefac, & catino infunde, ei incerniculũ impone, & in hoc medullã & nucleos Cassiæ: quo facto, per dictũ incerniculũ medullã transmittes, illam deinde cochleari recolliges, & ex ea bolos in modũ prunorum sy*r*api satos & puluerisato saccaro incrustatos facies.

Hora dimidia post, iusculum sumes macrum, aut iusculũ carnis parum salitæ, vel foliorum senæ, vt sequitur.

Præcedentis diei nocte sesquidrachmã aut duas drachmas foliorum senæ, cũ dimidia drachma granorum feniculi viridis, in duobus aut tribus æquæ, & tãtisdem succi citrini cochlearibus macerabis Mane Senam linteo, percolabis, & molliter exprimes, expressum vero liquorem, iusculo infusum sumes, ac tres horas ieiunabis, cubiculo te interim totum diem continens.

Cum medulla Cassiæ miscere quis potest drachmam boni rhabarbari in puluerem redacti, ex Medici consilio.

Nota. Quod Cassia super fumo decocti anisi, aut hoc deficiente, feniculi viridis, mundatur, eo fit, quod quum Cassia flatuum plena sit, colicos dolores parere, atq; etiam vapores in cerebro excitare solet, vnde ijs qui eiusmodi pasſionibus obnoxij sunt, cephalalgia oritur.

Bolus Cassiæ ad refrigerandos & purgandos renes.

Svme bene purgatæ Cassiæ quartam partẽ libræ & dimidiã, cũ medulla eiusdem misce drachmã vnã glycyrrhizæ puluerisatæ, ex his frustula fac, quorum vnum post aliud cochleari apprehẽdes Hora dimidia post, iusculum, vt ante dictum est, sumes, sed in quod succus vnius boni limonis expressus sit.

Bolus

Bolus Cassiæ cum terebinthina contra Gonorrhæam.

SVme medullam sex partium libræ Casiæ, cum hac vnam aut duas drachmas terebinthinæ Venetæ (non lauanæ) cultro aut lignea spatula misce: fac ex his frustula, eaq; crustulis inuoluta sume. Hora dimidia post sume iusculum macrũ, herbis refrigeratiuis & appetitum excitantibus; tum succo vnius limonis aut mali citrei conditum.

Alius Bolus Cassiæ.

SVme medullam è quadrante Casiæ extractã, cum ea misce sesquidrachmã aut duas drachmas Diaprunis solutiui, fac ex his frustula, quæ, vt supra inculcatum est, ieiunus, & post duas horas iusculum sumes.

Bolus ad vsum Infantium.

SVme tres drachmas medullæ è Cassia recenter extractæ: da Infanti in forma pulticulæ, & vt melius deglutire posit, quoties parum inde sumpserit, fac mammam sugat.

Bolus in vsum pauperum.

SVme vnciam & dimidiam Electuarij leuitini fideliter dispensati. Fac frustula siue bolos; quibus sumtis, post horæ quadrantem iusculum macrum sume.

Alius pro ijsdem.

SVme vnciam Catholici dupli, duas drachmas rabarbari & Diaprunis laxatiui: misce hæc spatula lignea aut cultri cuspide, fac bolos, quib. sumptis, post duas horas iusculum macrum sumes.

Alius pro ijsdem.

SVme vnciam Electuarij lenitiui, sesquidrachmam aut duas drachmas Diaprunis laxatiui, aut tantundem Diaphœnici, cultri cuspide, aut spatula hæc commisce, fac bolos seu frustula,

quibus

quib. ſumtis, poſt duas horas iuſculum macrum licet ſumas.

MODVS FACIENDI *Vomitoria.*

ILlud in primis notabis, proprium ac commodiſſimum tempus Vomitorijs tuto vtendi tum eſſe, quando ſtomachus cibo eſt oppletus, id eſt, poſt ſumptum cibum. Sic enim vomitus citius prouocatur, & purgatio melius fit & accuratius: quum cibi prauos humores qui in fundo ſtomachi ſunt, ad ſe attrahant.

Vomitorium commune.

SVme duo cochlearia aquæ tepidæ , & tria aut quatuor cochlearia olei (quod vocant) de oliuis, vel vnam aut duas vncias butyri recentis: miſce hæc, & abſorbe : inde ſi vomitus nondum adſit, digitum ori inſere.

Aliud vomitorium.

SVme tres aut quatuor raphanos bene purgatos & contuſos, vnciam dimidiam ſeminis maluæ itidem contuſi, in aquæ tribus libris coque dum ad dimidium ſeptarium deueniat, percola, & vel oleum vel butyrum liquefactum affunde: ſicq; vtere.

Vomitorium aliquanto efficacius.

SVme ſeptem aut octo folia viridis aſari, contuſa in mortario in ſuccũ redige, eiq; altero aut tertio tantum vini aut decocti hordeacei affunde, ac tepidum hauri.

Aliud Vomitorium.

SVme dimidiam vnciam radicis prædictæ herbæ aſari, purga, contunde, & in libra decocti hordeacei tamdiu coque dum liquor ad dimidium ſeptarium deueniat. Adde ei vel oleum vel butyrum recens & liquefactum.

MO-

MODVS FACIENDI *Masticatoria.*

VSitatus maxime & facilis modus faciendi Masticatoria is est, vt mastichen sumas integram, eamq; dentibus mandas, tum pituitã seu phlegmata quæ à cerebro in os delapsa fuerint, exspuas: Hoc autem à ieiunis fieri debet.

Aliud:

MAstichen cera liquefacta & pauxillo olei incrusta, adde parum pyperis, piretri, & staphys agriæ puluerisatæ, fac pilulas, & harum vna, quoties vsus erit, vti modo dictum est, vtere.

Aliud

SVme piper, pyretrum, de singulis drachmam vnam & dimidiam, redige in puluerem, eumq; optimo melle incrusta, pilulas deinde fac ad fabæ magnitudinem, easque in vmbra sicca, vbi siccatæ fuerint, vna ad quem dictum est modum vtere.

MODVS FACIENDI *Gargarismum.*

SVme ptisanam ordinariam supra descriptam, eaq; tepida os & gurgur laua. Eiusdem ptisanæ sceptario, quando gargarismo vti voles, vnciam boni mellis addere poteris.

Alius Gargarismus.

SVme libram decocti hordeacei, misce duo aut tria cochlearia aceti, vt fiat quasi oxycratum.

Alius gargarismus.

SVme manipulum hordei lecti & bene purgati,

tantumdem agrimoniæ, plantaginis, rosarum Prouincialium recentium aut siccarum, has herbas diligenter item purga & laua, deinde hordeum ante herbas prius bene coctum cum reliquis herbis, duabus aquæ libris tamdiu incoque, vt liqueris mensura ad vnam libram deueniat, cui quinque aut sex cochlearia boni mellis indes.

Gargarismus os & fauces mollificans.

SVme viginti quinque aut triginta amygdalas, dulces, decorticatas, in mortario ligneo aut marmoreo contunde, affuso interim dum cõtunduntur dimidio aquæ calidæ septario, liquorem catino infusum, spacio dimidiæ horæ calido cineri impone: deinde linteo percola, mediocriter amygdalas exprimens, & iam frigido ad gargarismum vtere. Licebit etiam, ad meliorem gustum, saccari aliquid addere.

Gargarismus in vsum pauperum.

Ad gargarismum pauperes vix vlla re commodius vti possunt, quam lacte vaccino tepido.

Gargarismus astringens & repercussiuus.

SVme manipulum hordei, tantundem plantaginis, polygoni, lapathi seu oxalis, rosarum rubrarum manipulum dimidium, his omnibus quantum satis est aquæ superinfunde, & tãdiu coque quoad mensura aquæ ad vnam libram post colaturam, deueniat. Adde duas aut tres vncias syrupi de moris: sicque bonum habebis gargarismum.

MODVS FACIENDI & præparandi emulsiones.

Emulsio ad refrigerandos renes, & contra vrinæ ardorem.

SVme duas vncias amygdalarum dulciũ, decortica-

catas in mortario marmoreo pistillo ligneo ntunde, additis vna & dimidia quatuor crassorum seminum frigidorum bene mundorum ncijs: dum vero tundis, affundes minutim vel c clarum, vel ptisanam, aut decoctum hordei lidũ, inde omnia simul percolabis & exprimes. n id quod expressũ fuerit inijcies duas aut tres ncias optimi saccari, duas vncias succi de limoibus, sicq; medicamentum erit cõfectum, quod ibus: vicibus sumes, tẽpus vero erit, duabus, hos ante, & trib. horis post cibum sumtum. Quod renum calor admodum sit vehemens, amygdais & seminibus illis addes dimidiam vnciam minis papaueris, aut duas drachmas iam dicti minis, & duas alteras lactucæ.

Nota. Quando semina illa vis addere, prius ea n mortario contundere oportet, affundendo aulum aquæ aut ptisanæ calidæ, ac tum adiunes amygdalas & semina, vti dictum est.

Modus aliquanto facilior & magis vsitatus.

SVme dimidiam vnciam seminis cucurbitarũ, tantundem seminis melonum, tantudẽ seminis cucumerum, immitte in mortarium marmoreum affusa pauxilla aqua calida, omniaque quam potes minutissime contunde. adde postea duas vncias amygdalarum dulcium, & decorticatas vnà contunde, paulum lactis clari, ptisanæ aut aquæ calidæ affundendo. Inde exprimes omnia, ad eum modum quo dictum est.

Modus exprimendi lac ex amygdalis.

SVme tres aut quatuor vncias amygdalarum dulcium, decorcitatas in mortario marmoreo, ligneo pistillo bene contere, aquam feruẽtem sensim affundendo, deinde linteo mundo percola, amygdalas inprimis bene expri[illegible]me, ex-

 pres.

expressum quod fuerit ollæ fictili immitte, additis vna vncia saccari optimi, & duabus aut tribus micis salis, vt gratior fiat gustus. Ollam deinde modico igni impone (fumum hic cauebis) & dum calescit, cochleari liquorem aliquamdiu moue seu agita vsq; dum nec spissus nimis nec nimis tenuis euadat. Demum catino infunde, & ex eo sume quãtum satis est, cubitum iturus, inter nonam scilicet & decimam horam.

Sunt qui loco cõmunis aquæ ptisana aut decocto hordei vtuntur: sed quia hoc modo amygdalarum lac aliquãtulum rubescit, erunt fortasse quibus tum id non ita delectabile futurum sit.

Quidam etiam cum amygdalis frustulum panis candidi conterunt, vt lac tanto magis album & nutritiuum fiat: quibus non aduersor.

Ad vehementes etiam renum ardores, aut ad somnum conciliandum cum amygdalis teri poterunt tres drachmæ, aut eo amplius, seminis papaueris, non tamen absq; consilio Medici: ac tum semen hoc prius quam amygdalæ terendum, eique postea amygdalæ addendæ sunt.

Modus hordeum mundum faciendi.

SVme vnam aut duas vncias hordei purgati, & si volueris, dimidiam vnciam quatuor seminũ frigidorum, in mortario tritorum. Hæc quatuor aquæ libris inijce in olla fictili incrustata, eamque igni modico, sed lucido & fumi, quantũ fieri potest, experti, tribus aut quatuor horis, vsq; dum scilicet hordeum crepet seu findatur, impone, sic vt decocti nihil reliqui fiat, quam vna patina capere queat, quod puro linteo percolabis, hordeum vero nequaquã exprimes Sume postea tres aut quatuor vncias amygdalarum dulcium, decorticatas in mortario marmoreo contunde, affuso paulatim decocto illo calido: deinde rursus eidem linteo percola, & mediocriter exprime: quod expressum fuerit, mitte in ollam

fictⁱ

fictilem incrustatam, vnà cum duabus saccari vnciis, & rursum feruefac. Hoc liquore commode vti poteris cubitum iturus, vti supra.

Modus faciendi tabellulas ex saccaro rosaceo.

ACcipe dimidiam libram candidi & puri saccari, quatuor vncias aquæ rosaceæ, mitte in vasculum, & lento & claro igni ad debitam consistentiã seu spissitudinẽ decoqui sine: spissitudinem verò vt recte cognoscas, saccarum coctũ spatula aliquantum è vase ab igni amoto eleua, & rursus delabi sine, quod in vas recidens, eandem soliditatem in superficie coctionis seruabit, & paululum illud quod spatulæ abhærebit, indurescet.

Secundo, mitte paulum eiusdem liquoris spatula in quadrã: indurescet ille, nec quidquam in quadra residui manebit.

Tertio, paullum eiusdem liquoris in solum effunde, ac statim tolle, nihil in solo remanere videbis, non minus quam ante in quadra.

Post hæc ollam ab igni retrahe, & liquorem sine parumper congelascere: eum deinde in marmoream aut aliam bene politam tabulam effunde, farina amygdalina per linteum purum conspersam: sicque tabellas efforma.

Modus faciendi ligaturam, contra cephalalgiam è frigore ortam.

SVme foliorum saluiæ, rorismarini, betonicæ, melissæ, singulorum manipulum dimidium, coque in vino albo, vel semisse vna vini & altera aquę; bene incocta mortario cõtunde, cõtusa linteo duplici inde, eoq; frontem & tempora circumliga.

Frontale seu ligatura somnum prouocans.

ACcipe betonicę, rosarũ rubearũ, nenuphar, violarũ siccarũ vnciã vnã, seminum papaueris

 albi,

albi, & lactucæ, singulorum drachmam vnam au
duas, mitte in mortarium, contunde vt fiat pul
uis, initio facto à seminibus papaueris & lactucæ
postea ad folia & flores progrediens. Puluerem
hunc permisce cum oxyrrhodio, mitte intra dua
fascias linteas, easq; fronti & temporibus circūli
ga, vt supra dictum est. Eundem puluerem com
miscere possis vnguento rosaceo Mesue.

*Alia Ligatura refocillans & qui-
etem prouocans.*

SVme rosarum Prouincialium, seu siccarum sei
recentium aut de placenta rosarum distillata
rum, non tamen adusta, manipulum vnum
cōfertū: mitte in mortariū, affusis duobus circi
ter aut vno tepidi oxycrati cochleari, tere, vsque
dum tota mistio sit humida, Inde fasciç linteç, &
frōti ac tēporib. vel cubitū iturus vel alio quoq
tempore circumplica. Quod si copia sit lactuca
rum recentium aut portulacæ, dimidium adde
manipulum, & vna contunde.

Alia Ligatura ad eundem vsum.

SVme placentam rosarum distillatarum, forfic
ex ea id quod minus ambustum sit deseca, tāt
longitudine & latitudine vt à fronte ad vtraque
tempora pertingat: id semissi aut paullo plus di
midij septarij oxycrati intinge, sicq; linteo in-
ditum, fronti & temporibus circumliga.

*Alia Fascia seu Ligatura, eidem
vsui.*

FRontem & tempora vnguento populeo per-
frica aliquantum, postea fasciam applica du-
plicem, tepido oxycrato intinctam, sed prius
expressam. Oxycratum vero ita facies.

Modus faciendi oxycrati.

OXycratum compositum est ex aceto & aqua.
Quod

Quod verò acetum non easdem habeat vires(est enim vnum aliquod optimum,est aliud mediocre,est etiam debile)vix potest certa mensura huius præscribi. Magna etiam est partium corporis quibus adhibendum hoc est remedium, diuersitas,quibus eius vires attemperandæ sunt. Vulgariter tamen hoc fere fit modo. Sex aquæ partibus adde vnam aceti communis:alij tantum aceti aquæ admiscent,vt potari possit,seu à gustu potātis non omnino abhorreat, id est, nimis acrem saporem in ore & faucibus non relinquat : qui modus mihi melior videtur.

Modus faciendi oxyrrhodion.

Svme quatuor cochlearia plena olei rosacei,duo cochlearia aquæ rosaceæ,& vnum cochlear boni aceti,misce,&habebis oxyrrhodion:quo si vti velis,scutellæ impositum parum calefac , eoque tepido partem dolētem bene perfrictam inunge, circumplicata fascia,aut eandem vel oxyrrhodio vel oxycrato intinctam circumplica.

Aliud oxyrrhodion.

Svme tres vncias,id est,sex cochlearia olei rosacei,& dimidiam vnciam seu vnum cochleare boni aceti. misce,& vtere.

Modus faciendi Hydroleum.

HYdroleum fit, sex partibus aquæ vnam olei admiscendo.

MODVS FACIENDI Epithemata.

Epithemata refrigerantia ad partes calore distemperatas.

SVme libram vnam oxycrati prius descripti, foculo impositam mediocriter calefac, huic

linteum duplum intinge, & parti dolēti seu male affectæ impone, addito alio duplo linteo sicco ne interula maculetur. Quod si linteum interius siccatum fuerit, oxycrato rursus intinge, & impone.

Modus hic facilis admodum est & paucorum sumptuum, sed ipsum tamē Epithema magnę est efficaciæ, vti ipsa testatur experientia, immo tale Epithema melius est ijs quæ fiunt ex aquis distillatis (cū hæ aliquid caloris adhuc retineāt) & quæ fiunt etiam ex pulueribus, quorum nulla est efficacia, quum tamen magno constent.

Epithema refrigerans & corroberans, ad partes ventris nimis calidas in febribus continuis.

Svme cichoreę agrestis cum radice, agrimonię, portulacæ, plantaginis, endiuiæ, de singulis manipulum vnum, rosarum Prouincialium manipulum dimidium, coque singula secūdum suum ordinem (prius bene lota & purgata) in tribus aquæ libris, vt colatura ad viginti quatuor vncias deueniat. huic quinq; aut sex cochlearia aceti rosari, aut alterius boni aceti affunde: inde factum epithema è linteolo duplici toti ventri applica, & paullo post renoua, vti supra indicatum est.

Epithema regioni cordis seu pectori in malignis & pestilentialibus febribus applicandum.

Svme corticem mali Citrij, recentem aut siccum, seca in frustulá, libræ vni aquæ rosaceæ inijce, lebetem calidis superpone cineribus, atq; ita madefieri sine, linteo dein percola & exprime, ei quod expressum fuerit succū vnius citrij mali aut limonis admisce, factum inde ex duplo linteo epithema, tepidum cordis regioni ter in die applica, renouans quando opus fuerit.

Melius hoc epithema multo facies, si in eo vnam vel duas vncias bonæ theriacæ liquefacias.

Aliud

Aliud Epithema eidem vſui.

ACcipe duos manipulos herbæ quæ Pratorum regina dicitur, tantundem ſcabioſæ, tantũdem morſus diaboli, ſeminum malorum citriorum, cardui benedicti & oxalis, ſimul contuſorum, vnciam de ſingulis dimidiam. Iam dictas herbas laua & purga, & in vna aquæ libra coque, adde deinde ſemina contuſia, & eo vſq; bullire ſine dum colatura ad vnam libram deueniat, in quam ſuccum vnius limonis exprimes, & duo aut tria cochlearia aquæ roſaceæ, nec non aliquid theriacæ, vt ſupra oſtenſum eſt, addes, ex iiſq; omnibus liquefactis epithema conficies.

Epithema contra frigidas intemperies cordis.

SVme vini boni & odoriferi ſeptarium dimidium aut eo amplius, calefac, calefacto lintea ſeu dupla ſeu tripla intinge, eis regionem cordis ſeu pectus foue aliquantum ita madidis, expreſſa dein illi ipſi loco appone, & vbi refrigerata fuerint, renoua.

Eidem vſui adhibere quis poſſit aquam vitæ loco vini, ſed non ſine Medici conſilio.

Modus faciendi Sternutatoria.

ACcipe paulum hellebori albi, aut euphorbij puluerisati, id per tenuem pennæ tubulum naribus inſla.

MODVS FACIENDI *Suffumigia.*

SVme ſex cochlearia aut eo plus aquæ roſaceæ, decem aut duodecim garyophylla contuſa, & tria aut quatuor fruſtula corticum de citrijs malis, vaſculo indita foculo in quo parum ignis ſit, impone, & in medio cubiculi aut alterius loci colloca. inde vapor gratus admodum & pellendo aeri peſtifero efficax exſurget.

Aliud.

ACcipe septem aut octo cochlearia aceti rosati, aut alterius boni aceti, quinq; aut sex frustula corticum de malis citrijs, duodecim aut quindecim garyophylla contusa, eaq; vasculo indita, vt ante dictum est, foculo impone.

Suffumigium hoc non adeo est odoriferum vt primum, bonum tamen est.

Notabis, prædictas species nequaquam coquendas, sed tantũ ignis foculo immittendum vt liquor qui in eis est, sensim in vaporem transeat.

Illud etiam prætereundum non est, ad diuersa morborũ genera diuersas fieri suffumigationes nimirũ ex decoctis herbarum, radicum, florum seminum. ex liquoribus, gummi, succis, & similibus: quorum vsum Medicus exiguo cum sumtu & magna facilitate monstrabit.

MODVS FACIENDI FOMENTA & sacculos fomentationi commodos.

Fomentatio contra pleuresin.

SVme maluæ, altheæ, parietariæ, saluiæ, hyssopi, violarum Martiarum, florum Camomillæ, meliloti, de singulis manipulum vnum, herbas & flores purga & laua, inde concide, concisa vasi fictili incrustato aut lebeti inde, & quantum satis est, aquæ affunde. Sub finem decoctionis adde dimidium septarium boni & subtilis vini albi, percola & exprime in aliud vas fictile. huic liquori spongiam aut duplum linteolum intinge, inde calide partem male affectam foue seu fomenta, eique spongiam aut linteum calidum superimpone, & vbi refrigerari cœperit, renoua.

Sacculi contra eundem morbum.

ACcipe iã dictas herbas & flores preparatos, id est, omnia bene lota, purgata & concisa; adde his, si velis, vnciam vnam seminis lini, tantumdem fœnugræci: omnia hæc duobus sacculis, linteo veteri sed puro ea longitudine & latitudine quam Medicus dixerit aut loci male affecti ratio postularit, consutis, inde, lacti aut aquę incoque, decocto partem male affectam foue seu calefac; eidem deniq; sacculorũ alterum bene expressum applica, qui vbi refrigerauerit, alterum suppone, & sic deinceps.

Fomentatio resolutiua.

SVme maluarum, altheæ, cum vtriusq; radicib. manipulum vnum, saluiæ, hyssopi manipulos duos, florum Camomillę & meliloti, manipulum dimidium, seminum lini, fœnugræci, anisi & fœniculi simul contusorum, de singulis vnciã dimidiam. Ingredientia hæc bene præparata, vti supra indicatum est, conuenienti ordine in aqua quantum eius satis est coque, vsque dum ad viginti quatuor vncias de coctio redigatur, semissẽ huius in vesicam porci inde, eam superius colliga, & parti male affectæ seu dolenti applica; refrigeratæ, alteram vesicam altera semisse decocti repletam substitue; refrigeratæ materiam in vas idem refunde, recalefactam vesicæ rursus inde, & loco affecto applica.

Quod si vesicarum copia nõ sit, loco earum vtere spongijs aut linteis duplis, quibus partem affectam fomẽtabis, dein ea expressa, ijsdẽ impones, facta permutatione recentium loco siccorum.

Si fomentationem hanc resolutiuam sacculis velis facere, nihil aliud facias oportet, quã vt iam posita ingredientia linteis vtrinq; consutis indas, modo supra ostenso coquas, & parti affectæ imponas.

Fomentatio anodyna.

SVme tres dimidios ſeptarios lactis calidi, & parti affectę, qui iam præſcriptus eſt modo adhibe.

Sacculi reſolutiui, in vſum pauperum.

ACcipe tres aut quatuor manipulos furfuris, in vaſe bene frixi, affunde parum vini, vt ne illud nimis ſiccum ſit, duobus inde ſacculis inde & vnum poſt alterum quo dictum eſt modo, applica.

Sacculus contra ſtomachi dolorem.

SVme manipulũ aut paullo plus abſynthij minutim conciſi, tantundem roſarum Prouincialium, duobus ſacculis bene conſutis inde, aquę aut vino craſſiuſculo, aut oxycrato incoque, prout Medico viſum fuerit, & calida parti male affectæ impone. Licebit quoq; parum hyſſopi addere.

MODVS FACIENDI Cataplaſmata.

Cataplaſma ad apoſtemata & tumores.

ACcipe tres aut quatuor manipulos oxalis rotundę aut longę, sũmitatibus ſeu caudis diligenter abſciſſis, involue folio braſſicæ rubræ, cocturam fac ſuper calidis cineribus, vbi cocta fuerint, in ſcutellam aut mortarium effunde, & piſtillo contunde, miſce cum particula butyri recentis aut adipis non ſalſi. Ecce tibi Cataplaſmatis materiam, Eo vero ſic vteris:

Sume particulam dicti Cataplasmatis, linteo illine,&tumori, seu carbunculus ille sit seu apostema pestilentiale, applica.

Habet hoc Cataplasma vim emolliendi, suppurandi & resoluendi, & paruo constat, quum tamē eius operatio admodum sit excellens. Cataplasma vero indies duabus vicibus mutabis, mane nimirum & sero.

Si carbunculis aut alijs malignis vlceribus & tumoribus id velis imponere, multo melius illud reddes & effic. eius admista bonæ theriacæ particula.

Cataplasma emolliens.

SVme maluarum, altheæ. cum singulorum radicibus, absynthij parietariȩ, violarum Martiarum florum camomillæ & meliloti, de singulis manipulum vnum seminum lini & fœnugraci vnciam vnam, herbas & radices, bene laua & purga, semina contunde, duabus libris aquæ, plus minus, incoque donec omnia bene ebullierint Decoctionem hanc seu liquorem quantuluscunq; fuerit, per linteum ita mitte, vt ingredientia in superiori parte hæreant: quæ deinde conteres &percolabis eo modo quo cassiam, quādo ex ea medullam extrahimus. Postea particulam butyri recentis aut adipis, vel etiam aliquātulum olei communis admisce. sicq; Cataplasma confectum habebis.

Quod si addere velis hordei, frumenti, aut aliam eiusmodi farinam, sume quantum eius volueris, in prædicta decoctione liquefac & cum medulla ex ingredientibus expressa, additis supradictis, vel butyro, vel adipe vel oleo, bullire sine.

Cataplasma ad gangrænas & carbunculos pestilentiales.

SVme butyri recentis aut olei de oliuis vnciā vnam, tantūdem boni mellis, vitellum oui, &

parum farinæ de siligine vel frumento. Butyrum prius liquefac, aut oleum calefac, in eo vitellū oui dissolue, tum adde aliquid mellis & aliquid farinæ. Cataplasmate hoc ex Medici consilio veteris.

MODVS FACIENDI *Linimenta.*

ACcipe butyri recentis vnciam vnam, cinnamomi aut nucis muscatæ puluerisatæ drachmam vnam, butyrum lanci infunde, deinde puluerem admisce.

Aliud.

SVme olei rosacei duas vncias, drachmam vnam cinnamomi, & tantumdem garyophyllorum puluerisatorum, misce quo dictum est modo.

Vnguentum præstantissimum contra vstiones: qua nobilis quædam matrona Parisiensis multis opitulata est.

SVme particulam ceræ nouæ, & minutim concisæ, affunde aliquantum olei de oliuis, duo hæc vnà liquefieri sine, inde ab igne amotis, duos vitellos in calidis cineribus assorum ouorum, in micas tenues redactos admisce, aliquantulum deniq; hęc omnia quassa & misce. Fiet inde vnguentum.

Quo si vti velis, sume ex eo iam refrigerato quantum satis videbitur, quam potes tenuissime linteo illine vt vix vnguentum appareat, & parti

combustæ applica. Eius vi non solum dolores lenientur, sed & si cataplasma indies duabus vicibus renoues, carnem læsam ita sanabit vt nulla cicatrix sit remansura.

Modus faciendi Ceratum restauratiuum boni odoris.

SVme vncias duas ceræ albæ; & quatuor vncias olei de oliuis, ceram minutim concisam vnà cum decoctione dissolue, inde refrigescere sine. Laua deinde, & pluribus vicibus, nempe duodecies aut quindecies in aqua pura & clara quassa seu versa, aquamque singulis vicibus recentem affunde, donec vnguentum hoc instar niuis fiat candidum, Mox rursus tribus aut quatuor vicibus in aqua laua rosacea, vt bonum adipiscatur odorem, tandem vasculo ad id commodo infunde, & paullum aquæ rosaceæ affunde, vt & fragrantius fiat, & maiorem habeat vim restaurandi seu refrigerandi.

MODVS FACIENDI Collyria.

Collyrium contra scabiem pruriginosam palpebrarum.

ACcipe tria cochlearia vini albi, & tãtumdem aquæ, drachmam vnam aloes hepaticę in puluerem redactæ, misce omnia, atq; inde fac collyrium: quo si vti velis, in id linteum valde molle intinges, & parti affectę impones.

Collyrium ad dolores oculorum.

Svme chalcanti particulam exiguę fabę magnitudine, in puluerẽ redige, inde scutellę, & claræ aquæ

aquæ tria aut quatuor affunde cochlearia: quando chalcantum iam liquefactum fuerit, aqua illa hoc modo vtere.

Supremum digiti aquæ seu liquori illi intinge, & in maiorem oculi canthum duas aut tres guttas indies duabus aut tribus vicibus immitte, occlusis aliquantulum oculis, vt aqua tanto melius se per oculum diffundat.

Collyrium refrigerans & corroborans, in principio rheumatis.

Accipe aquæ plantaginis & aquæ rosaceæ, de singulis tria aut quatuor cochlearia, albumen oui recentis, misce in paropside & agita quantum satis est. Collyrio huic tepido intinge linteum simplum aut duplum, idq; tam male habere incipienti oculo quam fronti & vicinis loco affecto partibus circumpone.

Potes etiam vel sola plantaginis, vel sola aqua rosacea, aut duabus his mistis (tepidis tamen) modo iam indicato vti.

Modus faciendi Vesicatoria.

Svme cantharidum drachmam vnam aut dimidiam, in mortario contunde & in puluerẽ redige, puluerem hunc cum duplo eius vnguenti quod Basilicon appellatur, vt instar Cerati ad consistentiam quandam deueniat coque.

Huius decoctionis sume paullulum, linteo molli illine, & emplastrum inde factum loco male affecto ex Medici consilio impone.

Aliud Vesicatorium.

Svme cantharidum dicto modo puluerisatarũ drachmam vnam, commisce cum tribus aut quatuor drachmis boni leuainij, adde dimidium acris aceti cochlear, & vtere vti di-

ctum est

Aliud.

SVme drachmam vnam boni Sinapi, drachmam vnam cantharidum, contunde & in puluerem redige hunc mortario inde, adde dimidiam vnciam boni leuainij & vnum cochlear boni aceti, & vt supra ostensum, vtere.

Diligenter hic obseruabis vt tam mortarium quam pistillum calida aqua exacte eluas & purges postquam cantharides contusæ fuerint.

DE PEDVM ET TIBIarum lotionibus.

Modus faciendi aquam pedibus abluendis aptam ad somnum prouocandum.

SVme octo aut decem lactucas, aut paullo plus, aut quinq; vel sex manipulos foliorum vitis, aut quinq; aut sex capita papaueris contusa: superfunde quantum satis est aquæ: quæ vbi iam tertium vel quartum bullierit, quidquid in aheno fuerit, scaphio vel situlæ infunde, eaq; aqua tepefacta cum ingredientibus per dimidium aut quadrantem horæ pedes ablue, initio facto à superiori parte vsq; ad pedum digitos. Pedibus & tibijs sic ablutis non tamen detersis circumliga linteum mediocriter calidum, & ægrotantem rursus in lecto colloca.

DE BALNEIS.

TAm vsus balnearum quam eas apparandi modus vulgo notissimus est: eoq; hac de re multa verba facere aut præcepta tradere nihil attinet.

Hoc solum dicam, iubere nonnunquam Medicos in morborum curationibus decoqui radices

dices,herbas,ſemina, flores,& alia eius generis, aheno deinde incocta,ipſam aquam cum ingredientibus,in ſolium balneatorium infunde.

Quod ad ſiccas balneas attinet, ſeu ſudatoria mauis dicere,multi certe ijs ſalubriter vtuntur: neq; tamen propter locorum,temporum & complexionum diuerſitatem,certus modus apparandi præſcribi poteſt.

PRÆSERVATIVVM SINgulare, contra peſtem.

PRæſcripturus hic tibi ſum optimum contra Peſtem præſeruatiuum remedium, idq; factu facile,vtile omnibus,nemini noxium,& exiguo conſtans ſumtu.

Sume malum citreum integrum & bene corpulentum,cuius pondus quatuor æquet vncias, diſſeca in paruas quaſi rotulas,immitte vaſi cõmodo, cum octo vncijs eius aquæ quæ regina pratorum dicitur, aut Cardui benedicti, vel ſcabioſæ,aut earum decoctionis,cui illa tamdiu incoqui ſine,donec nihil aut parum liquoris ſuperſit,ſed bene caue ne vlla fiat aduſtio: eoq interdum ſpatula aut cochleari eum mouebis ac quaſ ſabis. Materiam hãc in marmoreum inde mortarium,& ligneo piſtillo bene contunde,vſq; dũ rurſum maſſa fiat,cui admiſcebis & vnà contundes quatuor vncias mollis Conſeruæ roſarum rubearum, & duas drachmas theriacæ Venetæ,ac tantum Confectionis hyacinthi. Hæc bene miſta,in vaſe fictili incruſtato ſeu vitreato aſſerua,& de præſeruatiuo iſto mane vna aut duabus horis ante cibũ pro grandiuſculis drachmã vnam,pro paruulis dimidiam drachmam decerpe,& in cochleari porrige, cum pauxillo ſyrupi aut ſucci limonum,aut oxycrati,cuius etiampoſt illud

illud ſumtum mediocre vitrum plenum epotabis, aut aquam fontanam, admiſtis quatuor vini cochlearibus.

In delicatiorum vſum, poteris omittere & theriacam & confectionem hyacinthi, ſed eius loco adhibebis malum citrium, ita vt dictum eſt, pręparatum, cum Conſerua roſarum.

Quod ſi verearis ne peſtilentem aliquem halitum vel aerem hauſeris, vteris prædictę theriacæ viginti aut triginta granis, in pauxillo oxycrati aut vini lymphati diſſolutis.

FINIS PARTIS PRIMAE.



MEDI-



MEDICI DOMESTICI
PARS SECVNDA.
MODVS CONFICIENDI Syrupos.
Syrupus violaceus.

HIC diuersis fit modis, sed præcipuè tribus.

Primus, qui etiam reliquis melior est, sic habet.

Fiunt tres infusiones vnius libræ singulis vicibus violarum mundarum in quatuor libras aquæ calidæ. In vltima infusione percolata & expressa, quæ continet quatuor libras & dimidiam, adduntur quinq; libræ & dimidia boni saccari.

Alius.

SVme quatuor vncias succi violacei ad singulas libras saccari quasi in consistentia seu congelatione cocti, eo modo quo è saccaro rosato tabulæ fiunt.

Alius.

COque libram vnam saccari vsq; ad consistentiam, vti saccarum rosatum fieri solet, inde quatuor vncias florum violarũ, in mortario marmoreo, ligneo pistillo contunde, linteo puro percola, & misce, ita vt ad sedecim fiant vnciæ.

Syru-

Syrupus ex Tussilagine seu Chamaleuce.

FIunt tres infusiones semilibræ singulis vicibus florum Tussilaginis in duabus aquæ libris. Vltimæ infusioni percolatæ, expressæ, & clarificatę additur sesqui libra saccari: & continet syrupus hic 29. aut 30. vncias.

Syrupus ex floribus mali Persicæ.

FIunt nouem infusiones, nimirum singulis vicibus vnius librę dictorum florum, in quatuor libras aquæ, cum vltima infusione percolata & expressa Coquuntur inde quatuor libræ saccari & fit Syrupus, qui continet quinque libras.

Syrupus ex Rosis pallidis.

NOuem fiunt infusiones, singulis vicibus, vnius librę florum rosarum pallidarum, in quatuor aquæ libris. Cum vltima infusione, quę colata & expressa quinq; libras cõtinet, coquuntur quatuor libræ saccari, & sic fit syrupus, qui continet quinq; libras.

Ex Papauere simplici.

FIt infusio septem vnciarum & dimidiæ Papaueris albi, & tãtidem nigri, per 24 horas, in quatuor libris aquæ pluuiæ: coquuntur hæc tantisper donec & decoctio colata & expressa deueniat ad vnam libram & dimidiam, cum qua coquitur vna libra saccari & tantundem Penidum. Continet Syrupus his vncias viginti.

Syrupus ex floribus Nenuphar.

TRes fiunt infusiones vnius libræ florum alborum Nenuphar singulis vicibus in quatuor aquæ libras. In vltima decoctione colata & expressa coquuntur quatuor libræ saccari. Continet Syrupus hic 5. libras.

Syru-

Syrupus ex floribus Capilli Veneris communis.

FIt infusio & decoctio simplicium in quinq; libris aquæ, inde alia leuis fit decoctio, qua colata & clarificata cum quatuor saccari libris, syrupus factus erit, continens quinque libras.

Syrupus Althaæ seu Ibisci.

RAdicum, fructuum, herbarum, seminum simul fit decoctio in debita aquæ quantitate, vsque eò vt decoctio percolata deueniat ad quatuor libras, cum qua deinde coques tres libras saccari. Continet syrupus hic vncias 60.

Ex cichorea, cum Rhabarbaro compositus.

DEcoctio radicum, herbarum fit secũdum artẽ seu modum vsitatum in sufficienti aquę quãtitate, & è colatura clarificata cũ quinq; saccari rosati fit syrupus consistens seu aliquo modo cõgelatus. Amoue ab igne, & cũ infusione ex sex vncijs rhabarbari, & vnius vncię spicanardi aut cinnamoni expressa dissolue. Factus inde Syrupus continebit 7. libras, aut paullo amplius.

Syrupus simplex Cichoreæ.

SVme quatuor libras decoctionis percolatæ & clarificatæ cum quatuor saccari libris. Habebis syrupum quinq; circiter librarum.

Intybi simplicis.

CVm octo libris succi ex intybo puri & clarificati coquuntur quinq; librę saccari. Continet Syrupus hic sex libras, & amplius.

Ex fumo terræ.

DVæ libræ succi ex fumo terræ clarificati coquuntur cum duabus saccari libris. Habet vncias 40.

Ex

Ex Buglossa.

SEx libris succi de Buglossa clarificati incoquitur vna libra florum eiusdem: colatur inde, & clarificatur decoctio, quæ venit ad quinq; libras, adduntur quatuor saccari libræ, & fit Syrupus quinq; librarum circiter.

Ex lapatho.

COquuntur tres libræ succi de Lapatho ad solem purificato, cum duabus saccari libris. Habet Syrupus 40. vncias.

Syrupus Bysancius simplex.

COquuntur, despumantur & purificantur succi, &cum duabus libris percolatis coquuntur duæ libræ & dimidia saccari. Continet tres, & amplius libras.

Syrupus Bysancius compositus.

IN quatuor libris succorum purificatorum coquuntur simplicia descripta: decoctioni percolatæ & clarificatæ infunduntur duæ libræ aceti, adduntur tres libræ saccari. Hinc fit Syrupus librarum quatuor.

Syrupus acetosus.

QVatuor libræ aquæ fontanæ coquuntur cum quinque saccari libris vsq; ad medietatem, sublata spuma quæ supernatat: adduntur paullatim tres libræ boni aceti, &vnà coquuntur vsq; ad syrupi consistentiam: qui continet sex libras & amplius.

Syrupus ex Cydonijs simplex.

COquuntur quatuor libræ succi è Cydonijs clarificati cum trib. saccari libris. Continet 60. vncias.

Ex malis seu pomis syrupus simplex.

AD eundem omnino modum cum quatuor libris succi malorum clarificati coquuntur tres

tres libræ ſaccari, fitq; ſyrupus eiuſdem ponderi qui ſupra.

Compoſitus ex eijſdem.

IN quinq; ſucci libris macerantur per 24. hora quatuor vnciæ foliorum ſenæ, & dimidia vncia aniſi viridis. Decoctum vbi bis aut ter bullierit, colatur & exprimitur: colato & expreſſo adduntur tres ſaccari libræ, ſicque fit ſyrupus, habens vncias ſexaginta: cui ante coctionem inijcitur aliquantum Croci linteo illigatum, ſæpe exprimendo.

Menthæ ſimplex ſyrupus.

FAcilis hic modus eſt. Nam cum tribus ſucci clarificati, libris coquuntur totidem libræ ſaccari. Continet ſyrupus hic 60. vncias.

Ex roſis ſiccatis.

FIt infuſio trium aut quatuor vnciarum roſarum ſiccarum in ſeſquilibram puræ aquæ per 24. horas, decoctio fit leuiter ſeu molliter: decocto colato & expreſſo incoquitur vna ſaccari libra. Continet 20. vncias.

Iulep roſatum.

QVatuor vnciæ boni ſaccari coquuntur cum octo vncijs aquæ roſaceæ, vſque ad Iulepi conſiſtentiam, id eſt, parum ſeu leuiter.

Abſynthij ſyrupus.

FIt infuſio ſimplicium in duabus libris & dimidia vini albi, additur tantundem ſucci de Cydonijs; deinde fit decoctio quæ colata & clarificatá venit ad medietatem: cum hac denique coquuntur duæ libræ ſaccari. Eſt 40. vnciarum.

Stœchadis.

FIt decoctio ſimplicium in decem aquæ libris, quæ poſt coctionem & percolationem redeunt ad quinque: decocto inijciuntur duæ ſaccari libræ, & totidem mellis deſpumati, fitque ſyrupus cinnamomo, zinzibere, &c. aromatizatus, quinque librarum.

Ex

Ex glycyrrhiza.

FIt infusio ingredientium in quatuor aquæ libris: decoctio facta redigitur ad tres libras colatas & clarificatas, cum qua coquuntur mel despumatum, penides & saccarum quantum satis videbitur.

Ex hyssopo.

SImplicium fit decoctio in sex aquę libris, cum cuius medietate colata & clarificata coqũntur duæ libræ Penidum. Fit Syrupus inde 40. unciarum.

Syrupus ex Prassio.

IN octo libris hydromellis bene aquosi fit decoctio simplicium vsque ad medietatem : cum qua colata coquuntur duæ libræ mellis despumati, & totidem saccari. Syrupus hic aromatizatur vna vncia Iridis Florentinæ puluerisitarę: estq; quinq; librarum.

Ex Raphanis.

FIt decoctio simplicium in decem aquæ libris, quæ coctæ & colatæ ad sex libras redeãt : cum his coquuntur quatuor libræ saccari, & vna libra mellis. Aromatizatur cinnamomo & nuce muscata. Continet 6. circiter libras.

Syrupus Artemisiæ.

INfusio fit & decoctio simplicium in octo libris hydromellis , quæ redigitur ad quinque libras percolatas, additur tantundem saccari. Fit syrupus 6. circiter librarum.

MODVS COMPONENDI Syrupos mellitos.

Oxymel simplex.

COquuntur duæ mellis libræ in aqua, sublata assidue quę supernatat spuma, paulatim affunditur libra boni aceti, dum ad liquidam redigatur consistentiam. Ex his redeunt duæ libræ & dimidia.

Oxymel sciliticum.

TRes libræ mellis despumati coquuntur cum duabus libris aceti scilitici. Totum redit ad 4. libras, aut circiter.

Oxymel compositum.

FIt decoctio simplicium in duodecim aquæ libris vsq; ad medietatem: cum qua colata & clarificata coquuntur quatuor libræ, aut co amplius, boni mellis, & vna libra aceti. Continet 4. ibras, aut paullo plus:

Oxymel sciliticum compositum.

SI loco aceti communis oxymelli affuderis acetum sciliticum, inde Oxymel sciliticum cōpositum appellabitur.

Acetum sciliticum.

PReparatarum (id est bene mūdatarum) scillarum sumitur vna libra, cui in vitream lagenā immissæ superfunduntur octo libræ boni aceti. Vas bene obturatum soli æstiuo exponitur, aut hyberno tempore in hypocausto collocatur per 40 dies: quod si aliunde calorem habere non possis impone cineribus aliquātulum calidis per 7. aut 8. dies Percola deinde, scillam bene expressam abijce, liquorem seu acetū subsidere sine, &

quod

quod purificatum fuerit vasi bene obturato immitte, & ad vsum tuum serua.

Hydromel vinosum simplex.

QVadraginta aquæ libris incoquũtur sedecim boni mellis libræ, eousq; dum ouum crudũ iniectum supernatet, aut liquor ad Iulepi consistentiam deueniat. Amotum inde ab igne liquorem vasi commodo infunde, & per aliquod tempus solis radijs expone. Obturatum vas postmodo in vsum asserua.

Mel despumatum.

SVme quinq; libras boni mellis, & tantundem aquæ, si mel sit bonum; si sordidiusculum sit, eius altero tantum sume. Peluiimmissa, semel bullire sine: per linteum purum quidem sed non tenue, aut subtile percola: colatum pelui reinfunde, & igni impone, spumam cochleari frequentibus foraminibus peruio tolle, sicq; ad syrupi aut mellis consistentiam coqui sine. Redibunt inde duæ libræ & dimidia, aut tres libræ.

Mel rosatum.

MEl hoc multis fit modis: quorum ego quatuor hic indicabo.

Primus. Fit libræ vnius infusio florum rosarũ rubearũ recentium, in mortario marmoreo contusarum, cum tribus despumati mellis libris.

Secundus. Tres fiunt infusiones vnius libræ florum rosarum rubearum recentium, singulis vicibus in tres libras mellis despumati.

Tertius fit vna libra rosarum rubearum recentium & integrarum in marmoreo mortario cõtusarum, & tribus mellis libris.

Quarto modo, tres fiunt infusiones rosarum rubearum prædicto modo contusarum, singulis vicibus vnius earum libræ, in tres mellis libras.

Duobus qui sequuntur modis Mel rosatum vulgo fit, vti & Mel violaceum, & Mel Mercuriale.

EXempli gratia. Sume tres libras succi Mercurialis clarificati & percolati, coque cum totidē libris boni mellis cōmunis, vbi prius per linteum crassum (vti supra dictum est de melle despumato) expresseris: coctum inde, sine despummatione, ad consistentiam peruenire sine.

Sapa, seu Vinum coctum.

COquuntur duodecim libræ musti albi bene maturi, ad ignem bene clarum, vsq; ad consumtionem duarum ex tribus partibus, diligenter quę supernatat ablata spuma, vt decoctum tāto sit clarius, & palato gratius. Redibit ad quatuor aut tres libras.

DE CONSERVIS.

Conserua ex Violis.

LIbram vnam violarum mundatarum in marmoreo mortario pistillo ligneo contūde: adiunge duas saccari libras: immitte vasi, & soli expone, spacio viginti dierum, aut trium septimanarum. Conserua hæc erit 45. vnciarum.

Ex Rosis Conserua.

EOdem modo fit Conserua ex Rosis; sumitur scilicet libra vna foliorum præparatorum, & duplo plus additur saccari. Redit ad 45. vncias.

Conserua ex floribus Nenuphar Buglossæ, Borraginis, Betonicæ.

COnserua ex his & alijs huiusmodi herbis ad eūdem plane fit modum. Nec nos hęc peritis, sed

sed non admodum scribimus. Iam ad Electuaria veniamus.

DE ELECTVARIIS Purgantibus.

Electuarium Diacassiæ.

FIt decoctio simplicium, cum qua percolata & expressa coquuntur octodecim vnciæ saccari, ad consistentiam syrupi bene spissi, admiscētur duodecim vnciæ Cassiæ bene mundatæ. Fit Electuarium 30. vnciarum.

Electuarium lenitiuum.

FIt decoctio specierum secundum artem: cui percolatæ & expressæ saccarum incoquitur, vt fiat syrupus, cum quo deinde pulpæ & pulueres miscentur. Electuarium erit 38. aut 40. vnciarum.

Electuarium Catholicon.

FIt decoctio polypodij & anisi, & cum saccaro percolatur. Syrupo huic miscentur pulpæ & pulueres.

Electuarium ex Prunis simplex.

DEcoctioni prunorum seu aquæ, in qua pruna decocta sunt, coquitur aliquantum saccari quantum satis est, vt ad syrupi debitam consistentiam redigatur: adduntur pulpę & pulueres. Continet 44. vncias.

Electuarium ex ijsdem laxatiuum.

SIngulis iam descripti Electuarij duodecim vncijs admiscetur dimidia vncia scammoneæ præparatæ.

Electuarium ex Dactylis.

MIscetur secundum artem pulpa dactylorum præparatorū secundum artem, vt & pulueres,

cum melle despumato. Habet 36. vncias.

Confectio Hamech.

Fit infusio & decoctio specierum in lacte claro, decocto percolato admiscentur succi, pulpæ, saccarum & mel: inde iteratur coctio, ad mistis pulueribus. Erit hæc Confectio 44. au paullo plus vnciarum.

DE HIERIS.

Hiera picra Galeni.

Species ingredientes in puluerem redactæ miscentur quatuor despumati mellis libris. Continet quatuor libras, vncias quatuor, sex drachmas.

Puluis Hieræ simplicis absq; Aloe, & cum Aloe.

Hieræ hæ eodem fiunt modo quo superior, nisi quod additur vel omittitur; vti & Hiera picra cum agarico, & Hiera Diacolacinthidos Pacij:

DE ELECTVARIIS Solidis.

Electuarium Diacarthami.

IN puluerem rediguntur species ingredientes; cotoniatum in mortario marmorio pistillo ligneo contunditur, affunditur mel rosatum, & manna bene purgatum: saccarum in aqua ad formam conuenientem coquitur, ei liquori adhuc calido & cotoniatum, & mel rosatum, & manna commista infunduntur, adduntur postea pulueres. Amouetur tandem vas ab igni, & ex decocto aliquantum refrigerato fiunt tabulæ, quarum singulæ habeant pondus vnciæ circiter dimidiæ.

Succi

Succi rosacei Electuarium.

SVccus rosarum rubearum purificatus cum saccari debita quantitate coquitur vsq; ad consistentiam Electuarij solidi; amoto ab igni & paullum refrigerato admiscentur pulueres, ex decocto formãtur tabulę binarum circiter drachmarum & dimidiæ.

Electuarium ex malis Citriis solutiuum.

IN puluerem redactis speciebus, & corticibus Citriorum & Conseruis in mortario marmoreo contusis, coquitur saccarum in aqua forma conuenienti, cum aqua rosarum aut buglossæ, vt in eo liquore Conseruæ primum, deinde pulueres dissoluantur. Formantur inde tabulæ, quarum singularum pondus sit dimidia vncia.

DE TROCHISCIS purgatiuis.

Trochisci ex Rhabarbaro.

REdiguntur species in puluerem, malacissantur succo Eupatorij, inde in trochiscos formantur: qui siccati ad vsum seruantur.

Trochisci ex Agarico.

AGaricum lima abrasum aqua vitæ malacissatur, in loco dein opaco siccatur, & plane in puluerem redigitur, inde rursus aqua vitæ malacissatur, siccatur, & ad vsum seruatur.

Trochisci Alhandel.

SVme decem vncias pulpæ Colocinthidis à granis purgatæ, & cultello minutim concisæ, molliter in mortario cõtunde, affusis aliquot olei cõmunis aut rosati guttis: incorporacũ muci-

lagine gummi Arabici, Tragacanthi & bdellij, in aqua rosacea: fac inde trochiscos, & in opaco loco eos sicca. Siccatos dein iterum in puluerem redige & cum eo quod ex mucilagine reliquum fuerit malacissa, & in trochiscos forma.

DE PILVLIS.

Pilulæ stomachales seu ante cibum.

PVluerisantur species secundum artem, malacissantur syrupo rosato aut absynthiaco. Fit inde massa: quæ sicca, continet drachmas quindecim.

Pilulæ Rufi.

IN puluerem, vti dictum est, redigantur species, vino mellito malacissantur. fit inde massa, siccata continens 30. circiter drachmas.

Pilulæ è Mastiche.

SPecies puluerisatæ malacissantur s. q. hydromellis vinosi, fit massa continens siccata 20. drachmas.

E tribus solutiuis.

REdactæ in puluerem species syrupo rosarum pallidarum malacissantur. fit massa, quæ sicca continet 13. drachmas.

Pilulæ Imperiales.

PVluerisatæ species malacissantur syrupo violarum. Massa sicca continet 10. vncias.

Pilulæ sine quibus.

PVluis specierum ingredientium malacissatur melle purificato & feniculi iucco. Massa continet 6. vncias circiter.

Aureæ pilulæ.

MAlacissatur puluis specierum melle rosato: fit inde massa 32. drachmarum.

Agarici pilulæ.

QVæ ingrediũtur species, puluerisatæ malacissãtur vino cocto. Massa est 30. drachmarum.

Pilulæ ex hermodactylis magnis.

IN puluerem redactæ species malacissantur iusculo brassicæ, infusis gummi colato & cocto.

Ad eundem fere modum reliqua pilularum fiunt genera, nisi quod malacissatio sit diuersa.

Reliqua quæ huc pertinent persequi, non est nostri instituti.

MEDICI DOMESTICI.

LIBER III.

IN QVO MODVS MAGNA cum facilitate, & paucis sumtibus Medicamenta composita domi præparandi Methodus docetur.

Modus saccarum & mel clarificandi.

CAPVT I.

SAccari boni & electi indicia sunt, si sit candidũ durum, solidum, clarum, nitidum, sapore dulce: quod genus clarificatione seu purgatione opus non habet: vt quod nullam, aut parum spumæ emittat. quod vero deterioris est notæ, sequenti modo purgare poteris.

Accipe (exempli gratia) duas saccari libras, & frustulatim comminue, comminutum pelui aut alij vasi commodo inde, affunde libram vnam aquæ, decoctionis aut infusionis, vt liquescat, dũ vero liquefit, sume duo ouorum albumina cum eorum testis, quas manu comminutas alteri pel-

ni indes, & ſcopulis è iunco aut minutis ramentis factis quaſſabis, inde alteram libram dictorũ liquorum paulatim vel frigidam vel tepidam affundes, & ad menſuram qua funditur, ſcopulis ſeu faſciculo illo ex ramentis bene conquaſſa, id totum poſtea cum ſaccaro iam liquefacto miſce.

Quo facto, peluim ſeu vas cum liquore fornaci impone, & mediocri igne calefac, liquorem interim ſeu ſcopulis illis ſeu ſpatula interdũ quaſſans, vbi dein ſpuma ſordida ſe eleuare & ſupernatare cœperit, vas ab igni amoue, & liquorem per linteum, infrapoſito alio vaſi cui influat percola. Quod ſi nondum ſatis clarificatum ſaccarum videatur, duabus aut tribus vicibus idem itera, dum tamen liquor adhuc ſit calidus.

Nota. Ad ſaccarum purgandum, ad ſingulas ſaccari libras vna aquæ, aut decoctionis vel infuſionis libra ſumenda eſt, & vnum oui albumen, cum teſta eius comminuta; & ſi ſordidius illud ſit, paullo plus & liquorum & oui albuminum adhibendum.

Nota item, quod ad Syrupos illos qui ex ſuccis clarificatis fiunt, vt Cotoneorum, ceraſorum, pomorum, bonum & electum ſaccarum ſit adhibendum, ſi namq; vnà cum ſaccaro rurſus purificentur, nonnihil efficaciæ omnino amiſſuri ſint. Tã ergo in his quam aliis componendis ſyrupis, ſi puri puti ſaccari copia non ſit, ſordidum quo prædictum eſt modo prius purgabis.

Sed & hoc nota, quando ſaccarum percolatur, linteum ſeu ſaccum per quem ſit colatio, non ſtringes aut exprimes, ſed quod infuſum erit, paullatim atq; etiam guttatim defluere ſines.

Mellis purificatio.

AD mel purificandum, ſume eius vnam, duas, aut quot velis libras, inde vaſi commodo, adde

de tantundem aquæ vel alterius liquoris, impone foco, semel aut bis bullire sine dum dissoluãtur: statim deinde linteo aut sacco crassioris fili percola, eius quod percolatũ fuerit binis libris, albumen oui cum testa confracta (vt supra de saccaro dictum est) adde; liquorem iterum semel aut bis super foco bullire sine: per crassum statim linteum, sine vlla strictura aut expressione, cola: Secunda hæc colatura coquatur ad eam, quæ Medico videbitur, consistentiam.

Si mel valde sit impurum, plus liquoris, vti & plura ouorum tam albumina quam testas adijcies, vti & supra de saccaro est ostensum.

Nota verò, quando mel cum liquoribus transmittitur seu colatur, calidum esse oportere: quũ tamen saccarum repurgandum tum quidem refrigerari aliquantum prius debeat.

Quum despumatio opus seu species sit clarificationis, scio saccarum, mel, syrupos à nonnullis tum despumari, quando coquuntur: ego vero suaserim vt in fine coctionis tantum, aut etiam iam vase ab igni amoto, fiat despumatio, si nimirum saccarum & mel pura sint & lecta; si vero sordidiuscula, & multum spumæ sordidæ eijciant, illud alterum fieri satius erit.

Modus decoctiones & infusiones singulares, absq; saccaro purificandi.

CAPVT II.

DEcoctionum & Infusionum colatio per lintea aut saccos fieri non debet, dũ adhuc sunt cali-

dæ

dæ, sed quum iam tepescunt: & binis decoctionis vt & Infusionis libris additur vnum oui albumen cum testa confracta, hoc modo:

Sume albumen oui, cum testa oui comminuta, inijce in vas, & virgularum fasciculo, cum dimidia libra decoctionis aut infusionis quassa vt spumescat, sicut præcedenti capite monstrauimus. Affunde postea paullatim quod reliquum est decoctionis seu infusionis, & verberationem continua ad mensuram qua funditur. Hæc simul foco impone tamdiu dum semel aut bis bulliant: quãdo spumam sordidam sese eleuare & supernatare videris, ab igni remoue, & paullum seu ad dimidium refrigescere sine, tum demũ linteo percola.

Modus purificandi Apozemata Syrupis, vti & lac clarum.

CAPVT III.

QVi apozematis libenter vtuntur, sic ea purificabunt.

Sume vnam libram & dimidiam decoctionis simplicium percolatę, eam oui albumine & testa, quo supradictum est modo, clarifica inde in vas commodum, idq; igni appone. Quando liquor iã bullire incipit, inijcitur Syrupus. Si spuma se ostenderit, amouetur ab igni, donec ad dimidium refrigescat. Linteo dein bis, ter aut quater percolatur tamdiu scilicet, quoad apozema clarum & purum sit.

Si quis apozema hoc vno ex pulueribus qui cordiales dicuntur, aromatisare velit, sic faciet: Antequam liquorẽ in linteũ seu saccũ infundas, huic quantum velis pulueris superimponas seu inspergas, inde super eodem puluere ter aut quater fundas & refundas.

Sciendum hic quatuor decoctionis, quam clarificare quis vult, vncijs inijciendum vnam syrupi vnciam: totum verò quando percolatum fuerit, quar-

quarta sui parte minutum deprehendetur.

Accipe lactis clari dulcis quatuor libras, saccari boni vncias sex, vasi commodo simul infunde. Saccaro dissoluto seu liquefacto, igni appone vsque dum semel aut bis bulliat: adde sex vncias succi limonum aut malorum citriorum, atque iterum semel aut bis bullire sine: refrigeratum bis aut ter per linteum purum transmitte seu percola: sic lac clarum habebis, gustui admodum gratum.

Si lactis clari non sit copia, facies hoc modo. Sume sex libras boni lactis, infunde vasi fictili incrustato seu vitrato, aut etiam stanneo: inde accipe coaguli ? frustulum, quod fabæ æquet magnitudinem: id in lance, affusis tribus aut quatuor dicti lactis cochlearibus, liquescere sine, totum deinde in ollam seu vas in quo lac est, infunde: eam ollam postea bene opertam calidis impone cineribus, per spacium duarum, trium aut quatuor horarum, quo tempore totum lac clarificabitur. id deinde per linteum duplum aut etiam triplum transmitte, vt quod reliquum est casei & cremoris à lacte separetur.

Exprimendi succos modus.

CAPVT IV.

SVccus herbarum eringij, plantaginis, rutæ, betæ, lactucæ, betonicæ, artemisiæ, opij seu atri oleris, mercurialis, & aliarum adhuc recentium hoc modo commodè exprimitur.

Impletur mortarium seu aheneum seu ferreum radicibus aut herbis bene purgatis & lotis, si opus sit, hæ deinde pistillo ferreo valenter contunduntur: contusæ, linteo valido seu recenti, superiori parte bene ligato & constricto induntur, id prelo subditur, & expressus liquor vase fictili incrustato aut stanneo excipitur.

Operam vero dabis vt quotiescunque aliud radicum aut herbarum genus contundere velis,

mortarium, vti & prelum aqua calida, vel etiam frigida prius abluas, ne herbæ vnius succus alterius gustum atque etiam vires (quæ tamen in illis, admodum diuersæ) ad se trahat. In vniuersum enitendum vt simplicium succos quam maxime fieri potest, integros & minime corruptos habeamus.

Sunt vero etiam quædam simplicia quę non in aheneis seu ferreis, sed marmoreis aut lapideis mortarijs contundi debent, vti partim indicauimus, partim postea dicemus.

Modus è cotoneis exprimendi succi.

CAPVT V.

Singula mala cotonea vnum post alterum lima comminue. hoc enim modo plus exprimes succi quam si in mortario lapideo ea contundas. Quod lima abrasum fuerit, robusto illigabis linteo, & prelo subiectum exprimes.

Modus extrahendi succi è rosis rubeis & albescentibus,

CAPVT VI.

Svmuntur prædictarum rosarum folia, & in mortario lapideo bene admodum contunduntur, vsque dum quasi in placentam redigantur: quæ itidem linteo robusto excepta prelo subijcitur.

Eodem fere modo succi ex Oxyacantho, moris & cerasis exprimuntur. ex his tamen nuclei prius eximendi.

Modus succi è malis Granatis seu Punicis exprimendi.

CAPVT VII.

MAla Punica primum decorticantur: cortex ve-

vero, quem Plinius Malicorium vocat, diligenter asseruatur. Tum omnia quæ intra malum sunt, nimirum & grana & tenues illæ pelliculæ quibus grana vndique circumdantur & quasi includuntur, linteo robusto illigata prelo subijciuntur.

Ex malis citrijs & limonibus exprimendi succi modus.

CAPVT VIII.

Citria mala, vt & limones per medium disseca, inde cultro circumcide: quod ita circumcisum fuerit (id est, pulpa) linteo inditum prelo subijcitur.

Alius modus:

Mala citria aut limones in quatuor seca partes & corticem seu pellem à pulpa separa: quæ, vt dictum est, prelo subditur & exprimitur. Quia vero pulpa tam bene nunquã exprimitur quin succi aliquid remaneat; non abs re fuerit eam aqua recenti humectare aliquantulum, deinde rursus linteo illigatã prelo subijcere. Quod hinc expressum fuerit, vel iusculis infundi, vel ad alios, quos quis volet vsus adhiberi poterit.

Modus prædictos succos clarificandi.

CAPVT IX.

Qvando quis prædictis modis succos illos extraxerit, singuli vasis vitreis indendi, hæcq; ad solem exponenda sunt spacio duorũ, triũ aut etiam complusculorum dierum, vt fæces in fundum subsidant. Singuli deinde per linteum, paullatim tamẽ ne fæces quæ in fundo sedẽt, vna sequantur, percolãdi sunt, fæx autẽ abijciẽda.

Si vero ijs statim vti velis, poteris id eo modo facere qui adhibetur in Syrupis & alijs eiusmodi componendis. Si autem eos in futuros vsus asseruare velis, immitte eos in lagenam

vitream

vitream duplam, & fac vt illa plena sit ad orificium vsque, duorum tamen digitorum relicto spacio, quod oleo oliuarum replebis, lagenam demum bene obturatam in loco temperato collocabis & asseruabis.

Quod si inde quid ad vsum velis depromere, peniculo aut fasciculo Xylino seu gossyppino oleum (quod illi statim adhærescet) extrahes seu auferes, sicque succo puro & claro potieris: quem rursus per linteum transmittes, vt tanto sit clarior & purior.

Succus ex Moris ita purificatur. Extractus iam & ad primam bullitionem coctus infunditur vasi è cupro, tum plane feruefactus, semel tantum & paullatim quidem, per linteum percolatur, & ex eo quod percolatum fuerit, vnà cum saccaro statim fit syrupus.

Cerasorum succus ad solis radios purificatur, linteo Dein percolatur, & ex eo quod percolatum fuerit, vnà cum saccaro fit syrupus.

Modus exprimendi succi è pomis, eumque clarificandi.

CAPVT X.

Lima comminue poma quæ voles, vnum post alterum. vti de cotoneis supra dictuum est, totum id linteo inditum prelo subijce, & succum exprime. Hunc deinde semel aut bis bullire sine, semel itidem aut bis percola, colatum lagenæ inditum, soli expone, aut in alio loco repone, vt aliquot diebus non moueatur, sicque crassiores partes in fundum descendant. Postea rursus linteo puro percola & ex eo quod percolatum fuerit, vel syrupum fac, vel ad alios vsus adhibe. Si asseruare velis, immitte in lagenam vitream duplam, & oleum oliuarum, vti præcedenti capite ostensum est, affunde.

Nota,

Nota, succos hos hyberno tempore in cellis subterraneis asseruandos.

Modus coquendi saccarum ad consistentiam seu congelationem, vt inde fiant tabulæ saccari rosati.

CAPVT XI.

COque saccari quantum voles in aqua, nempe singulas saccari libras in aquæ libra dimidia, ad consistentiam debitam, quam ex his signis deprehendes.

Primo, fumus qui à saccaro è pelui aut aheno emittitur, quando coctio debito modo peracta est, valde est exiguus.

Secundo, spatula sume exiguam saccari particulam, & in terram proijce: quæ dum proijcitur in aere velut laneus apparet floccus, & quod in terram ceciderit, digitis rursus ita eleuatur vt nihil illi adhærescat, vti etiam si quis paullum in quadram vel mensam mittat, si tamen prius sit refrigeratum.

Sumere etiam paullum inde poteris spatula aut cochleari argenteo, & vbi aliquantum tenueris, è sublimi defluere sine, tumque longum & tenue quasi filum videbis sese efformare, cuius medietas vbi in terram deciderit, altera ad spatulam seu cochlear redibit. Hoc quidem signum est coctionem iam ad debitam consistentiam esse factam, eoque vas ab igne remouebis.

Coctionis huius debitam perfectionem cognosces quoque ex saccari ab igne amoti & paullum refrigerati spissitudine.

Modus coquendi saccari, ad faciendas tabulas, cum puluere.

CAPVT XII.

AD tabulas has componendas, si melioris sac-

cari non ſit tibi copia, ſume quod ſit mediocre, & quando fere coctum fuerit, deſpuma. Non vero ſaccarum hic ad eam conſiſtentiam, vt in ſaccaro roſato, coquendum eſt, ſed quæ paullum ab illa abſit. Debitam conſiſtentiam cognoſces, ſi ſpatula parum in terram aut quadram mittas, illud autem ſpiſſeſcat, nec defluat inde ſed adhæreat: Similiter ſi paullum ſpatula deſumas, & vbi aliquantum refrigeratum fuerit, è ſpatula defluere ſinas. Tum enim filum illud nequaquam tam longum, vti in ſaccaro roſato, ſed tota ſemiſſe breuius apparebit.

Vt vero vno te abſoluam verbo, iudicio hic opus eſt. Ad tabellas enim faciendas in quas binæ pulueris drachmæ pro binis ſaccari vncijs ingrediuntur, ſaccarum non ita coquendum eſt vti ad Tabellas, quæ Triaſantali vocantur, & alias, vbi pro duabus vncijs ſaccari vna tantum drachma pulueris ingreditur.

Modus coquendi ſaccari & mellis in conſiſtentia, ad facienda & liganda mollia Electuaria.

CAPVT XIII.

ACcipe Saccarum & decoctionem ſeu infuſionem, vas cui indita ſunt, igni è carbonibus accenſis appone, nec tum vel poſtea quidquam deſpuma. Debitam vero conſiſtentiam his indicijs cognoſces.

Paulum ſpatula vel cochleari argenteo, in quadram effunde, quod vbi frigefactum fuerit, & verſa quadra, nuſquam aut certe parum diffluat, & digitis tactum, glutinoſum deprehendatur: Illud etiam quod ſpatulæ aut cochleari adhæſerit, vix ac ne vix quidem deflu-

defluat, signum est perfectæ coctionis.

Debita mellis consistentia eisdem indicijs deprehenditur, fiuntque omnia hoc modo.

Vbi mel qua supra dictum est ratione clarificatum, vasi inditum, & coctum fuerit, consistentiam debitam ita cognosces. Sume mellis particulam, & spatula vel cochleari in quadram mitte, refrigerato eo, quadram in latus inclina: si nihil aut parum diffluat, vas ab igni remoue, & liquorem tuo adhibe vsui. quem si asseruare velis, refrigerari paullum sine, dein ollæ commodæ, incrustatæ scilicet inde, huic papyraceum operculum pluribus locis acu (foraminibus nempe ita angustis, vt nec quidquam sordium illabi, nec muscæ aut alia animalcula ingredi possint) pertusum superimpone. Liquore iam plane frigefacto ollam in locum temperatum repone.

Melle hoc si vti velis, nihil aliud necesse est facias, quam vt quantum velis ponderis inde demas, & in pelui seu olla calefacias.

De infusionibus ad faciendos syrupos.

CAPVT XIV.

AD syruporum qui è floribus fiunt faciendorum infusiones, sume illorum quatuor vncias pro singulis aquæ bene calidæ libris, vti inferius dicemus. Infusiones autem fieri debent in vasis fictilibus incrustatis, aut stanneis, quæ orificium habeant angustum, ad instar vrnarum.

Nota, vas in quo fit infusio debere obturari, ne vis liquoris seu specierum exhalet.

Nota etiam, si plures fiant infusiones, vna scilicet post aliam, vt in Syrupis, necesse esse vt prima infusio fiat aqua feruente desuper infusa, reliquæ vero solummodo aqua recalefacta.

Indigna debitæ coctionis in Syrupis.

CAPVT XV.

AD Syrupos infusionibus aut decoctionibus faciendos, aliquando in eas tres partes saccari mittuntur: vt exempli gratia, tres quartarij saccari in singulas libras, non vero in ijs Syrupis qui ex infusionibus, decoctionibus aut succis amaris fiunt, in quibus tantum saccari quantum infusionis, aut decoctionis aut succi est, adhibetur. Sunt tamen Syrupi quidam quibus tantum saccari non immittitur, alij quibus plus immittitur: quare regula hæc generalis non est, vt suo loco videbis.

Syrupi debent leniter coqui ad ignem clarum ex carbonibus accensis, & sub finem coctionis, amoto ab igni vase, despumatio est facienda.

Porro quando Syrupus coqui incipit, fumus seu vapor magnus exit, qui coctione ad maturitatem pergente, paulatim minuitur.

Vt vero maturitatem tanto melius deprehendas, paullum spatula cochleari immisso extrahe, vbi sic aliquandiu tenueris & aliquantum refrigerari siueris, è spatula vel cochleari defluere sine. Si liquor quasi fila fecerit, iam coctio facta est.

Similiter si paullum intra pollicem & indicem seu medium sumas digitum, si disclusis digitis filum appareat, coctio peracta est. Eiusdem rei indicium est, si parum in quadram effundatur, nihil vero diffluat, sed cohærescat, quod si liquor refrigeratus fuerit, & quadra inclinetur in latus, paullatim quidem ille aliquantulum diffluet, sed si spatula aut cochleari collegeris, & è sublimi demiseris, filum faciet.

Insuper si quid cochleari hauseris, & refrigerari siueris, in superiori superficie tenuis quidam cremor apparebit, qui in vnum aut alterũ latus

latus distractus, non rumpitur; & hoc signum est perfectæ coctionis, tumque vas ab igne amouendum, & liquor paullum frigefactus, vasi commodo bene loto & siccato infundendus, ipsum vas operculo papyraceo, acu, vt supra dictum est, pertuso, operiendum est, dum liquor plane refrigeretur. Quod vbi factum fuerit, aliud operculum è papyro dupla aut membrana molliori imponendum, ipsum vero vas loco temperato, nec humido nimis nec sicco (vtrumque enim liquorem corrumpet) reponendum est.

Remedia ad eos Syrupos qui aut non satis aut nimium cocti sunt.

CAPVT XVI.

SI syrupi nimis fuerint cocti, nihil aliud facies quam vt tantum quantum est decoctionis infusionis aut succi ante adhibiti addas, & ad debitam consistentiam coqui sinas.

Quod si non satis cocti sint, recoquendi sunt ad debitam consistentiam.

Modus extrahendi pulpas dactylorum ad conficiendum Electuarium Diaphœnicum.

CAPVT XVII.

SVme decem vncias bonorum dactylorum, recentium, & à sordibus bene purgatorum: cultello inde pelliculam exteriorem, & interiorem, quæ alba est, detrahe; eamque vt & putamen ligneum abijce inde reliquum quod est minutim concisum, lanci inde stanneæ, aut fictili olla incrustatæ, affunde vnciam aut plus vini albi & subtilis, & per tres dies macerari sine; ollam vero seu lancem quadra seu quo alio operi, & si quidem æstas sit, in locum ab igni remotum; si

vero

vero hyems, in foci angulum aliquem repone. Post tres dies materiam hanc coque, vbi semel ferbuerit, in mortarium lapideum effunde, & ligneo contunde pistillo, vsque dum quasi in mollem pultem redigatur, quam per cribrum, vt in cassia fit, supposita prius lance, incerne. Quod si pulpa hæc nimis humida fuerit, siccare poteris eo modo qui myricarum, prunorum, & cassiæ pulpis adhiberi solet: de quo infra dicemus.

Modus extrahendi pulpas myricarum seu tamarindorum, prunorum, cassiæ, easq́ue ad mollia Electuaria præparandi.

CAPVT XVIII.

Qvomodo Cassia mundanda, & per cribrum commune incernenda sit, omnibus notum est.

Ad prunorum pulpas recte & suo tempore extrahendas, hæc obseruabis.

Sume pruna Damascenę, matura & recentia, aut si id per tempus fieri non possit, arida seu condita ea quantitate, quam velis, coque in aqua, cocta in cribrum effunde, vt liquor defluat, hūc supposito vase excipe, inde pulpam extrahe, eo modo quo de cassia supra diximus, supposito prius alio vase vt paullo ante de dactylis est ostensum. Quod si pulpa, vtpote siccior aliquanto quam conueniat, bene colari nequeat, supradicta decoctione eam humectabis, aut si eius satis non sit, aqua tepida.

Ad myricarum vero seu tamarindorum pulpas extrahendas, quia multum habent glutinis & spissitudinis, hac vtere ratione.

Sume eorum quantum voles, inijce in mortarium

[p]arium lapideum, superfundè quantum satis est aquæ tepidæ aut decoctionis, contunde pistillo vsque dum mollescant, vt de cassia dictum est, deinde per cribrum incerne, quemadmodum de prunis est ostensum.

Nota. Quia in pulpis prunorum & myricarum remanet aliquid eius humoris cui fuere incocta, aut in quo fuerunt mollificata singula seorsim in lancem ferream vel stanneam inde, eam foculo in quo ardentes sint prunæ, sine fumo, impone, & spatula tamdiu in omnes partes versa, vt humiditas illa excrementitia (quæ alioqui Electuaria in quæ ingressura sit, facile possit corrumpere) plane euaporet, & pulpa ad debitam redigatur consistentiam.

Nihil aliud tum restat, quam vt dosin seu quantitatem, quæ in Electuarium ingredi debet ponderes: reliquum vero serues, aut ex Medici consilio, alijs vsibus adhibeas.

De Speciebus quæ in puluerem aliquando redigi solent ac primum de folijs senæ.

CAPVT XIX.

Svme libram vnam senæ orientalis, pedunculos & quæ folia corrupta sunt secerne & abijce, ad singulas vncias foliorum mundatorum adde vnam drachmam seminum feniculi aut anisi viridis, quibus vis senæ corrigitur. In puluerisando hac vteris methodo.

Primo, semina seu grana anisi aut feniculi in mortarium mitte ahencum, & pistillo contunde: adijce deinde Senæ folia,

eaque itidem contunde: contuſa per anguſtum mitte incerniculum: quod non tranſierit, rurſus in mortarium inijce, & repetitis vicibus, iterum contuſa incerne. Quod ſi forte dimidia vncia adhuc reliqua ſit, quæ nondum ſit tranſmiſſa non multum laborabis, quum id ad clyſterem vel aliquem alium vſum poſſit adhiberi.

Suaſerim ego, vti pulueris eiuſmodi quatuor aut quinque vncias ſemper habeas in promtu, quum vſus eius valde ſit frequens; & inſuper puluis ipſe per totum ſemeſtre bonus & integer facile ſeruetur. Sed quando Senæ præparatæ fit mentio, vnà intelligendum eſt eius correcti-uum, nempe ſemina feniculi aut aniſi.

Modus ſiccandi quaſdam ſpecies ſeu ſimplicia pulueriſanda.

CAPVT XX.

ROſas, violas, crocum, ſi humida adhuc & non ſatis ſicca ſint, ſoli expone, aut igni, & in omnem partem verſa, vt tota ſiccentur, & ſimul (ad ignem) ne comburantur. Sic ſiccata, facilè in mortario ad puluerem rediges.

Radices & herbæ quæ nimiam adhuc humoris habent, in furnum, poſt exemtum panem, immitte, ſed diligenter obſerua ne nimio calore comburantur.

Quod ſi non ſtatim vti velis, in faſciculos colliga, eoſque in aerem ſuſpende, vt ſiccentur.

Modus Aloem, Myrrham, Rhabarbarum, crocum, & Aſſam fœtidam pulueriſandi.

CAPVT XXI.

SIngula hæc ſeorſim pulueriſanda ſunt. Ante-quam

quam verò mortario immittas, fundo eius guttas aliquot olei oliuarum infunde, pro ratione quantitatis speciei quamvis contundere seu puluerisare, & extrema parte pistilli morarij fundũ molliter quasi inunge. Hoc facto, inijce speciem, quæ facile ita conteretur, vt nihil nec pistillo, nec mortario adhærescat.

Quando Rhabarbarum vis in puluerem redigere, non abs re fuerit prius minutim concidere: qua ratione puluerisatio facilius & citius est processura. Puluere autem hoc vtimur non cribrato.

Idem modus obseruandus est in Assa fetida, quæ ante omnia necesse est vt sicca sit.

Aloe, si sordidum sit, antequam puluerisetur, mittendum est per cribrum, per quod pharmaca amara transmitti solent. Idem intelligendum est de alijs speciebus, si quid sordium habeant, vt scilicet singulæ suis aut conuenientibus cribris purgentur.

Modus puluerisandi scammoneam.

CAPVT XXII.

SCammonea facile in puluerem redigitur, vti & superius dicta simplicia, prius tamen & pistilli caput & mortarij fundum olei aliquot guttis inunge: illud vero obserua, per cribrum nõ transmittti, vti nec Rhabarbarum, vt paullò ante dictum est.

Modus Mastichen in puluerem redigendi.

CAPVT XXIII.

ANtequam in mortarium mittas, prius eam oportet aliquãtũ terere deinde fũdus mortarij guttis aliquot aquæ rosaceæ, vel etiam communis humectandus est, puluis vero, si velis, cribro percolandus.

Trochisci Agarici quomodo pul-ueri∫entur.

CAPVT XXIV.

AGarici trochi∫ci eodem modo quo ma∫tiche
in puluerem rediguntur, eo ob∫eruato quo
que vt tam extremum pi∫tilli quam fundi
mortarij guttulis aliquot vel aquæ ro∫açeæ ve
communis humectès (quanquam etiam oleum
oliuarum adhiberi po∫sit) quod ideo fit, ne quid
vel mortario vel pi∫t[illegible]ueris adhæreat, & vi
res ∫eu ∫piritus exhal[illegible] tamen per cri
brum non transmittitur.

Modus pulueri∫andi Camphoram.

CAPVT XXV.

SVme ∫crupulum amyli, & in mortario lent
contunde, in puluerem redacto adde vnam
drachmam bonæ Camphorç, & vnà itidē mol
liter contere, v∫q; dum vnus fiat puluis. Vel loco
amyli ∫ume vnam aut duas amygdalas dulces, &
derracta pellicula, in mortario contritis drach
mam Camphoræ admi∫ce, & in vnum puluerem
redige.

Cinnamomi in puluerem redigendi modus.

CAPVT XXVI.

EOdem modo cinnamomum in mortario cō
tunditur & pulueri∫atur, ∫ed ei addendæ ∫un
& vnà conterendæ amygdalæ aliquot dulce
ne illius odor ex∫pire[illegible]perdatur. Puluis ve
ro per angu∫tum [illegible] confectum
cribrum transmittitur, vt ∫u-
pra [illegible] ∫ena e∫t o∫ten-
[illegible]

Di

De Oleorum Infusionibus.

CAPVT XXVII.

AD singulas olei libras, in faciendis Infusionibus, addũtur cõmuniter quaternæ florũ aut foliorũ vnciæ, vt infra in Tractatulo de Oleis indicabimus: exceptis tamen quibusdam compositis.

Indicia quando Olea satis cocta sint:

CAPVT XXVIII.

OLeorum Infusione aut Infusionibus factis. vas igni carbonum accensorum imponitur, vsq; dum quantum satis est feruefiant, Illud vero experieris, omnem quasi humorem simplicium, è quibus olea vires suas accipiunt, iam exhalasse: eoque si quid spatula de fundo vasis extrahas, idque in ignem inijcias, statimque illud flammam concipiat sine vllo strepitu, vas ab igni amouebis, & liquorem parum refrigeratum per linteum robustum percolabis, modiocriter expressum. Eum deinde infunde oleæ fictili incrustatæ, huic operculum papyraceum acu pertusum impone, vbi liquor plane frigefactus fuerit, duplo papyraceo operculo & molli membrana vas opertum in commodum locum repone.

De Oleorum coctionibus in Balneo Mariæ, aut Vase duplo.

SVme lebetem satis capacem, fundo eius laterem bene latum inde, huicque duplum illud vas in quo in est Infusio, impone, vas vero ipsum vinculo duabus ansis lebetis alliga, ne huc illuc vergat aut vacillet. Sunt qui loco lateris fundo lebetis paleam inijciunt, vt & circumcirca vndique: quod & mihi placet.

Nota, quod prædictum vas non omnino plenum, sed quatuor digitis ab orificio vacuum esse oporteat, eum in finem ne Infusio

ebulliat. His factis, lebeti seu aheno aqua infunditur, ita tamen vt quatuor aut quinque digitis ab orificio seu superiori margine vacuum maneat: ipsi deinde lebeti seu aheno ignis ex carbonibus accensis subditur, & coctio continuatur vsq; dum fere totus humor exhalarit: quod quidem ex supra monstratis indicijs deprehendes. Quando coctio peracta fuerit, lebetem ab igni remoue, & liquorem paulum refrigeratum percola moderate expressum, abiectis spissioribus partibus seu excrementis.

Obserua hic: si, bulliente Infusione, cogaris aliam aquam infundere, quod prior magna ex parte ebullierit, caue ne frigidam, sed prius calefactam affundas. Si namq; frigidam affundas, vas rumpetur, & Infusio perdetur.

Modus coquendi materiam ex qua fiunt emplastra.

CAPVT XXIX.

Perfecta coctio materiæ ex qua Emplastra fiunt, sic cognoscitur. Sume eius particulam, immitte in aquam: & in ea refrigerari sine: digitis deinde contrecta, & per palmam manus expande. Quod si non adhæreat, sed purè in altũ eleuetur, vas in quo fit coctio, ab igni amouebis, & quando ad medietatem refrigerata materia fuerit, ex ea bolos (Magdalenas Galli vocant) formabis: qui sic fiunt.

Si materiæ illi inter alia ingredientia admistum fuerit oleum, antequam formentur, manus aqua limpida abluendæ: si vero nihil illæ olei habeant, oleo inungendæ sunt.

Modus

Modus lauandi adipem porcinum, faciendo vnguento rosato.

CAPVT XXX.

ACcipe vnam aut duas pelles porcorum recentes, aufer membranas quæ circumcirca sunt, inde frustulatim disseca, admisce paulum aquæ, appone igni medioeri vt frustula illa liquescant, interim dum fit coctio, spatula lignea sæpius versa. Vbi liquefacta fuerint, liquorem linteo puro percola, eum ad medietatem refrigeratum in ollam fictilem incrustatam infunde, ita capacem vt pinguedine illa ad dimidium tantũ repleatur, atque ita refrigescere sine. Vbi refrigerata fuerit, affunde aquam calidam (id est aliquanto calidiorem quam sit tepida) ita vt tota olla repleatur: Spatula leni lignea totum commoue & versa, & quidem ad solem aut ad ignem per spacium vnius horæ: mox repone vt quiescat & coeat: pinguedine aliquantum congelata, ollam in latus inclina, vt aqua quæ in ea reliqua est, effluat. quæ vbi tota effluxerit, alteram aquã affundes calidam, eo modo quo paullo ante dictum est, idque nouem vicibus repetes. Hoc facto eundem adipem totidem (id est nouem) vicibus aqua frigida lauare oportet: quamuis duabus vltimis vicibus delicatiores aquam rosaceam adhibeant. Caussa vero toties repetitæ lotionis hæc est, vt scilicet porcino illi adipi natiuus odor plane adimatur: qui hoc modo lotus commode vsurpari poterit, vt infra de vnguento rosato ostendemus.

Modus lauandi cerussam.

CAPVT XXXI.

SVme vnam aut duas libras, vel quantum velis cerussæ, eam contere, super fundo cribri an-

gusti admodum è crinibus confecti, inuersi, supposita papyro alba & pura, ad excipiendum puluerem qui transmittitur. Hoc facto, puluerem immitte in lancem stanneam, aut fictilem incrustatam, affunde quantum satis est aquæ recentis & limpidæ, vt cerussæ bona ex parte supernatet seu superemineat. Eam deinde spatula lignea quassa & versa, sed postea quiescere sine, vt cerussa aquæ mista, ab ea separetur, & in fundum subsidat. Quod si factum fuerit, lancem molliter in latus inclina, vt aqua effluere possit, & mox aliam claram & recentem aquam affunde: huncque processum tot quot paullo ante diximus, id est, nouem aut decem vicibus; repete. Vltima lotione peracta, cerussam in lance siccandam soli expone, aut igni appone, bene tamen linteo albo & puro opertam. Hoc modo siccata cerussa ad eos quos voles vsus adhibebitur, aut pyxidi alba papyro suffartę immissam seruabis.

Modus lauandi Lithargyrum.
CAPVT XXXII.

Accipe duas libras Lithargyri de auro, aut quantum eius velis, contunde in mortario aheneo aut ferreo, contusum cribro communi percola, quod transmissum non fuerit, in mortarium rursus inijce & contunde, idque toties repetitis vicibus quoad nihil restet nisi plane spissæ particulę, duarum aut circiter vnciarum quæ abijciendæ sunt. Contusum hoc seu puluerisatum & perpurgatum Lithargyrum in mortarium remitte, idque ad summum ferè aqua limpida reple. eamq; cum Lithargyro versa, non tamen diu admodum: aquam postea in vas appositum infunde, cum qua pars etiam Lithargyri effusa erit. Vnde ei quod in mortario remanserit, rursus aquam affunde, & vbi aliquantum prius versaueris, rursus simul in

vas effunde, tumq; iterum cerussæ aliquid transibit. Id vero facies toties repetitis vicibus, donec omne Lithargyrum cum aqua effusum fuerit: quæ vbi simul in vase fuerint, in loco quiescere sine totam noctem vel amplius, vsque dum aqua bene clara sit, & Lithargyrum totum in fundum subsidat: effunde dein aquam, leniter vas inclinando, ita vt nihil præter Lithargyrum in fundo remaneat, quod vel ad solem vel ad ignem, vt siccetur, expones, siccatum ita, ad tuos vsus asseruabis.

Modus comburendi plumbum vt in puluerem redigatur, vt & idem lauandi, vt inde fiat unguentum Pampholiges dictum.

CAPVT XXXIII.

Accipe duas aut tres plumbi libras, aut quãtum velis, mitte in scutellam fictilem incrustatam, vel etiam in capax aliquod cochleare ferreum, impone igni è carbonibus accensis. Vbi liquefactum fuerit, spatula aut stilo ferreo moue, & quassa continuo duas per horas, eo vsque donec in puluerem subflauum redigatur, & forma plumbi vix amplius appareat. Hoc facto, ab igni remoue, & refrigerari sine.

Lotio vero ita fiet. Sume quantum voles pulueris huius, quem diximus, refrigerati, cribra, cribratũ vicies quinquies aut tricies aqua clara & munda singulis vicibus mutata, vt supra de cerussa diximus, ablue: totum deinde in sole aut ad ignem sicca, & sic ad vsus tuos asserua.

Alius modus longe facilior, plumbi in puluerem redigendi, ad prædicti vnguenti vsum.

CAPVT XXXIV.

SVme quantum voles plumbi limati seu lima derasi, mitte per spacium 24. horarum in forte acetum, inde acetum effunde, & plumbum sicca: siccatum mortario immitte aheneo, molliter cōtunde, & redige in puluerem (quod facile procedet) puluerem cribra, quod transmissum non fuerit, rursus in mortarium inijce & tunde, toties repetitis vicibus quoad totum in puluerē sit redactum: quem tamen si ad prædicti vnguenti vsum velis adhibere, lauare nihil opus est.

Modus calcinandi vitriolum Romanum.

CAPVT XXXV.

MItte eius quātum voles in ollam fictilem rudem seu non incrustatam, aut in cochleare ferreum satis capax, impone igni mediocri, ac tātisper stilo ferreo aut spatula versa dum ad perfectum candorem redigatur. nisi enim continuo versaris, periculum est ne vasi adhærescat, aut pla ne etiam lepidescat. Vehementiorem inde fac ignem per quadrantem horæ, tumq; vitriolum videbis rubescere, quod appellant Colcothar. amoue ab igni, & vbi refrigeratum fuerit, in aheneū mitte mortarium, atq; ita contunde.

Cremorem salis Tartari faciendi modus.

CAPVT

ACcipe libram vnam tartari albi Monspessulani, in mortario contunde, puluerem per incerniculum non subtile mitte, aquæ affunde situlam, & igni appone vt semel, ferueat, sic ferue fa-

nefactum totum bis aut ter percola, liquorē vasi infūde fictili incrustato, hocq; 24. horarū spacio in locum frigidum ac purum expone: postea cremorem supernatantem cochleari desume, & in aliud vasculum fictile infunde. Ablato cremore, leuiter ollam in quo reliquus est liquor, inclina & eum leuiter percola, dein omne id sal quod ollæ adhæserit, cochleari abrade, & in fūdum mitte; tandem septies aut octies aqua recenti & pura ablue, manu vnà cum aqua leniter versando. Sal hoc ita lotum & siccatum, aut soli expone, aut igni sine fumo appone, & cochleari diligēter versa. Vbi siccatum fuerit, albescet, sed multo magis ad solem quam apud ignem. Tandem in mortario contusum & pulucrisatum, ad vsus asseruatur. Idem modus est cremoris de prędicto tartaro lauandi, siccandi, pulueri sandi, &c.



TRACTATVS DE SYRVPIS.

Syrupus violaceus, cum succo.

CAPVT I.

ACcipe duodecim libras violarum bene mundatarum, id est, merorum florum, immitte in mortarium marmoreum, & ligneo pistillo bene contunde, inde in sacculum purum superiori parte bene colligatum, & prelo subiectum exprime. Quod inde redibit succi, circiter quinq; erit vnciarum: quem phialæ infundes.

Hoc facto, vel cassiam vel saccarum decem cōmunis aquæ libris in cupreo aheno coques, vt ad consistentiam saccari rosati deueniat, despumatione diligenter facta, Inde vas ab igni amo-

nebis, eique violarum succum infundes, miscebis seu versabis spatula lignea aut cochleari argenteo, sicque Syrupum optimum confectum habebis, quem in pelui refrigerari sine, quod supernatauerit spumæ tollens: in ollam deinde commodam infunde, papyraceo operculo tenuibus foraminibus pertoso operi, refrigeratum liquorem duplo alio papyraceo operculo, & molli membrana operi, & loco cõmodo asserua.

Modus Syrupum violaceum per Mantile faciendi.

CAPVT II.

SVme duas libras boni saccari, cum vna aquæ communis libra, eoque eo vsque vt ad consistentiam saccari rosati deueniat. Inde dimidiam libram violarum bene mundarum, vt præcedenti capite ostensum est, in mortario lapideo ligneo pistillo contunde, flores contritos mantili, cuius extremitates duo teneant vtrimque, impone, mox saccareum liquorem plane calidum superinfunde, & seu lignea spatula seu cochleari moue, quassa, versa, vt virtus & color violarum saccareo illi liquori incorporetur, qui mox in Syrupi transibit naturam: supposito prius vase in quem liquor per mantile distillet. Vbi totus ille quasi per mantile colatus fuerit, abraditur quod ei adhæserit syrupi, & quodcumque collectum inde vasi inditur & ad vsum seponitur, sine despumatione

Quod crassiusculæ materiæ ex violis mantili adhæserit, abijci non debet, quum saccari aliquid admistum habeat. Quare soli expones, & eo modo quo de Conseruis violarum infra dicemus, in vsum asseruabis.

Syrupus ex tribus infusionibus.

CAPVT III.

ACcipe libram vnam florum violarum recentium, bene mundatarum, id est, ab omni her-

herbaceo virore mundatarum, mitte in vrnam aut ollam fictilem incrustatam, quæ angustum habeat orificium: superinfunde quatuor libras aquæ communis feruefactæ seu bullientis, spatula lignea aut cochleari infusum moue & versa, postea in angulum aliquem foci repone, & per spaciũ 12. horarũ infusionẽ fieri sine, vase diligẽter obturato, ne violarum vires exhalent.

Facta infusione tamdiu vti dictum est, eam vasi fictili incrustato vel stãneo infunde, & foculo impositum calefac rursus, inde per linteũ robustum percola, & quod in eo reliquum fuerit prelo exprime, sordibus seu facib. abiectis.

Rursus deinde secunda vice altera violarum mundatarum libra vrnæ seu ollæ immittitur, & prior infusio recalefacta ijsdem violis superfunditur, liquor interim spatula seu cochleari continuo mouetur seu versatur; vas inde in angulum, vti prius, reponitur, vt infusio iterum per 12. horas fiat: post quas prædicta infusio rursus ollæ seu vasi infunditur, & foco vt calefiat, imponitur, colatur & exprimitur.

Infusio hæc recalefacta alteri violarum mũdatarum tertia parti vice superfunditur, & idem qui ante processus obseruatur.

Vbi Infusio hæc iam tertium colata & expressa fuerit, continebit circiter quatuor libras & dimidiam, seu 72. vncias: de qua si statim Syrupum velis conficere, seorsim ex ea circiter sex mitte vncias, & modo quem infra ostendam, procede. Reliquam partem, quæ est quatuor librarum & duarum vnciarũ, aheno immitte cupreo, cũ quinq; libris & dimidia boni saccari, minutim cõtusi. eoq; lento admodũ ex accẽsis carbonibus, sine fumo. Consistentia vero seu spissitudo huius liquoris erit aliquanto spissior quam communis Syrupi, eum in finem vt statim cum sex illis reseruatæ infusionis vncijs decoquatur: quæ addendæ & miscendæ sunt,

tim cum sex illis reseruatæ infusionis vncijs decoquatur: quæ addendæ & miscendæ sunt, sic vt semel aut bis totus liquor feruefiat, & in syrupi consistentiam redigatur.

His factis, vas ab igne amoue, & liquorem in suo ad dimidium refrigerari sine, ablata quæ supernatauerit spuma: in ollam deinde infunde commodam, papyraceo operculo superius pertuso, vti supra dictum, tege, & omnino refrigerari sine. Refrigeratum, duplo integro eiusdē materiæ operculo & membrana molli operi, quomodo omnes syrupi operiri debent. Syrupum hunc integrum & illęsarum vitium per totum annum asseruare poteris.

Nota. Syrupo huic plus saccari quam infusionis admiscendum, vt & color & virtus eius tanto facilius conseruetur; neq; diu admodū aut multum coquendum esse, quum infusio aliquo modo glutinosa sit, & color longa coctione diminuatur. Atque hæc caussa est quod cum sex vncijs reseruatę infusionis, vti ostendimus, decoquatur: quod in hoc solo & nō in alijs syrupis fieri solet.

Meum cōsilium si sequi velis, singulis infusionis libris admiscebis vicenas boni saccari vncias. Equidem hoc modo syrupum hūc, tam virtutē quam colorem eius conseruandi studio, conficere soleo; nec spatulam ferream, (ne nigredinis aliquid affricetur) sed lignea vtor: tum etiam infusionem non in vas cupreum, sed ollam fictilē nō incrustatam immitto: sed deniq; illas vncias mihi reseruandas & in fine demum addēdas statui, vt color aliquo modo per coctionem amissus restituatur.

Communiter autem tres tantum fiunt infusiones in vrna seu olla angusti oris, fictili, incrustata, & liquor versatur spatula: in calefactione autem non olla sed peluis adhibetur. In syrupi confectione sumitur vltima decoctio percolata & prelo expressa, & cum debita saccari quantitate sub prelum mittitur. Modus

Modus faciendi syrupi è Tussilagine.

CAPVT IV.

FIunt tres infusiones super dimidia libra Tussilagins seu Chamæleuces, cui herbescens illa viriditas circumcirca adhuc adhęret, duarum aquæ librarum, hoc modo. Sume ollam fictilem incrustatam angusti orificij, seu vrnam, inde tātum quātum dictum est tussilaginis, superfunde duas aquæ libras feruidæ, vas bene operi, & infusionem per 12. horarum spacium fieri sine, vase interim in aliquem angulum reposito: totùm deinde in peluim refūde, & eam igni ex carbonibus claro & fumi experti impone: liquorem postea crasso linteo inditum prelo exprime. Quod percolatum & expressum fuerit in prędicta pelui recalefac, idque alijs recentibus floribus qua prius quantitate superfunde: vbi infusio itidem ad 12. horas facta fuerit, eam pelui rursus infunde, & colatam atq; expressam recalefac. Idem tertia vice, sumtis sémper recentibus floribus, faciendum, & quo dictum est modo procedendum. Expressus vero liquor clarificatur oui albumine & testa, eo modo, quem supra indicauimus, linteo percolatur, partes eius libræ appenduntur, & singulis tres saccari partes adduntur.

Alius modus.

FIt idem syrupus tribus, vti iam dictum est, infusionibus, sed à quibusdam flaui tantum flores sumuntur, abiecta herbescenti illa viriditate: vnde syrupus fit subflauus.

Modum tam huius quam violacei syrupi conficiendi prolixius aliquanto descripsi & articulatius, vt & methodum accurate traderem, & ne postea idem sæpius repetendi mihi necessitas imponeretur. Notabis ergo, eundem fere processum

in singulis Syrupis conficiendis fere obseruari.

Modus conficiendi syrupi ex floribus malorum Persicorum.

CAPVT V.

Fiunt nouem infusiones ad modum supra dictum. Singulis vicibus dimidia libra florum dictorum recenter collectorum vrnæ seu ollę fictili incrustatæ angusti orificij indenda, eique duæ aquæ calidæ libræ superfundendæ sunt. Vltima infusio percolata & expressa clarificatur oui albumine & testa, iterumq; linteo percolatur, additurque, quantum supra dictum est saccari.

Syrupus ex Rosis pallidis.

CAPVT VI.

IDem modus, qui supra, quod ad nouē infusiones & florum pondus attinet, obseruandus: illud tamen notabis vt flauas illas fibras quę in calyculi sunt medio, vti & quidquid viride est, decerpas. Folijs his quatuor aquæ libras superfūde: vltimam infusionem percolatam & expressā (erit ea circiter quinq; librarum) sine clarificatione, nisi per residentiam, ollæ seu vrnæ infunde, vasque bene opertum in locum vbi quietum & immotum maneat, colloca, quo fæces in fundū subsidant. Liquorem inde paullatim in peluim infunde, adde quantum satis est saccari, & syrupum coque, ab igne amotum cochleari pertuso despuma, paulum refrigeratum vasi commodo infunde, idq; quo dictum supra est modo operi.

Ex papauere syrupus.

CAPVT VII.

DImidię librę florum recentium papaueris rubri superfunduntur duæ aquæ libræ, fiuntq;

tres infusiones. Vltimæ infusioni percolatæ & expressæ sed non clarificatæ addes tantundem saccari, & vase ab igni amoto despumabis.

Capillorum Veneris syrupus.

CAPVT VIII.

Svme Capillorum Veneris, aut Adianthi manipulos duos.
Polytrichi manipulos duos.
Scolopendriæ manipulum vnum.
Glycyrrhizæ rasæ & contusæ vnciam vnam.
Adde saccarum, & fac syrupum hoc modo:
Herbas bene lotas & purgatas in tribus aquæ calidæ libris per spacium 24. horarum in olla fictili incrustata macera, postea totũ in vas effunde, & bis aut ter feruefac, decoctum percola, idq; albumine & testa oui clarifica, inde cum tribus saccari partibus ad syrupi consistentiam coque.

Ex Althæa seu blisco syrupus.

CAPVT IX.

ACcipe radicum Althææ præparatarum vnam vnciam & dimidiam.
Pisorum vnciam vnam.
Radicum asparagi itidem pręparatarum vnciam dimidiam.
Glycyrrhizæ rasæ & contusæ vnciam dimidiã.
Summitatum seu capitum Althææ,
Maluarum,
Parietariæ,
Pimpinnellæ,
Adianthi,
Polytrichi, de singulis vnciam dimidiam.
Seminum melonum, cucumerum, cucurbitarum, de singulis vnciam dimidiam.
Saccari libram vnam & dimidiam.

Syrupum vero hoc conficies modo.

Althææ radices laua & præpara, abſciſſis filamentis quæ circumcirca ſunt, vti & neruo: radices aſparagi itidem laua, præparatas in quinque paquæ libris coque. Vbi aliquantum bullierint, adijce piſa in mortario contuſa, paullopoſt ſummitates ſeu capita althęæ, maluam, parietariam, pimpinnellam: tandem odianthon, polytrichum & glycyrrhizam: decoctum cola, exprime & clarifica albumine oui, vt ad duas libras redigatur: exq; eo Syrupum, addita vna & dimidia ſaccari libra, confice.

Syrupus ex Cichorea & Rhabarbaro,

CAPVT X.

ACcipe hordei communis manipulum vnum.
Radicum aſparagi.

Radicum dentis Leonis, ſeu Taraxaci,
Radicum Cichoreæ, ſingulorum vncias tres.
Lupuli, Fumiterræ, polytrichi, agrimonię, odianthi, ſingularum manipulum vnum & dimidium.
Seminum melonum, cucumerum, cucurbitarũ, ſingularum vnciam dimidiam.
Glycyrrhizæ raſæ & contuſæ vnciam vnam:
Rhabarbari vncias quinq; & dimidiam.
Saccari libras duas.
Syrupus hoc fiet modo.

Octo aquæ libras vaſi infunde, hordeum primum inijce, & per horæ quadrãtem bullire ſine. Adde poſtea radices Cichoreæ ſylueſtris, dentis leonis, & aſparagi, hoc modo præparatas. Vbi filamenta circumcirca adhærentia nec non ſummitates ſeu capita earum, quæ dura ſunt, abſcideris, laua prædictas herbas, & neruũ ſimul exime. Radices Cichoreæ in marmoreum mitte mortariũ, quæ ligneo piſtillo contuſæ ita dehiſcent, vt ner-
uus

nus seu corda facile possit eximi. Idem de crassioribus radicibus faciendum. Asparagi radices tãtum in mortario lapideo contundes, quum tenues sint: si tamen velis, eodem modo neruulos eximere poteris. Peractis, his, eas hordeo adijce, & vnà per horæ quadrãtem aut paulo amplius bullire sine: adde postea lupulum, fumum terræ, agrimoniam bene lotas & purgatas; tum semina supradicta in mortario contusa; tandem odianthõ, polytrichum, glycyrrhizam: tamq; diu coque donec liquor ad quatuor libras redigatur: decocta vasi commodo infusa per 24. horas vnà macerari sines: prius tamen 12. vncias eius percola, & ita adhuc calidas quinq; & dimidiæ vncijs rhabarbari minutim concisi superfunde, inde in vrnam incrustatam seu ollam fictilem angusti orificij mitte, eamq; bene operi, ne vis euaporet: infusionem postea calidis cineribus aliquamdiu impone, tandem in angulo aliquo prope focum colloca, & per spacium 24. horarũ sine quiescere. quibus elapsis, reliquum decocti percolabis & exprimes, eius tres sume libras, duorũ ouorum albuminibus & testis clarificati. Liquor hic ita clarificatus & percolatus ad duas redibit libras, quas cum duabus saccari libris tamdiu coques, dum prope ad consistentiam saccari rosati deueniant.

Dum syrupus coquitur, rhabarbari infusionem super calidis cineribus recalefac, linteo percola, & prelo subiectum linteum bene exprime. Quod expressum fuerit, erunt forte circiter octo vnciæ, seorsim pone; tum syrupum quando prædictã consistentiam nactus fuerit, ab igni remoue, & paullo post ei illud ipsum expressum infunde, spatula liquorem interim agitans: quod cum syrupo decoctum, eum ad prędictam consistentiam rediget; quod si nimis sit liquidum, foco imposi. tum amplius coquetur; ac deniq; commodo vasi inditum, ad vsum asseruabitur.

Syrupus laxatiuus è rhabarbaro.

CAPVT XI.

Svme tres libras decoctionis factæ è betonica, ciehorea syluestri, cum suis radicibus, & buglossa in ea totam noctem sequentes species macera.

Duas vncias & dimidiam boni rhabarbari minutim concisi.

Sesqui vnciam foliorum senæ.

Violarum manipulum vnum.

Cinnamomi contusi drachmas duas.

Feniculi viridis tantundem.

Glycyrrhizæ rasæ & contusæ vnciam dimidiam.

Postero die hæc omnia simul coq;, cola & exprime: eum expresso coque tres partes saccari, in fine adde quatuor vncias syrupi de rosis pallidis.

Modus faciendi syrupi ex papauere simplicis.

CAPVT XII.

Svme dimidiam libram capitum papaueris albi recentiũ adhuc, & tãtundẽ papaueris nigri, singula in quatuor partes disseca, & vnà cum seminibus vasi stanneo aut fictili incrustato immitte, quatuor libras aquæ feruẽtis superfunde, & vasis os duplo linteo operi, sicq; per 24. horas infusionem fieri sine. his elapsis liquorem in peluim infunde, & igni impositum coque, deinde linteo percola, & linteum strictim exprime, non autem prelo subijce. In hac expressione rursus deinde eandem capitum papaueris albi & nigri quantitatem per tantundem temporis spacium macerabis, & rursus eodẽ modo coques, colabis & exprimes, & expressioni tres saccari boni partes admiscebis. sicq; syrupum facies sine clarificatione. Sunt tamen qui hac vtuntur, & semel tantum per linteum purum & candidum

transmittant, scedum tamen est eiusmodi clarificatione medicamentorum vim minui.

Syrupus ex rosis siccis.

CAPVT XIII.

SVmes tres aut quatuor vncias foliorum siccorum de rosis rubeis, bene purgatorum, mitte in vrnam seu ollam fictilem, affunde libram vnam & dimidiam aquæ feruētis, vas bene opertum in angulum aliquem foci per spacium 24. horarum sepone, liquorem postea in aliud vas affunde, coque, cola, & exprime : cum eo quod percolatum & expressum fuerit coque vnam boni saccari libram, & è decocto syrupum confice. ℥

Idem fere modus in alijs syrupis conficiendis vsurpatur. nobis vsitatiores indicasse satis est.

DE SYRVPIS MELLITIS.

Modus faciendi mel despumatum.

CAPVT XIV.

ACcipe mellis quantū præparare & clarificare velis (vti supra docuimus) coque tamdiu, donec mellis acquirat consistentiam : quam cognosces si paullum spatula in quadram mittas & refrigerari sinas. Tunc vas ab igni remoue, & liquorem despuma.

Mel rosatum.

CAPVT XV.

FIt mel rosatum pluribus modis: nos meliores & faciliores tantum paucis indicabimus.

Pri-

Primus modus eſt. Fiunt tres infuſiones (vti antea de ſyrupis indicatum eſt)ex vna libra foliorum de roſis rubeis,recẽtibus,patulis,& in quatuor communis aquæ libris, & vna infuſio durat horas duodecim. Cum vltima decoctione colata & expreſſa coquitur tantũdem mellis deſpumati aut boni mellis communis, ad ſyrupi conſiſtẽtiam: liquor autem ſub finẽ coctionis , vaſe iã ab igne amoto,deſpumatur.

Alter modus eſt. Fiunt tres infuſiones ex vna libra roſarum;quarum dimidia libra rubræ ſint, altera,pallidæ,recentes,miſcentur,eiſque ſuperfunduntur quatuor aquæ communis libræ , vti dictum eſt.Cum vltima infuſione coquitur tantundem mellis.

Mel violaceum.

CAPVT XV.

VIolaceum mel eodem fere quo Roſatum fit modo.Fiunt ſcilicet tres infuſiones vnius librę violarum recentium & ei adhęrentis herbeę viriditatis,in quatuor aquę communis libris Cum tertia &vltima infuſione coquitur mel deſpumatum aut mel commune,ſicque violaceum mel conficitur .

Modus faciendi mel Mercuriale.

CAPVT XVI.

ACcipe ſuccum herbæ Mercurialis , eo,qui ſupra indicatus eſt,modo expreſſum. Vbi paulliſper coctus fuerit,per 24. horarum ſpacium aut eo amplius ſine quieſcere. Poſtea vas leniter inclina,& liquorem in craſſum linteum effunde ac ſic percola.Colatum inde quod fuerit põdera, & tantundẽ adde mellis,&ſic vna ad Syrupi vſq; conſiſtentiam coque. Aut,

Aut, sume succum Mercurialis recens expressum, & mel bonum, æqualem vtriusque quantitatem: coque vnà, linteo percola, & liquorem ad syrupi consistentiam redactum, tuo vsui asserua.

DE CONSERVIS.

Ratio conficiendi Conseruam violaceam.

CAPVT XVII.

ACcipe dimidiam libram violarum ab omni viriditate bene purgatarũ, in mortario lapideo contunde pistillo ligneo, vsq; dum quasi in placẽtam redigantur, ac nulla inęqualitas vel durities manus contactu percipiatur. Huic paulatim admisce libram vnam boni saccari contriti seu puluerisati, & vnà cum violis contunde. Sic Conseruam factam habebis: quam mittes in ollam fictilem incrustatam, eam deinde papyraceo operculo tectã soli expones per triginta aut quadraginta dierum spacium, bis aut ter singulis septimanis spatula agitando, vt tota materia solis æstu vndiq; percoquatur.

Conserua rosarum.

CAPVT XVIII.

SVme vnam vel dimidiam libram rosarum rubearum nondum patentium, reseca vnguiculos, & flauas illas fibrulas quę inferiori adhęrent parti, abijce, folia in mortario lapideo contunde ligneo pistillo, vt de violis diximus, adde duplo plus saccari, ijs, quæ supra dicta sunt obseruatis.

Eodem fere modo reliquæ Conseruæ ex floribus

ribus buglossæ, raris marini, betonicæ, borraginis, &c. conficiuntur.

DE ELECTVARIIS.

Modus faciendi Electuarium lenitiuum, in vsum locupletum.

CAPVT I.

SVme polypodij contusi vncias tres.
Seminum feniculi viridis vnciam dimidiam,
Betonicæ,
Agrimoniæ,
Adianthi,
Polytrichi
Scolopendriæ, de singulis manipulos duos.
Foliorum senæ purgatæ, vncias duas.
Granorum anisi viridis vnciam dimidiam,
Pulparum Cassiæ,
Pulparum de tamarindis,
Pulparum de prunis, singularum vncias sex.
Senæ puluerisatæ cum aniso suo correctiuo, quatuor vncias & dimidiam.
Vnam saccari libram. Para secundum artem, hoc modo:

Simplicia lota & purgata in aquæ sufficienti quantitate coq;, primo nempe polypodium bene mundatum, cum granis feniculi, per quadrantem horæ, aut amplius, deinde betonicam agrimoniam, & vltimo polytrichum, adianthon, scolopendriam.

Huius decoctionis percolatæ, sume libram vnam, & in eam duas vncias senæ mundæ, & dimi-

dimidiam vnciam granorum anisi seu feniculi viridis inijce, & 24 horarum spacio infusionem fieri sine: interim vero pulpas Cassiæ, tamarindorum & prunorum extrahes & præparabis eo modo qui supra est descriptus.

Nota Postquam Cassiæ pulpam extraxeris & præparaueris, crassiorem partem seu excrementa quæ transmitti non potuerint, vna cum senæ folijs maceranda.

Senæ infusionem postea coque, cola & exprime, cumque eo quod expressum fuerit saccari libram coque vsque ad consistentiam, vti supra demonstratum est.

Syrupum hunc, vasi stanneo aut fictili incrustato infunde, tum pelui, sed extra ignem positæ, pulpas tamarindorum & prunorum adde, misce diligenter, & tandem cassiæ quoque pulpam adijce.

Posthæc tertiam partem prædicti Syrupi ad medium refrigerati pulpis his superfunde, ac bene misce; inde tertia pars foliorum Senæ cum suo correctiuo, in puluerem redactę, inspergitur, iterumque bene hæc miscentur: tum altera pars Syrupi & altera pars foliorum Senæ eodē modo, & tandem vtriusque quod reliquum est, miscentur, & spatula seu pistillo bene agitantur. Hæc omnia ita mista & incorporata optimū faciunt Electuarium; quod eodem modo in vase commodo bene operto asseruabis.

Si inter operandum syrupus refrigescat, eum super fornace recalefacere oportebit.

Nota vero, puluerès nunquam syrupo bullienti aut nimis calido miscēdos esse, quia alioqui comburerentur; sed parum refrigerato.

Faciendi syrupi vnum tantum modum præscripsi, qui tamen etiam sequentibus inseruiet.

Electuarium lenitiuum pro pauperibus.

CAPVT II.

Accipe libram vnam decoctionis supradictorum simplicium percolatæ, eaq; ad infusionem senæ & anisi vtere.

Senæ mundæ vncias duas.

Seminum anisi aut feniculi viridis vnciam dimidiam.

Pulpæ prunorum &tamarindorum, de singulis nouem vncias.

Senæ puluerisatæ cum aniso suo correctiuo quatuor vncias & dimidiam.

Saccari libram vnam.

Ex his Electuarium, quo iam dictum est modo, conficitur.

Cassiæ pulpa omittitur, vt quæ magno constat: eius autem loco auxi dosin tamarindorum & prunorum pulpæ.

Quod si tamen crassiores partes casiæ habere posis, per 24. horas cum sena infundi sine.

Modus faciendi Electuarium Catholicon.

CAPVT III.

Svme viginti vncias decoctionis supradictorum simplicium percolatæ, eaque ad infusionem senæ & anisi vtere.

Senæ mundæ vncias duas.

Seminum feniculi viridis vnciam dimidiam.

Pulpæ de cassia quatuor vncias.

Pulpæ tamarindorum & prunorum, de singulis sex vncias,

Senæ

Senæ pulueriſatæ, cum aniſo, duas vncias, & duas drachmas.
Rhabarbari pulueriſati vncias duas.
Saccari libram vnam & dimidiam.
Primo autem infuſionem ſenæ & aniſi fieri ſines, vt paullo ante dictum eſt.
Rhabarbarum in puluerem quo ſupra dictum eſt modo redactum, vnà cum ſena & aniſo pulueriſatis, in mortarium ſeorſim inijciuntur: ti & pulpæ tamarindorum, prunorum & caſſiæ. Syrupus ex prædicta infuſione cum ſaccaro in pelui factus; commodo vaſi infunditur, cui extra ignem poſito inijciuntur pulpæ; deinde etiam pulueres, omniaque bene miſcentur.

Electuarium Diaprunis.

CAPVT IV.

Accipe libram vnam decoctionis ſupradictorum Simplicium percolatæ, ad infuſionem Senæ & aniſi.
Senæ mundæ vncias duas.
Seminum aniſi viridis vnciam dimidiam.
Pulpæ prunorum libram dimidiam.
Pulpæ tamarindorum vncias quatuor
Roſarum rubearum tres drachmas.
Saccari libram vnam.
Electuarium hoc eodem fit modo quo ſuperiora, & vocatur Diaprunis ſimplex.
Quod ſi idem velis facere compoſitum, quod plerique facere ſolent, in ſimplex illud adhuc calidum (nam ſi frigidum iam ſit, recalefacere oportet) inijce nouem drachmas bonæ ſcammoneæ in puluerem redactæ, eumque ipſo Electuario bene miſce, vt plane ei incorporetur.
Nota. Ad Clyſteres loco Catholici diſſoluti vti poteris præcedẽtibus Electuarijs, & quidem multo commodius.

Electuarium loco Confectionis Hamech, sed multo gratius, atque etiam lenius purgans.

CAPVT V.

ACcipe dictæ decoctionis libram vnam ad infusionem senæ & anisi.

Duas vncias Senæ mundæ.

Vnciam dimidiam seminum anisi aut fœniculi viridis.

Pulparum cassiæ, tamarindorum, prunorum, de singulis quatuor vncias.

Senæ puluerisatæ, cum suo correctiuo duas vncias & dimidiam.

Rhabarbari puluerisati vnciam dimidiam.

Agarici trochiscati puluerisati, vnciam vnam,

Saccari libram vnam.

Scammoneæ drachmas nouem.

Electuarium fit hoc modo.

Sena & anisum supradictæ decoctioni, cui excrementa seu partes crassiores pulpæ de cassia addi possunt, infunduntur: atque ex hoc fit Syrupus.

Rhabarbarum & trochisci de agarico in mortario seorsim contunduntur; inde cum sena puluerisata miscentur, & papyro inuoluta seorsim seruantur.

Scammonea itidem in mortario contusa & papyro indita seorsim quoque seruatur.

Postea pulpæ tamarindorum & prunorum in pelui miscendæ, tum cassia, & tandem Syrupus & pulueres miscendi sunt: ita mistis, inspergitur scammonea puluerisata, & cum reliquis adhuc, calidis aut recalefactis incorporatur.

Modus faciendi Electuarium ex dactylis, Diaphœnicum vulgo dictum.

CAPVT VI.

SVme sex vncias pulparum de dactylis.

Duas vncias Turbith.

Vigin-

Viginti aut circiter amygdalas dulces decorticatas.

Zinziberis cultro abrasi,
Macidis (drachmas.
Seminum anisi : & feniculi , de singulis duas
Scammoneæ drachmas sex.
Mellis despumati vncias decem.

Dactylis modo qui supra indicatus est,præparatis & seorsim asseruatis , pulueres hoc modo facies.

Primo Turbith, zinziber,& amygdalas (ne vis eorum exhalet) in mortarium simul inijce, quibus aliquantum contusis seu puluerisatis admiscebis macidem, anisum & feniculum. Puluerem iam perfectum immittas cribro angustis admodum foraminibus,è crinibus facto. Inde ex percribrato tres vncias papyro inuolutas seorsim asseruabis : vti & Scamoneam in puluerem redactam.

Post hæc pulpæ dactylorum pelui indendæ,igni admouendæ, & aliquamdiu instrumento cõmodo agitandæ sunt : additur dein tertia pars mellis despumati calidi , & cum pulpis miscetur : inspergitur postea tertia pars prædicti pulueris;tum additur altera pars mellis , & altera pars pulueris ; & tandem tertia vice quidquid mellis & pulueris reliquum fuerit.

His omnibus bene incorporatis & adhuc calidis inspergitur puluis Scammoneæ , & proceditur eodem quo supra modo.

Benedictam laxatiuam faciendi modus.

CAPVT VII.

Accipe Turbith, (drachmas.
Hermodactylorum rasorum, de singulis sex
Viginti aut 18.amygdalas dulces, decorticatas.
Rosarum rubearum drachmas sex.
Zinziberis rasi,
Macidis,de singulis drachmam vnam.
Seminum Milij solis,sax.fragę,anisi,apij,finSuloram drach. ij.

Scammoneæ drachmas quinque.

Mellis despumati vncias quindecim.

Primo Turbith, zinziber, hermodactyli purgati, & amygdalæ in mortario ad dimidium contunduntur, adduntur postea semina, & tandem macis, & rosæ rubræ siccæ. Hæc omnia puluerisata per cribrum angustum è crinibus transmittuntur, omniaque, vt in præcedenti capite dictum est, obseruantur.

Tabulæ Mechoacan, ijs quæ Diacarthami dicuntur æquiualentes.

SVme Mechoacan,

Hermodactylorum rasorum seu contritorum,

Turbith, de singulis drachmas duas,

Rosarum rubearum drachmam vnam.

Zinziberis contriti, dimidiam drachmam,

Scammoneæ duas drachmas.

Hæc omnia coque in communi aqua cum dimidia saccari dissoluti libra : è decocto tabellas forma , quarum singulæ dimidiam contineant vnciam.

Modus conficiendi hic est. Vbi Mechoacan in mortario contritum fuerit , adde Turbith, hermodactylos & Zinziber rasum , tres aut quatuor amygdalas dulces decorticatas , tum rosas siccas. Hæc omnia in puluerem redacta per cribrum transmittuntur, & septem drachmæ inde sumptæ, papyro inuolutæ, seorsim seruantur.

Scammonea quoque seorsim in puluerem redigitur, cum qua puluerisata in ipso mortario septem illæ pulueris drachmæ miscentur, sic vt totus puluis contineat nouem drachmas, quæ itidem papyro inuolutæ asseruantur. Puluere ita præparato, saccarum in quatuor aquæ vncijs coquitur ad consistentiam supra designatam : coctum ab igne remouetur, & spatula agitatur, vt paululum refrigescat. Refrigerato, puluis modo

dictus inspergitur, & spatula saccaro bene incorporatur, ita vt tandem placenta fiat mediocriter congelata: quam postea adhuc calidam albæ & puræ papyro, oleo ex amygdalis dulcibus inunctæ, inijcies. deinde placentam seu massam ipsam cultro eodem oleo intincto dissecabis in tabellas, quæ singulæ habeant dimidiam circiter vnciam; easque ligneæ thecæ papyro vestitæ inditas asseruabis, vti & quidquid materiæ aheno seu vasi, in quo facta est decoctio, adhæserit, & ferrea spatula abrasum fuerit.



DE TROCHISCIS.

Trochisci ex Agarico.

CAP. IX.

Lima ferrea sed bene nitida abrade duas vncias agarici candidi & boni, aut quantum velis: abrasum inde marmoreo mortario, tunde: & malacissa pistillo ligneo, affusa interim sæpiuscule parua aquæ vitæ quantitate donec in placentam seu massam redigatur, è qua formatos trochiscos cribro inuerso impones, & papyro teges, ne quid sordium superincidat. Vbi siccati fuerint trochisci, rursus in mortario contundes & prædicta aqua iterum malacissabbis, tum cribro impositos ad eundem modum siccabis: ac tertium tandem eodem modo procedes. Cauebis autem ne si asseruare velis, tam hæc quam alia humido loco reponas.

Trochiscos hos etiam præparare poteris vino albo & subtili, cui infusum sit zinziber rasum & contusum per spacium 24. horarum, in phiala bene obturata, hoc modo: Sume dimidiam libram boni vini albi & subtilis, inque eo infunde tres drachmas boni zinziberis rasi & contusi

per 24. horas, in lagena bene obturata: ex parte vna istius vini præparabis prædictos trochiscos ad modum dictum, lagenamque iterum bene obturabis, ad eosdem duabus vicibus eodem modo formandos.

Trochisci de Handal.

CAP. X.

PRimò infusio facienda est per quatuor aut quinque dies trium drachmarum gummi tragacanthi cum aqua rosacea, in vase stanneo bene operto: interim sume pulpam colocynthidis à granis purgatam, eamque minutatim disseca, dissectam, in mortario ad puluerem redige, fundo mortarij & ima parte pistilli oleo rosato ante perunctis. Puluis hic cum Tragacanthi gūmi dissoluitur, inde formantur Trochisci, & cribro inuerso impositi siccantur. Siccati, rursùs in puluerem rediguntur, atque inde alteri trochisci formantur, vsui commode inseruientes:

Ex Myrrha Trochisci.

CAP. XI.

ACcipe cinnamomi,
Seminis melanthij,
Aloes,
Myrrhæ, drachmas de singulis duas, cum succo rutæ depurato, aut artemisiæ.

Species hæ puluerisatæ, seorsim asseruantur, initio facto à cinnamomo, cuius puluis per angustum cribrum transmittitur. Inde puluerisatur melanthium, sed loco duarum drachmarum sumenda est dimidia vncia, aut etiam plus, quū idem puluis cribro angusto percolandus sit: cuius ita percolati duas sumes drachmas, asseruato reliquo aut abiecto.

Myrrham postea in puluerem rediges, ac tandem cum hac in ipso adhuc mortario miscentur.

centur reliqua. Mistis superfunditur prædictus succus, atque ex omnibus denique malacissatis formantur trochisci, qui cribro inuerso impositi siccantur.

DE PILVLIS.

Modus parandi Pilulas stomachales, ante Cibum, *dictas.*

CAPVT XII.

Sume Aloes drachmas sex,
Masticbes, Rosarum rubearum, de singulis drachmas duas
Ex his syrupo rosarum pallidarum malacissatis massa formatur.

Accipe mastichen optimi generis, leniter contunde pistillo, cuius pars extrema, vt & mortarii fundus, aut aqua rosacea, aut etiam communi, paulum madefacta sit. Puluerem hunc pone seorsim, inde rosas quoque rubeas contere, & itidem seorsim pone. Tandem & aloen in puluerem redige, cum quo in mortario puluerem mastiches & rosarum rubearum miscebis, ac tãdem syrupum rosarum pallidarum superfundes: ex his bene malacissatis massa formatur, quam loco opaco decem aut duodecim horis papyro impones siccandam: quæ tandem pelli nitidæ oleo oliuarum inunctæ inuoluitur, & vt inde pilulæ postea fiant, asseruatur.

Modus faciendi pilulas sine quibus.

CAPVT XIII.

Sume aloes vnciam dimidiam.
Rhabarbari,
Agarici trochiscati,
Senæ puluerisatæ, de singulis drachmam & dimidiam.

Ex his affuſo ſyrupo roſarum pallidarum, fit maſſa.

Vnaquæque ſpecies in puluerem redigenda, & ſeorſim ponenda eſt.

Primo pulueriſatur agaricum trochiſcatũ, mox rhabarbarum, poſtea roſæ rubeæ, inde aloe, & tandem ſcammonea, cum qua prædicti pulueres bene miſcendi atque inde ſyrupo roſarum pallidarum malaciſſandi ſunt. Hinc formabitur maſſa, ad pilulas efformandas apta.

Pilulæ ex Agarico.

CAPVT XIV.

Accipe aloes, Agarici trochiſcati, de ſingulis tres drachmas.

Senæ pulueriſatæ drachmas duas

Cotoneati drachmam vnam,

Scammoneæ drachmas duas & dimidiam,

Maſſa fit affuſo roſarum pallidarum ſyrupo.

Sena ſeorſim aſſeruata, agaricum trochiſcatũ, ſcammonea & aloe ſeorſim in puluerem redigenda, deinde cum ſena in mortario miſcenda, ac demum papyro inuoluenda ſunt. Hoc facto, cotoneatum in mortario diſſolues, affuſo aliquanto prædicti ſyrupi: poſtea pulueres omnes iniiciendi, ac tantum ſyrupi infundendum eſt quantum ad malaciſſationem & maſſæ formationem ſufficit.

Pilulæ ex tribus purgatiuis.

CAPVT XV.

Sume rhabarbari vnciam vnam.

Cinnamomi,

Glycyrrhizæ pulueriſatæ de ſingulis drachmã dimidiam.

Ex his affuſo ſyrupo fit maſſa.

Rhabarbaro pulueriſato in mortario miſceantur cinnamomum & glycyrrhiza, ante pulueriſata.

ſata, cum vna amygdala, ſyrupus vero qui Medico ad ægri morbum conuenientiſſimus videbitur, vſurpabitur.

Pilulæ ſomniferæ.

CAPVT XVI.

Sume myrrhæ drachmas tres,
Thuris muſcati duas drachmas & dimidiam,
Seminum hyoſcyami,
Opii, de ſingulis duas drachmas,
Croci,
Caſtorii de ſingulis quinquaginta quatuor grana, id eſt, drachmam dimidiam, & duodeuiginti grana ſingulorum.
Maſſa fit è Syrupo roſarum ſiccarum.
Ingredientia puluериſentur, & ſeorſim ſingula ponantur.
Primo thus maſculum contunditur & cribratur. Sed aliquãto plus ſumes quam præſcriptam doſin. quod enim ſuperfuerit, alterius temporis vſui reſeruabitur.
Crocum deinde quoque contundendum ſeu pulueriſandum, addendumque vnum amygdalum cultro decorticatum, ad prohibendam exhalationem.
Myrrha inde præparanda.
Tandem ſemina hyoſcyami & caſtorii vnà pulueriſanda, iisque pulueriſatis reliqui pulueres admiſcendi. qui ſic miſti papyro inuoluuntur & ſeruantur.
Opium minutim conciditur & in mortarium immittitur; deinde ſyrupo paullatim ſuperinfuſo; leniter interim motum, eliquatur. Sic eliquato miſcentur dicti pulueres, & quantum congruum erit ſyrupus; & è bene malaciſſatis maſſa formatur, ad vſus, vti ſupra dictum eſt, aſſeruanda.

Nota. Massam hanc proprio in loco seorsim quis asseruare debet, & dosin ordinatam ipse appendere. Si enim cum aliis colloces, & pro aliis apprehendas, malum quid pro quo feceris: quum indubie mors sit secutura.

Modus puluerisandæ Glycyrrhizæ.

CAPVT XVII.

QVum pulueris glycyrrhizæ in medicina magnus sit vsus, modum eius faciendi non abs re erit describere.

Sume vncias duas, aut quantum velis, glycyrrhizæ siccatæ mundatam bene contunde, cõtusam cultro sutorio minutim concide, concisam mortario aheneo aut ferreo immitte, contritam in vase vitreo asserua.

TRACTATVS

De conficiendo Oleo Rosato.

CAPVT I.

SVme capitum rosarum recentium integrarum libram vnam, in mortario lapideo, pistillo ligneo contunde, in vrnam fictilem incrustatam immitte, affunde quatuor libras olei oliuarum, & radicula seu spatula lignea bene versa: ollam papyro opertam soli expone, & per vnum aut alterum mensem infusionem fieri sine, spatula interim liquorem interdum versando; quo vti deinde poteris, rosas interim in vase relinquẽs: aut si velis, post prædictum tempus in peluim ad id commodam infunde, & parum calefactum liquorem intra duos asserculos per linteũ robustum percola: expressum in vase commodo asserua.

Vel sume dimidiam libram rosarum rubearum recentium patularum, & tantundem pal-

lidarum

lidarum, contunde, vti dictum est, & ollæ inditis quatuor olei oliuarum libras affunde, spatula interim liquorem bene versans. Eum vasi calidis cineribus imposito inditum calefac, & per sex aut septem dies soli expositum, aut foci angulo appositum spatula sæpe versa. Inde in peluim effusum semel aut bis bullire sine: postea percola & prelo exprime. Interim dum hoc fit, alias recentes rosas contusas vasi immitte, & eis vt supra dictum est, expressum oleum superfunde: pelui tandem infusum, bis aut semel bullire sine, percola, & exprime. Idem de recentibus rosis adiiciendis tertium fieri potest, obseruatis iis quæ prius dicta sunt.

Modus faciendi Olei violacei.

CAPVT II.

IDem omnino modus est Olei violacei faciendi, vt nimirum vni libræ violarum recentium, cum herbescenti viridate, ablatis tantum pedunculis, contusæ, quatuor prædicti Olei libras affundas, obseruatis iis quæ modo dicta sunt. Idem fere modus est in reliquis omnibus oleis, vt nenuphar, Camomillæ, liliorum (vbi flauæ fibræ abiiciendæ sunt) hypericonis, anethi, absinthii, maioranæ, &c. faciendis.

Oleum ex amygdalis dulcibus & amaris.

CAPVT III.

Sume aliquantum amygdalarum dulcium aut amararũ, non decorticatas in mortario lapideo, pistillo ligneo contunde, & quasi in massam redige, eam linteo inditam prelo sensim exprime. Residuum, in quo medulla adhuc est, lebeti inditum igni mediocri impone, & affusa paul-

latim aqua (ne amburatur) ſpatula diligenter verſa. linteo inde inditum prelo exprime, & oleum hoc in locum vbi calor non ſit, repone.



DE VNGVENTIS.

CAPVT I.

Vnguentum Baſilicon.

Sume piſorum, bonæ reſinæ, ceræ flauæ, de ſingulis ſex vncias.

Olei oliuarum libram vnam & dimidiam.

Vnguentum ita fac.

Ceram in minutas admodum ſeca partes reſinam & piſa minutatim contunde, in pelu' vnguentis faciendis commoda liquefac, liquefactum linteo craſſo, ſed puro percola, & in vaſe ſtanneo aut fictili incruſtato aſſerua.

Aureum Vnguentum.

CAPVT II.

Accipe olei oliuarum vncias triginta.

Ceræ flauæ vncias ſex.

Terebinthinæ claræ vncias duas.

Reſinæ, Colophonii, de ſingulis ſeſquivnciam.

Thuris, maſtiches, de ſingulis vnciam vnam.

Vnguentum facies hoc modo.

Primo thus & maſtiche conteruntur, & anguſto cribro percolata ſeorſim ponuntur. Notabis tamen vt aliquanto plus ſumas, ne percolatio aliquid ex ſupradicta doſi detrahat.

Cera minutim secatur: resina & colophonium itidem minutim conteruntur: deinde oleo infusa, colliquantur. His liquefactis, terebinthina iniicitur, liquorem interim spatula diligenter versando, dum quasi totus refrigeretur. Hoc facto, minutim inspergantur thus & mastiche, & tandem crocus, spatula seu radicula interim diligenter totum liquorem versando, vt bene omnia incorporentur, &c.

Vnguentum Pampholigos.

CAPVT III.

Sume olei rosati vncias viginti.
Succi è solanis vncias octo.
Ceræ albæ vncias quinque.
Cerussæ lotæ vncias quatuor,
Plumbi loti & combusti (non lotum tamē, sed subtiliter puluerisatum melius est)
Tuthiæ præparatæ de singulis duas vncias,
Thuris vnciam vnam:

Vnguentum ita facies.

Plumbi puluerisati quantitatem præscriptam appendes:

Tuthiam præparatam in mortario iterum leniter contundes, & seorsim pones, vti & cerussam lotam & siccatam: quibus deinde reliquos pulueres in mortario admiscebis, & pistillo versatos itidem seorsim pones. Thus quoque puluerisatum & cribratum, præscripto pondere seorsim pones. His factis, succum solanorum seu morellorum (cerasorum genus est) cum oleo rosato tamdiu coque, quoad prædictus succus fere totus sit consumptus. Ab igni remotum liquorem crasso linteo percola, & in idem vas prius purgatum refunde, & cum cera minutim concisa liquefieri sine. Liquefactum ab igni amoue, & spatula lignea tam diu versa dum è dimi-

dimidio refrigeretur ; ac tum demum pulueres illos admiſcebis, ſpatula interim aſſidue verſans. Vbi vero quaſi totum frigefactum fuerit, thus tandem addes, & eadem ſpatula diligenter verſabis.

Populeum Vnguentum.

C A P. IV.

Sume gemmarum populi nigræ vncias nouē.
Adipis porcini vncias octodecim.
Aceti fortis,
Aquæ roſaceæ, de ſingulis vncias ſex.
Foliorum hyoſcyami, ſolani, ſeu morellæ, vncias quatuor.
Lactucæ vncias tres
Modus conficiendi hic eſt.

Menſe Martio prædictas populi gemmas decerpe, & in mortario lapideo contunde. Contuſis, adipis porcini bene præparati & loti quantū dictum eſt, adde, & vna cum illis diligenter & diu contunde & miſce. Vaſi indita, ad menſem vſque Iunium aſſerua, dum ſcilicet herbæ quæ ingrediuntur, vires ſuas ſortiantur: quas recentes & bene purgatas, minutatim concides, & in mortario ſeorſim ſingulas contundes: contuſas; adipi & gemmis in vaſe illo aſſeruatis admiſcebis, & acetum aquamque roſaceam affundes: ſicque illud papyro coopertū, octo dierum ſpacio ſoli expones, lignea ſpatula totum diligenter verſans. Poſt octo illos dies in peluim effundes, & coqui ſines donec totus liquor ſit conſumtus: quod ex ſuprapoſitis ſignis cognoſces. Remotum inde ab igne percolabis, & per linteum craſſum exprimes. Quod ſi expreſſum nimis fuerit liquidum, rurſus igni impones, vſque dum debitam acquirat conſiſtentiam vnguenti.

Vnguen-

Vnguentum Rosatum Mesuæ.

CAPVT V.

Sume adipis porcini, vt supra præscriptum est loti, vncias octodecim.

Tantundem foliorum de rosis rubeis recentibus.

His in mortario lapideo pistillo ligneo contusis, adipem adde & vtrumque diligenter tunde & misce. Postea in vrnam seu ollam fictilem angusti orificij incrustratam immitte, eamque papyro operi & soli æstiuo per septem dies expone, aut per tres dies calidis impone cineribus. Inde igne impositum liquorem semel aut bis bullire sine, & omnino calidum robusto linteo percola, abiectis excrementis. Interim dum hoc fit, tantundem florum de rosis rubeis contusorum in prius vas iniice, & expressum adipem seu liquorem superfunde, spatula eum diligenter versans. Vas illud tandem tamdiu vti supra dictum est, vel soli expones, vel calidis impones cineribus: & vbi semel aut bis bullierit, totum percolabis, modo supra ostenso.

Quum modi aquas destillandi seu succi ab herbis, &c. extrahendi communes admodum sint & vulgati, eos describere operæpretium nõ fuerit. Interim sequentia medicamenta addere visum est, quorum vsus & percommodus est, & non multi sumtus.

Medicamentum purgatiuum.

Recipe, Electuarii rosati drachmas duas.
Diaprunis laxatiui,
Diaphœnicon, drachmas duas,
Saccari albissimi, drachmas octo,
Misceantur, & fiat bolus.

Alia Purgatio.

Rec. Mannæ Calabr. opt. drachmas sex.
Rhabarbari electissimi, scrupulos duos.

Spec.

Spec. hieræ pic. simp. scrupulum dimidium
Aquæ Endiuiæ vncias quatuor.
Sirupi de Buglossa vnciam dimidiam.
Misce diligenter.

Antidotum contra omne venenum.

Sume nucum iuglandium siccarum sex vnc.
Ficuum siccarum, vncias sex.
Foliorum rutæ siccæ, semiunciam,
Salis, drachmas duas.

Omnia hæc in minutas partes concisa aqua rosarum imbuantur, non vero conterantur. Aliqui hæc miscent succo acetosæ aut aceto rosaceo, nonnulli etiam addunt semiunciam granorum iuniperi. Hoc antidotum sumatur ieiuno stomacho ad quantitatem nucis castaneæ: estque aduersus venena præseruatiuum.

Finis libri Medicinæ Charitatiuæ.





APPENDIX.

Tam Præseruatiua quam Curatiua remedia contra Pestilentialem morbum continens.

Optimum Præseruatiuum est assidua Dei inuocatio, & vita casta ac sobria, tam in cibo ac potu, quam Venere. Quia morbus hic plerumque ab aeris vitio nascitur, is frequenter tam luculento foco, quam aptis suffumigationibus purgandus. Fœtor omnis, & sordes fugiendæ.

ALEXIPHARMACA composita.

Recipe Fragmen. Gemmarum.
Sapphyri,
Hyacinthi,
Smaragdi,
Margaritarum,
Corallorum rubrorum,
ana scrup. j.
Off. è corde cerui,
Eboris,
Sem. Ocymi,
Card. Benedicti,
Citri,
Oxalidis,
Rad. Betonicæ,
Tormentillæ,
Angelicæ,
Doron.
ana drach. sem.
Terræ sigillatæ,
Boli armeni, ana drach. j.

Moschi,

Moſchi,
Ambræ, ana, grana 8.
Saccari albi ſoluti aqua meliſſophylli, lib. ſem.

Concinnetur Electuarium: quod quidem quia nimis ſumtuoſum eſt: ecce aliud præſeruatiuum pro tenuioris fortunæ hominibus.

Recipe Fulegij,
Serpilli,
Fl. Betonicæ, ana m. j.
Roris marini,
Rutæ,
Lauendulæ, ana, p. j.
Cinnamomi, drach. ij:

Gran. iuniperi maturorum ad pondus omnium. Miſce, & præpara pro puluere. Sume mane fruſtum panis tenuiter ſectum, craticulæ impoſitum pauxillum aſſa, vel butyro illine, inde quantum cultri cuſpis capere poteſt, pulueris huius inſperge & comede.

Alius puluis ad eundem vſum.

Recipe Aloes hepatic.
Cinnamomi electi,
Myrrhæ, ana drach. iij.
Garyaphylli,
Macis,
Xyloalves,
Maſticis,
Boli Armeni,
ana drach. ſemis.

Miſceantur & contundantur ſubtiliſſime, vt fiat puluis cuius doſis aſt quantum bis cultri poſſis capere cuſpide, in vino albo vel aqua Veronicæ hauſti.

Aqua vitæ contra Peſtem.

Recipe Rad. Angelicæ,
Valerianæ,
Leuiſtici,

Men.

Meu. an.
Vnicetoxici,
Zedoariæ,
Pimpinellæ, ana drach. iij.
Flor. Anthos,
Cilendulæ,
Chamomill. ana p. j.
Secentur, contundantur & macerentur per dies quinque in aqua vitæ communis:
Vini albi odoriferi,
ana lb. ij.
Digerantur & distillentur in balneo vaporoso. Aquæ huius mane cochlear vnum plenum sumito. si quis vero iam lue correptum se sentiat, sumat vnc. semis cum scrupul. j Theriacæ Andromachi.

Aliud Electuarium probatæ virtutis.

Recipe Rad. Pimpinellæ,
Angelicæ,
Tormentillæ,
Vincetoxici,
Petasitid.
ana vnic. ij.
Xyloales,
Santali rubri, ana vnc. j. semis.
Sem. Rutæ,
Acetosæ,
Cardui benedicti,
Bauarum iuniperi, ana vnc. j.
Cartic citri, vnc. ij. semis.
Flor. Buglossæ,
Hyperic.
Anthos, ana p. j.
Flor. Saluiæ,
Diptam,
Cinnamomi,
Macis, an. drach. iij.
Spec. Diamargarit.
Diamb.

Diamosch.
Dianthos, ana drach. j.

Contundantur & puluerizentur omnia subtilissime, & cum syrupo Melissophyli fiat Electuarium.

Aliud, vulgo Germanorum Theriaca appellatum.

Recipe. Granorum iuniperi maturorum libras octo, infunde & macera in vino albo generoso per biduum, deinde conquassa, & per setaceum traiice, ad lb. j.

Adde Pulu. rad. Angelicæ, drach. vj.
Pulu. Diptamni.
Cinnamomi, ana vnc. semis.
Terræ sigillatæ,
Corallor. præpara.
Cornu cerui. præpara. ana drach. ij.
Elect. de gemmis,
Diambr. ana drach. j. semis.
Croci, drach. i.
Camphoræ, scrup. ij.

Reducantur omnia cum aqua quadam theriacali in formam Electuarij. Mane huius antidoti sumito, quantum æquet auellanæ magnitudo, aut paullo plus: qui vero peste iam correptus est, sumat altero tanto plus.

Vinum compositum contra Pestem.

Recipe Rad. Angel.
Zedoariæ,
Tormentilla, ana vnc. j.
Roris marini,
Saluiæ, ana p. ij.
Cinnamomi.
Macis, ana drach. j. semis.

Contundantur crasso modo, ligentur in linteolo, mittanturque in lagenam, vel vasculum vino plenum, de quo mane bibatur.

Amuletum compositum.

Recip. Fol. Saluiæ, Roris

Roris marini,
Scordij, an. scrup. j. semis.
Garyophyl.
Macis,
Croci,
Cinnam. an. gr. 6.
Spec. Diamosch. scrup. ij.
Ambræ, gran. 10.
Arsenici crystallini, drach. vj.
Contundenda contundantur & puluerizentur, deinde cum albumine oui & aceto sambucino fiat massa, quæ sindoni inuoluatur, & portetur sub pectore.

Cura Pestis.

Quamprimum quis paroxysmum vel leuem lethalis huius luis senserit.

Recip. Theriacæ Andromachi, drach. j. si paroxysmus cum calore sit coniunctus, sumatur theriaca cum aceto rutæ, aut alio forti aceto: si vero cum frigore veniat, cum vino generoso. Ita cõtegatur deinde æger vt sudor prouocetur.

Alius potus sudorem prouocans.

Recipe. Diascordij Hier. Fracastorij, drach. j. ad scrup. iiij. & ad iiiij.
Elect. de gemm.
Conf. de Hyacinth. an. gr. viij.
Aquæ origani,
Petasit an. vnc. misce pro p.

Puluis paratu facilis.

Recipe Rad. Angel.
Tormentillæ,
Zedoariæ,
Vincetoxici,
Emillæ campanæ,
Petasi. an. vnc. semis.
Contundantur & puluerizentur subtilissime. Valentiori alicui & robusto dentur quatuor scrupuli, aut etiam paullo plus, in vino aut aceto, infirmioribus aliquanto minus, pro ratione complexionis.

Pro Prægnantibus.

Quia super ora fœtibus prægnantium facile nocere possunt, ecce aliud remedium quo tuto vtantur.

Recipe: Boli Arm. præp.
Terræ sigill. præp. an. scrup. j. semis.
Rad. Tormen. Zedoar. puluerif. ana scrup semis.
Diascord. Fracastorij, scrup. j. semis.
Syrup. de succ. borag vnc. semis.
Aquæ buglossæ & Melissoph. an. ℥. v.
Misce pro potu.

Ad vsum eorum qui 13. aut 14. annorum sunt.

Recip. Pulu. rad. Tormen, scrup. j. semis.
Bol. armen. præpar.
Terræ sigillatæ præp. an. scrup. semis.
Liber. gal. scrup. semis.
Syrup. de succo borag. vna. semis:
Aquæ Petasit.
Fumariæ, an. vnc. j.
Misce pro potu.

Pro iunioribus puerilis ætatis.

Recip. Mithridat. scrup. j. semis:
Terræ sigill. præp. scrup. semis.
Vnic. veri, gr. j.
Syrup. de Limon. drach. ij.
Aq. bugloss. q. s. m: pro p.

Remedia Chymica.

Inter chymicas operationes à diuersis auctoribus contra Pestem præcipue commendantur.

Extract. Rad. Angelicæ,
Zedoariæ,
Tormentillæ,
Aristolochiæ,
Enulæ campanæ,
Pimpinellæ,
Dictamni:

Ostra-

Ostrutij.
Petasitidis.
Granorum iuniperi,
Extract. Cardui benedicti,
Vlmariæ.
Cornu:cerui: tener:cum suis propriis, vel tamen habilibus menstruis.

Item Magisterium margaritarum, corallorum, Rubini, Smaragdi, &c. quæ sunt veneni dissipatiua, & cordis corroboratiua: sicut etiam sulphur auratum diaphoreticum.

De Phlebotomia.

PHlebotomia, quamprimum signa morbi apparuerint, quanto citius tanto melius vteris, (expensis tamen ætate, complexione, & viribus ægroti) non tamen prius quam signa nimij sanguinis sese prodant: quæ Auicenna his verbis demonstrat: *Cum*, inquiens, *vides vrinam rubeam & crassam, illico Phlebotoma.* Hæc vero si non adsint, satius est abstinere, ne bonus effluat sanguis, & infectus iam & cum alio humore mistus in corpore remaneat.

De Purgantibus.

Ad Purgantia quod attinet, phlebotomiæ ea nequaquam præmittenda sunt: siquidem sanguis maxime laborans ante omnia purgandus & leuandus est. Sequenti vero die pro ratione cōplexionis prauos humores his remediis expelle.

Phlegmaticos optimum est purgare Agarico, cuius vi praui humores à spiritualibus mēbris expelluntur. Fiat tale:

Recip. Agaric. alb. drach. j. semis.
Cinnam. scrup. semis. Infunde per horas decem in aqua Origani,
Scabiosæ, Meliss. an. vnc. j:
Deinde fiat expressio, cui adde Elect. diacath. drach. vj. Diacath. drach. i. semis.
Syrup. de Scordio, vnc. semis. misce pro potu.

Chole-

Cholericorum vſui adhibere poteris medicinas benedictas, nempe Manna & Rhabarbarum hoc modo:

Recip. Rhabarb. electi & mund. drach. j. ſemis.
Spic. parum: Infunde per noctem in aqua.
Endiuiæ,
Tormentillæ,
Acetoſæ. Manè exprime,
Expreſſioni adde,
Mann. elect. vnc. ij.
Elect. ſucc. roſa. drach. j.
Triph. perſic. drach. j. ſemis.
Miſce pro potu: qui guſtu non eſt inſuauis:

Melancholicorum atra bilis purgatur folii, ſenæ, polypodio querno, epithymo, myrobalanis Indis. Sequens etiam pharmacum eis vtile eſt:

Recipe, Diaſen. lenit. drach. vj.
Confect. Hamech. drach. ij.
Fl. Caſſ. nouit. tract. drach. iij.
Aq. Meliſſ. vnc: j. ſemis:
Bugloſſ. ana vnc. j. ſemis, miſce pro potu:
Vti etiam poteris ſequenti Infuſione:
Recipe Fol. Senæ:
Polypod. quern. ana vnc. j.
Herb. Meliſſ.
Scolopendr.
Fumariæ ana m. ſemis.
Flor: Bugloſſæ,
Boraginis, ana p. j.
Paſſul. mund: parum: Infunde in ſufficienti quantitate aquæ Fumiterræ & bugloſſæ per horas duodecim, deinde fiat fortis expreſſio:
Expreſſioni adde:
Elect. diacathol:
Pulp: Caſſiæ ana vnc. ſemis.
Syrup: de fumar: vnc: ſemis, miſce pro potu.

DE



DE CONSERVANDA BONA VALETVDINE, LIBER SCHOLÆ SALERNITANÆ.

DE ANIMI PATHEMATIS, & remedijs quibusdam generalibus.

CAPVT I.

Anglorum Regi scribit Schola tota Salerni.
Si vis incolumem, si vis te reddere sanum,
Curas tolle graues, irasci crede profanum.
Parce mero, cœnato parum, non sit tibi vanum,
Surgere post epulas, somnum fuge meridianum:
Ne mictum retine, nec comprime fortiter anum.
Hæc bene si serues, tu longo tempore viues.

PRæsens hic liber à Doctoribus Scholæ Salernitanæ in gratiam Regis Angliæ conscriptus, multa & varia conseruandę bonæ valetudinis præcepta complectitur.

In hoc autem capite octo inprimis generatim referuntur, quæ nos singulatim deinde, ac suo quodque ordine explicabimus. Primum ergo est vt tuendæ sanitatis suæ studiosus anxiferas, graueis & pertinaces curas relaxans, ex animo penitus exterminet. Curæ enim corpus vehemen-

ter extenuant & exficcant, fomnum impediunt, perpetuifque vigilijs conficiunt, vires deftruunt, febres etiam accendunt, ac grauiffimis valetudinibus initia præbent: ipfæ quoque melancholiam generant, pariterque calorem innatum refoluunt & extinguunt, & magis, fi diutius durarint. Autor Galenus cùm multis alijs locis, tum præcipue Aphor. lib. 2. comment. 28. & lib. 3. commen. 31. & de tuenda fanitate lib. 1 ca. 11.

Triftitia. *Galenus de parua pila exercitio c. 4.*

Sub eodem præcepto comprehendi debent & Triftitiæ, quæ & ipfæ corporis naturam frigiditate & ficcitate corrũpunt: id quod Salomõ quoque capite 17. Prouerbiorum fuorum atteftatur. Spiritus triftis, inquit, exficcat offa. Sed cum omnis mœftitia generandæ melancholiæ vim habeat, quo tamen vehementior ac diuturnior hæc affectio fuerit, eo plus adfert periculi. Nam prærerquam quod corpus macie paulatim extabefacit, cor etiam ipfum immodice conftringit, fpiritum obtenebrat, ingenium hebetat, rationem impedit, iudicium obfcurat, & memoriam obtundit. In mœroribus item fortibus, vti à Nemefio capite vicefimo, de natura hominis, ex tertio libro Demonftrationum Galeni refertur, biliofa quædam fuperfluitas confueuit in ventriculum defluere, & multo magis, quum per fe ipfe male affectus fuerit: quæ fane moleftiam exhibet, vt nõ prius à mœftitia & cruciatu ceffet, quam fuperfluitas illa vomitu eiecta fuerit: id quod Galenus etiam Aphorif. lib. 6. comment. 50. teftatur.

Idem de timore quoque intelligendum: nã & ipfe intro & ad principium tum fpiritum, tum fanguinem vna cum refrigeratione eorum quæ in fummo corpore funt, abducit ac contrahit: itaque etiam pulfus tum arteriarum, tum cordis, ijs qui timent, minimi ac maximè imbecilli funt: partes in fuperficie pofitę algent, corpufq; pallefcit, tremor incidit, vox interrumpitur, & vires denique conuelluntur omnes. Quod autem

rem in tristitia paulatim patiuntur homines, id in timore confertim accidit, diffidentibus scilicet inter se passionibus ijs, non toto genere, sed magnitudine & vehementia. Itaque etiam ob timorem & immensum mœrorem nonnulli repentina morte interierunt, quod scilicet imbecilla suapte natura animula eorum, sub valido affectu oppressa confertim extincta & suffocata sit, quemadmodum luculenter & perspicuè docet Galenus, libro 2. capite 5. de causis sympt. Quippe extingui eam accidit propter affectus ipsius naturam, vt cuius generatio in refrigerando consistat: Suffocari autem, eo quod totus sanguis vna commeet, atq; ad principium deferatur. Cuius sane rei insignia exempla extant apud Plinium, lib. 7. cap. 36. naturalis historiæ. Quocirca eum, qui sanitatis suæ tuendæ curam susceperit, cane peius & angue omnia illa, quæ non aspectu & auditu modo, verum & mentis agitatione tristia existunt, fugere oportebit. Quod Aristoteles quoque innuisse videtur, quum problemate 5. sect. 7. scribit, in λειποθυμίαν incidisse quãdoque, qui homines suffocari laqueo vidissent solum. Lege plura apud Stephanum Atheniensem in lib. 1. ad Glauconem comment.

12. Hoc tamen ignorandum non est, quod obesis nonnullis, quibus corpus immodice plenum est, ac ijs etiam qui spiritus admodum mobiles & calidos habẽt, interdum vtile sit, si curis, timore, & tristitijs conficiantur: quo nimirum spiritus calor hebetetur, & nimia moles, quæ corpus onerat, extenuetur aliqua ex parte atque auferatur: id quod vno ore confirmant Paulus Ægineta libro 1. c. 17. Aetius lib. 4. capite 32. & Rhazes li. 4. ca. 9. ad Almansorem. *Tristari quibus vtile.*

Secundum, vt ab ira temperet. Nam cùm ira sit feruor quidam ac vehemẽs motus caloris in ipso cordis corpore, qui in extimas tandem partes cũ impetu diffunditur, vt eam plane dilucideque *Ira.*

Galenus lib. i. c. 4. de different. feb. & in libro de causis morborum. cap. 2. definit, necessario corpus ipsum immodicè calefacit & exsiccat, quo fit, vt febrim nonnunquam accendat, in ijs præsertim corporibus, quæ in se admissam caliditatem longo tempore retinere apta nata sunt. Etsi enim motus cordis sedetur, in hisce tamen remanet calor præter naturam, atq; inde hominem febricitare contingit. Quidam etiam ira cõmoti, quasi attoniti ac extra se positi videntur. Sunt præterea qui impotenti ira impetuosius cõcitatos in ἀποπληξίαν incurrisse multos, repenteque animam expirasse, nonnullos verò furore comitialis morbi accesione, παραλύσει, cõuulsione, podagra, & articulorum maximè ac totius corporis tremore comprehensos cõcidisse tradant. Obstat etiam animi iudicio, & rationis opera perturbat, & vt Cicero ait, ira præsente nihil recte fieri potest. Offenduntur autem ab ira potissimum, qui temperaturam corporis totius calidiorem quàm par sit, aut morbo, aut natura consequuti sunt: præcipue quando cor & caput naturali intemperie immoderate feruent, aut aliquo aduentitio calido affectu laborãt. Animalibus tamen vitijs, morbis frigidis, & natura frigidiori cordi & capiti, Galeno l. 6. Epidem. parti. 5. comment. 9. autore, ira nõ leue præsidium adfert. Innatum enim calorem in ipsis iam torpescentem excitat adaugetque. Quod Hippocrates etiam lib. 2. Epidem. partic. 4. in eum scribens modum confirmat: Diligentia, inquit, adhibẽda est, vt excandescentia inducatur, & coloris reparãdi gratia. Quocirca ipsa à perfrigeratis, pallido colore præditis & καχεξία laborantibus ex quibusdam interuallis & temporibus opportunis assumenda est: non sane ita continẽter, vt facultas offendatur: sed perinde vt exercitationes innatum calorem corroborantes non immoderatas

Quibus irasci vide.

tas

tas facere oportet, ſed tum opportune, tum moderate aſſumere, ita & excandeſcentiã, ſi clariſſimis Medicinę ſcriptoribus Galen. l. 3. c. 10. de difficul. reſpir. Paulo li. 1. c. 58. & Aetio li. 4. c. 33: credendum eſt.

Tertium, Vt moderate vino vtatur. Vinum enim modice hauſtum natiuũ calorem adauget, teſte Galeno capite 4. de cauſis morborum. Vbi vero immoderatius bibitur, quam vt vinci poſſit, tantum abeſt vt animal calefaciat, vt etiam frigidiora vitia gignat, quemadmodum copioſe Galenus l. 3. c. 5. de temperamentis oſtẽdit: quippe apoplexia, paralegia, & quæ Græci caron & comata vocant, neruorum reſolutio comitiales morbi, conuulſiones, terani, & debilitas ventriculi, ac reliquorum membrorũ omnium immodicum vini potum comitantur, quorum vnumquodq; frigidum eſt vitium. Sed de his plura infra capite decimoquinto. *Vinum.*

Quartum, vt in cœna modico cibo vtatur, exiguus namque cibus à facultate vinci perfecte & facile poteſt. Qui verò noctu multum ingerunt, ventriculumque nimio cibo onerant, dolorem primum & anguſtiam perpetiuntur, deinde nec probè dormire, nec recte concoquere poſſunt, quod nimia copia facultas aggrauetur, ceu nimio pondere preſſa, ſubindeque ſuperare ingeſtũ cibum nequeat, id quod & infra ca. 5. vberius ac fuſius declarabimus. *Cœna.*

Quintum, vt ſtatim à ſumpto cibo ſurgat: hoc enim ad concoctionem facit, quia cibus ſumptus ita facilius deſcendit in imum ventriculi, in quo Gal. l. 5. ca. 5. de locis affect. teſte, coctionis opus perficitur. Infra c. 2. & 76. *Somnus meridianus.*

Sextum, ne á prandio ſomno indulgeat. Is nãque ſomnus, qui cibũ ſtatim excipit, fumoſis exhalationibus caput replet, diſtillationeſq; parit. Sed de hoc vberius infra ca. 3.

Septimum, ne lotium diutius, quam natura *Lotij recentio.*

 fert

fert remoretur : hinc enim interdum oriuntur δυσουρία καὶ ἰσχουρία, hoc est, vitia, in quib. vrina aut ægre & difficulter excernitur, aut in totũ supprimitur ac cohibetur. Eodem modo calculus aliquando & aqua inter cutem gigni perhibentur, neque aliud quidquam æque vesicam lædit, atque longior vltra mingendi voluntatem lotij retentio: id quod testantur cum primis Galenus lib. 6. cap. 4. de loc. affect. Rhazes lib. 4. ca. 6. ad Alman. & Auicen. Fen. 19. 3. Tract. 2. c. 6.

Excrementorum retentio. Octauum, ne compressis natibus ventris onus supprimere & retinere tentet: ita namque indurantur fæces in intestinis ob continuam suctionem venarum mesaraicarum, quę cum intestinis continuatæ omnem humiditatem è fæcibus exugunt: quo fit, vt illę exsiccatæ difficilioris exitus intestina obstruant oppilentque: oppilationem vero ob flatuum eductionis præclusionem & aliarum consequentium fæcum coaceruationem, nocumenta sequuntur, cum illa, quæ cap. 4. enumerantur, tum etiam quæ referuntur à Cornelio Celso lib. 1. cap. 3. Ex ventre, inquit, suppresso, inflammationes, caligines, capitis dolores, aliaque superioris partis mala increscunt. Quibus accedunt etiam, vt Rhazes testatur, τεινεσμὸς, & cibi fastidium, quod malum Gręci ἀνορεξίαν Latini vero appetentiæ amissionem vocant.

Summopere præterea cauendum, ne in exoneranda aluo nimio conatu vtatur, nam & hinc nõ raro sequi solet τεινεσμὸς, hoc est, crebra & inanis egerẽdi volũtas, aut exitus intestini, quod ab osse sacro ad anum vsque pertinet, Græcis, ἀπευθυσμένον, ἔντερον καὶ ἀρχὸς dicitur, Latinis longa, non rectum, & princeps, teste Andrea Vesalio lib. 5. fabricæ humani corporis.

Vltimo tandem loco subiungitur, longissimo tempore victurum, quicunque hæc præcepta studiose & diligenter obseruauerit.

Si

Si tibi deficiant Medici, medici tibi fiant
Hæc tria: mens hilaris, requies, moderata diæta.

Hoc loco fit mentio trium remediorum, quę in defectu Medici vicem eius cum apud alios, tum nobiles maxime & excellentes viros supplere possint.

Primum, Animus hilaris ac lętus: lętitia enim calorem excitat naturalem, spiritus temperat & puriores reddit, virtutem corroborat, ætatem floridam facit, iuuenile corpus diu conseruat, vitam prorogat, ingenium acuit, & hominem negotijs quibuslibet obeundis aptiorem reddit. Conuenit autem vt hæc ipsa lætitia siue gaudiũ bonæ valetudini commodum, sit temperatum, non excedens modum, neque repentinum. Nimio enim & repentino gaudio, quemadmodum Galenus lib. 2. cap. 5. de Symptomaton causis, & Alexander Aphrodisæus problemate 21. memoriæ prodiderut, tanta fit cordis relaxatio, vt virtus vitalis vna cum innato calore tota egeratur ac dissipetur, adeoque syncope nonnunquam & repentina mors consequatur. Atque huius quidem rei extant horribilia ac pertimescenda exẽpla apud T. Liuium Deca. 3. libr. 2. Val. Maximum lib. 9. cap. 12. Plinium lib. 7 cap. 32. & 53. & A. Gellium lib. 3. cap. 15. At enim cum iuxta tritissimum scholis medicorum dictum, contraria contrarijs curentur ac depellantur illis potissimum gaudium adsciscendum est, qui tristioribus animi pathematis immodice conficiuntur. Quod sane per illa cumprimis consequentur, quæ principes facultatum partes corroborant, sanguinem bonum generant, & spiritus instaurant: eadem quippe & menti, Auicenna 41 capite 1. & 11. 3. tract. 2. cap. 10. teste, gaudium & lætitiam conciliant adiunguntque. Huiusmodi porro sunt cibi suaues & boni succi, vinum subtile ac delectabile, boni & fragrantes odores, delecta-

Mẽs hilaria Galenus de parua pila exercitio c. 1.

Gal. com. 5. in 6. de morbis vul. aph.

lectabilium rerum cōmemoratio, & cum amicis & familiaribus frequentior & iucunda conuersatio. Quare, vt Eobanus noster diserte canens admonet:

Vtere conuiuis non tristibus, vtere amicis,
Quos nugæ, & risus, & ioca salsa iuuant.
Quem non blanda iuuant varij modulamina cantus,
Huic iecur & renes ægraq; corda stupent.
Nam nihil humanas tanta dulcedine mentes
Afficit, ac melicæ nobile vocis opus.
Tange lyram digitis, animi dolor omnis abibit:
Dulcisonum reficit tristia corda melos.

Atq; hinc inde adeo est, quod grauissimus autor Plutarchus in libro de virtute morum tradit, Pythagoram animo pacando sedandoq; ab affectibus & perturbationibus vehementioribus Musicam adhibere solitum. Sic Saul quoque per Dauid psallentem à spiritu maligno liberatum legimus. His similia & scitu non indigna libro 1. & 14. Dipnosophiston Athenæus refert. Atque hactenus quidem dicta magna ex parte hisce etiam versibus ex Hieronymo Fracastorio complexi sumus:

Samuelis 1. c 18. & 19.

Tu tamen interea effugito quæ tristia mentem
Sollicitent, procul esse iube curasq; metumque
Pallentem, vltrices iras: sint omnia læta.
Alma Ceres te in hoc, Bacchi quoq; læta iuuabunt,
Munera, sic dulces epulæ, sic copia rerum,
Sic vrbis, sic ruris opes, & summa voluptas,
Visere sæpe amnes nitidos, iucundaque Tempe,
Et placidas summis sectari in montibus auras.

Trāquil-

Secundum, Animi tranquillitas: Nobiles enim & excellentes viri, ob maximas & diuersas curas

quas sustinent,(si ipsis cętera omnia ante pariter adfuerint,mentis inquietudine magis quã mediocris conditionis homines læduntur. Nam si quid aliud,hæc maximè somnum impedit, qui nobilibus , cum biliosæ fere & siccioris naturæ sint,imprimis conueniebat.Vigiliæ vero,vt Galenus lib.7. cap.6.Therapeu. metho.author est, magis adhuc totum corporis habitum siccãt, adeoq; ijs, qui alioquin ex siccitate laborant,infestissimæ sunt.Vel requies hic ad corporis quietẽ, quæ motui opponitur,referenda est.Nam & hęc quoque ad valetudinem necessario adhibetur. Calorem enim naturalem assiduis laboribus fractum ac dissipatum reuocat, vires exhaustas ac pene perditas recuperat,adeoque præstat vt animal se colligat,ac durare possit.Quod diserte admodum apud Ouidium lib.1.epist.4. *litas animi.*

Quod caret alterna requie, durabile non est:
Hæc reparat vires,fessaq; membra leuat.

Eleganter autem alternam requiem vocat:sicut enim non semper laborare , ita nec semper quiescere expedit.

Tertium,Moderata dięta,id est,modus seu ratio viuendi Græcis communiter δίαιτα dicitur,Latini victus rationem reddunt.Quidã Græcam dictionem retinere,acLatinis characteribus diætam scribere maluerunt,vulgus Regimen sanitatis,siue regulam victus appellat. Complectitur autem in se non modo quę ad cibi & potus rationem attinent,sed reliquas etiam res omnes quas non naturales Medici vno ore vocare solẽt. Harum enim commodus & moderatus vsus saluberrimus est,& corporis constitutionem conseruat:intempestiuusvero & immodicus sanitatem adeoque naturam hominis corrumpit. Vt igitur vita morbis omnium minime obnoxia sit, harũ legitimus vsus solicite ac diligenter seruandus est.Plura infra ca.55. *Dieta moderata.*

DE CONFORTATIONE CEREBRI. CAPVT II.

Lumina mane manus surgens gelida lauet vnda,
Hac illac modicum pergat, modicum sua membra.
Extendat, crines pectat, dentes fricet: ista
Confortant cerebrum, confortant cætera membra,
Lote cale, sta pranse, vel i, frigesce minute.

Hic traduntur sex præcepta de confortatione tum cerebri, tum reliquorũ membrorũ omniũ.

Visum conseruãtia. Primum, vt singulis diebus mane oculi ieiuno lauentur: à sordibus enim & lemis, quæ in ipsis noctu coaceruantur & palpebris adhærescunt, ne inde læsionem percipiant aut corrodantur, diligenter repurgari debent, idque aqua clara, viridi & frigida inspersa potius, quam per manus admota faciendum est, vel certe in eadem aperti ambo quoad poterunt immergendi, ac longiore deinde temporis spacio supprimendi sunt. Hoc enim non abstergit modo, ac claros nitidosque reddit, sed sanos etiam conseruat, visumq; acuit & confortat, & maxime in iuuentute, quemadmodum Paulus Ægineta lib. 1. ca. 31. Rhazes lib. 4. capit. 22. ad Almansſ. & Auic. 33. Tract. 1. cap. 5. & 3. 3. Tract. 4. cap. 3. fidelissime tradunt. Cur autem frigida magis quam calida lauari debeant, ratio hæc est, quod vt Galenus cum alibi sæpe, tũ maxime aph. lib. 1. commentario 16. & libro tertio ca. 41. de aliment. facul. & cap. 86. artis medicinalis testatur, conseruatio in temperatis semper per similia fiat. Oculi vero, vt lib. 5. cap. 1. de genera. animal. & lib. 2. c. 10. de partibus eorundem, & in lib. de sensu & sensibili ca. 2. Aristot. scribit, sunt de natura aquæ, hoc est, frigidi: quare etiam frigida potius, quam calida lauari debent. De recre-

ationem

atione & confortatione visus paulò post, & infra capite 79.

Secundum, vt manus quoque lauentur: cũ enim instrumenta sint, quibus emundantur organa superfluitatum cerebri, aures nimirum, oculi, nares, & os, conueniet sane & ipsas cum primis esse mundas. Lauandæ igitur sunt, sed frigida magis, quam calida: & hoc quidem cum alias ob causas, tum maximè quod lotio manuum in aqua calida, & præcipue post cibi sumptionem, Auicenna 163. Tract. 5. cap. 1. teste, vermes in ventre generet. Quia innatus calor, qui in ventriculo ac reliquis nutritionis membris cōcoctionem operatur, per eiusmodi lotionem ad exteriora retrahitur. itaque imperfecta fit concoctio, quæ potissima generationis vermium causa existit. Plura de lotione manuum infra c. 23. *Manuum lotio.* *Calida mannum lotio vermes generat.*

Tertium, vt postquam è somno experrectus surrexerit, paulatim inambulando se moueat, vt primæ & secundæ concoctionis excrementorum redundantię quę sunt fæces & vrina, descendant, & ad faciliorem excretionem præparentur adiuuenturque. *Motio.*

Quartum, vt sub idem tempus pandiculetur, hoc est, manus, pedes, & simul totum corpus extendat: quo videlicet spiritus vitales vna cũ sanguine, qui per somnum intro magis fugiunt (vt lib. 2. part. 5. Epid. aph. 29 doctissime & breuissime Hippocrates dixit) ad exteriora membra reuocentur, eoque modo spiritus cerebri puriores ac temperatiores reddantur. *Pandiculari.*

Quintum, vt crines pectat & ornet. Per hoc enim pori capitis aperiuntur, cerebri vapores in somno collecti ab oculis ad superiora alliciuntur ac dissipantur, & spiritus temperantur, subtilioresque fiunt. Pectinis igitur supra caput administratio sensuum instrumenta & corpus reliquum corroborat, visum acuit, & cognitionem reddit meliorem, adeoque ob idpsum interdiu sæpius *Pectere crines.*

reuocanda eſt, veluti Auicenna 3.3, Tract. 4. ca. 3. copioſe ſcribit. Atq; huic ſane inſtituto pecten eburneus probe politus & læuigatus tutiſſimum præſtabit vſum, moderate à fronte ceruicem verſus quadragies ductus, Marſilio Ficino l. 1. de vita ca. 8. teſte.

Dentium immundities.

Sextum, vt dentes fricet ac mundet: immundities enim dentium pręterquam quod oris grauеolentiam parit, ſpiritus etiam fœtidos, impuros, & turbulentos exhalat, qui ad cerebrum eleuati, ipſi non paruam noxam inferunt. Sordes item dentium cum cibo permixtæ & in ventriculum delatæ, cibum ipſum ſæpe corrumpunt. Idem de lingua iudicium eſt: nam & huic adhærentes ſordes, ne in ventriculum deferantur, diligenter abſtergendæ ſunt. Quare os mane experrecto gargarizandum, &, niſi hyems ſit, multa aqua frigida, cui aceti nonnihil admiſtum ſit, fouendum eſt, vt eleganter admodum lib. 1. cap. 2. Cornelius Celſus præcipit. Nihil autem dentibus æque nocet, ac frequentior lactis eſus, veluti Galenns lib. 3. cap. 14. de alim. facult. diſerte & copioſe ſcribens admonet. Nocet, inquit, lactis eſus aſsiduus dentibus, & circumdatis carnibus, quas gingiuas nominant. Has enim humidas, dentes vero putrefactioni & eroſioni admodum obnoxios reddit. Sumpto igitur lacte, os vino diluto colluere conuenit. Satius autem fuerit, ſi mellis etiam quidpiam ipſi inieceris. Ita namque omne caſeoſum, quod ex lacte dentibus ac gingiuis circumfixũ fuerit abſtergetur. Quod ſi etiam cuipiam tam robuſtum ſit caput, vt vini meri collutione non offendatur, melius is dentibus & gingiuis conſuluerit: veruntamē & mel vino permiſtum miſturam ex vtroq; reddit meliorem. Illud vero dentium incolumitati tutiſſimum aduerſus lactis iniurias fuerit præſidium ſi quis poſt ſumptum ipſum primo mellicrato, deinde vino adſtringente os colluat. Hæc ille.

Por-

Porro modus,quo dentes à putredine, erosione, dolore,& graueolētia vindicari possint,optimus nobis à Dioscoride lib.14.cap.4. Plinio lib. 26. cap.8.Galeno lib.8.cap.36.de simp.medic. fac.& lib. 3. de compos. phar. sec. loc. capite 18. & Auicenna 7.3.cap.2.præstituitur : vt os singulis mensibus vino, vel aceto, in quo Tithymali radix ad dimidias decocta sit,bis colluatur. Hoc enim non solum dentium ac oris commendat odorem,sed eorundem etiam dolori auxiliatur,& sanitatem conseruat. Plura infra cap. 80. Aures quoque bene à suis redundantijs exonerandæ sunt;neque solum eorum excrementorum, quæ manifeste per certos meatus,sed omnium etiam quæ occulte exeunt, vacuatio lacessenda & molienda est.

Lotio præseruans à dolore dentium.

Vltimus versus tria præcepta saluberrima complectitur.Primum,vt balneo lotus atque æstuans omni cura & diligentia aduersus ambientis cœli frigidiorem intemperiem sese muniat & defendat : ne illa scilicet per poros à balneo apertos in omne corpus permanās,ibidem mali quidpiam ingeneret. A contrario siquidem ad contrarium repentina & inordinata transgressio, Galeno aph.lib.3.com.22.teste, periculosa admodum existit,pręsertim cum facta ad frigiditatem subita commutatio eos,qui antea difflabantur,& per sudores euacuabantur,humores iam in profundum corporis repellat,adeoque partes etiam ad ventriculum atque intestina attinentes offendat.

Balneorũ regimen.

Obseruandum etiam,ne à recens accepto cibo balneo statim vtatur,neque protinus post lotionem comedat aut bibat:qui enim paulo ante bibit,huic caput repletur:qui vero cibum sumpsit, huic non caput modo,verum & corpus totum alimoniam ad se priusquam concocta fuerit, trahit,adeoq; crudis & inconcoctis humoribus impletur.Statim vero post lotionem cibum vel potum

tum sumere, caput replet, deuoratumque interdum superfluitare facit, quemadmodum copiose in 3. libr. de vict. rat. in morbis acutis, coment. 55. & 56. in lib. de Matasmo cap. 14. Galenus ostēdit. De potu idem confirmat etiam Cornel. Cels. qui lib. 1. cap. 3. in eum scribit modum: Illud nosse oportet, quod ex labore sudanti frigida potio perniciosissima est, atq; etiam (cum sudor se remisit) itinere fatigatis inutilis. A balneo quoque venientibus Asclepiades inutilem eam iudicauit. Atque ex hac quidem causa, quomodocunq; sudanti adhuc, frigidum bibendum non est. Cauendum etiam, ne in ipso balneo comedat, bibat, aut dormiat: inde enim bona ventriculi cōcoctio oblæditur, & naturæ pugna cietur, dum sanguis, spiritus, & calor naturalis adscititio balnei calore ad exteriora allecti & protensi ad interiora retrahuntur, & in profundum secedunt: Inter dormiendum etiam humores aliqui in vētrem confluunt, qui non, vt in alijs somnis concoquuntur, sed longe plures fiunt, inconcocti permanentes. Somnus vero à balneo vtilissime conceditur. Nihil enim est, (vt Galenus lib. 4. cap. 9. de Sanitate tuenda scribit) quod æque concoquat ea quæ concoqui possunt, & malos succos per halitum digerat, vt somnus à balneo.

Stare à cibo aut leuiter inambulare.

Secunda, vt paulisper à cibi sumptione erecto corpore consistat: quo cibus ingestus in ventriculi fundum, vbi concoctionis officina est, æquabiliter descendens, promptius concoquatur: ac raro deinde, nec ita longo incessu inambulet, ne ob vehementiorem corporis motum calor è profundo ad partes exteriores attractus dissipetur, adeoque cibi præpediatur concoctio. Plura infra cap. 76.

Statim à secta vena frigus captare.

Tertium, vt post venæ sectionem frigescat, quod est, in paulo frigidiore ambientis nos aëris constitutione tantisper immoretur, siue decumbat, dum sanguis & spiritus per phlebotomiam

exagitati ſedentur & conquieſcant. Atque huic quidem interpretationi aſtipulatur etiam Ioannes Fernelius, qui in libello de vacuandi ratione cap.19.in hunc modum ſcribit: Neque igitur ad conſueta munia properet, neque celerius inambulet, neq; vllo exercitationis genere ſe fatiget, neque vtatur Venere, neque protinus loca calidiora ingrediatur, neque in balneum deſcendat: quandoquidem ſanguis & ſpiritus vehementius incitati, ne diſsipentur aut incaleſcant, ſedandi comprimendique ſunt. Hactenus ille: vel Minute, aduerbialiter hic accipiendum, pro eo, quod eſt parum ſiue pauliſper, vt referatur ſcilicet ad ea quæ immediate præcedunt, & ſit hic ſenſus: Sumpto cibo cœlo frigidiori te pauliſper exponito. quo calor innatus, propter circumſtantem extrinſecus frigiditatem ad interiora refugiens & ſecedens meliorem tum concoctionem & ſanguificationem, tum etiā nutritionem operetur. Experientia ſiquidem conſtat, calorem per ſeipſum ac ſponte quidem poſt cibi ſumptionem, vt eum mutet facilius ac concoquat, in profundū refugere: atque hinc adeo fit, vt exteriora corporis membra, quæ ante vtcunque calida ſentiebantur, à prandio atque cœna frigore & tremore concutiantur. Quare naturæ in eo quod recte operatur, opitulandum eſt.

DE RECREATIONE VISVS.

Additio.

Fons, Speculum, Gramen hæc dant oculis releuamen.
Mane igitur montes, ſub ſerum inquirito fontes.

Tria hoc loco recēſentur, quæ inſita naturæ vi & ſubſtantiæ quadam ſimilitudine oculos recreant, & viſum maxime conſolantur.

Primum, Fons: per quem quælibet pura & perſpicua aqua, ſiue ea ſit fontium, ſiue fluuiorum, ſiue etiam puteorum intelligenda eſt. Hæc enim ob cognationem & ſimilitudinem, quam cum oculis habet, viſum citra violentiam congregās, ad naturam reducit & recreat. Τὸ γὰρ κατὰ φύσιν ἀεὶ χρῄζει τῶν ὁμοίων, inquit, Galenus aphor. lib. 1. comment. 16. Oculi autem frigidi & humidi, perſpicui atque omnium partium nitidiſsimi, & pulchre politi ſunt, perinde atq; aqua quocirca ab eiuſdem aſpectu eos corroborari ſimul ac refici conſentaneum eſt. Atque hoc ſane conſilio Ariſtoteles Alexandrum illum cognomento Magnum inſtituens, ei præcepiſſe videtur, vti frequenter ac diutius aquam viridem, claram & perſpicuam intueretur, oculosq; in ipſam ſubmergeret: eiuſque rei teſtem habemus non contemnendum Ioannem Meſuen in opere practico de ægritudinibus oculorum. Cæterum ſi nulla fontium aut fluuiorum inſpiciendorum facultas fuerit, oculis profecto ex aquæ frigidæ, claræ & perſpicuæ in peluim viridem infuſę contuitu eadem accedet accommoditas.

Speculū. Secundum, Speculum, quod & ipſum vtique oculorum aciem eadem ratione excitare putandum eſt. Oculus namque læuis eſt & lucidus, ac ſplendens inſtar ſpeculi: quod tum experientia inter omnes conſtat, tum à Plin. quoq; libr. 11. ca. 37. oſtenditur. Oculis, inquit, abſoluta vis ſpeculi, adeoque vt tam parua illa pupilla totam imaginem reddat hominis. Ea cauſa eſt, vt pleræque alitum è manibus hominum oculos potiſſimum appetant, quod effigiem ſuam in ijs cernentes, velut ad cognata deſideria ſua tendunt. Cauſa etiam cur ſpeculi inſpectione oculorum acies excitetur, adeoque viſus ſubſtantia conſeruetur, hæc adſignari poteſt, quod radij in ſuperficie ſpeculi collecti, cum ob denſitatem & duritiem eius vlterius procedere non poſsint, minime diſſol-

uantur

uantur ac dissipentur, ob æqualitatem læuitatemque seruentur infracti, ob nitorem vero augeantur, & multo quam prius erant reddantur fortiores: quod nec ipsum sane Aristoteles, Mesue referente, ignorauit, cum eundem illum Alexandrum adhortaretur, vti se subinde ad tersum & directum speculum contueretur, & longiori deinde temporis spatio oculorum aciem in ipsum defigeret.

Vitrea quoque vocata conspicilia visus substantiam conseruant, adeoque præstant ne oculi minutioribus rebus contuendis victi fatiscãt, neue spiritus resoluantur. Atq; hinc certe gemmarum sculptores & aurifices subtiliter quidpiã ac ingeniosè sculpturi eiusmodi vtũtur conspicilijs, aut sane per phialam ex tenui, puro, atq; albo vitro conflatam, eamque clara & perspicua aqua plenam, oculorum aciem rei sculpendæ intendunt. Cur vero ita visus non defatigetur, in causa est, quod species de medio clariori ad dẽsius permeantes maiores simul & crassiores appareant, adeoque visum conseruent. *Conspicilia vitrea*

Tertium, Gramen per quod quarumlibet herbarum frondiumque ac aliarum etiam rerum virentium contuitus accipiendus est. Oculis enim iucundissimum spectrum viriditas est. Atq; hinc sane Aristoteles problemate 20. Sect. 31. quærit: Quamobrem cum cæteras intuemur res, conspectus noster peius afficiatur atque fatiscat; cum ad virides herbaceique coloris inspicimus, vt olera, cæteraq; his similia, recreetur, meliorq; euadat? An, inquit, conspectum in alba nigraue intendere minime possumus, propterea quod vtrunque id genus coloris videndi viribus officit: colores autem illi, quibus oculi acquiescunt, medium albi nigrique obtinent? itaque aspectus cum medioc[r]i lenique obuio afficiatur, nihil debilitatur: imò vero corroboratur atq; reficitur. Hæc ille. Quãquam autem viridia omnia, vtpote tempera- *Viridia.*

pera-

peratiſſima, viſum maxime colligant, atque oculos reficiant: inter ipſa tamē alia aliјs efficaciora inueniuntur. Sic certe nullius aſpectus Smaragdo iucundior eſt. Quod Plin. lib. 37. cap. 5. diſerte iјs ſignificauit verbis: Herbas virentes, inquiens, frondeſque auide ſpectamus: Smaragdos vero tanto libentius, quoniam nihil omnino viridius comparatum illis viret. Præterea ſoli gemmarum contuitus oculos implent, nec ſatiant, cum & ab intentione alia obſcurata aſpectu Smaragdi recreatur acies, ſcalpentibus gemmas non alia gratior oculis refectio eſt: ita viridi lenitate laſſitudinem mulcent. Idem fere lib. 29. capit. 6. de ſcarabeo viridi ſcriptum reliquit. Scarabei, inquit, viridis natura contuentium viſum exacuit. Itaque gemmarum ſculptores contuitu eorum acquieſcunt. Neque obſtat quod Galenus ca. 2. & 6 lib. 1. de Symptomaton cauſis, vbi ex profeſſo de iјs agit, quæ oculos aut moleſtant aut offendunt, & lib. 10. cap. 3. de vſu part. cœruleo & fuſco recreandi & reficiendi viſus quam maximam vim eſſe ſcribit. Sunt enim & hi colores medij atque temperati, adeoq; ob id oculis gratum & iucundum ſpectaculum præbent, viſumque morbo affectum aut fatigatum corrigũt ac recreant: quod omnibus ſane coloribus ad medium inclinantibus commune eſt. Hoc igitur prouidentes pictores, quando in albis corijs & conſimilibus rebus, quibus facile viſus offenditur, pingunt, colores cœruleos ac fuſcos apponunt, in quos ſubinde intuentes recreant oculos ac reficiunt. Atque etiam ophthalmia laborantes lux quidem offendit, eosque arguit: fuſca vero ac cœrulea ſine dolore intuentur. Quæ hactenus dicta ſunt, ea omnia Marſil. Ficin. lib. 2. cap. 14. de producenda vita, planius & dilucidius iјs verbis expreſſit: Cauſam, inquiens, perquiremus, ob quam color viridis viſum præ cæteris foueat, ſalubriterq; delectet. Inueniemus tandem natu-

naturam viſus eſſe lucidam, ac lucis amicam, volatilem tamen ac facile diſſipabilem. Idcirco dū per lucem ſe dilatat velut amicam, interdum nimio lucis exceſſu rapitur prorſus, & vehementi dilatatione diſſoluitur: tenebras autem naturaliter velut inimicas fugit, ideoque radios in anguſtum inde retrahit. Optat vero viſus ita perfrui lumine, vt per amicum hoc ſuum amplificetur quidem, nec tamen interim diſſipetur. Iam verò in quocunque colore plus admodum tenebrarū ſiue nigredinis eſt, quam lucis, non dilatatur radius viſus ad votum, nec illo proinde oculus delectatur. Vbi viciſsim plus admodum ſplendidi coloris eſt, quam nigri, ſpargitur latius, noxia quadam voluptate diſtractus: Quamobrem color viridis maxime omnium nigrum cum candido temperans, præſtat vtrumque, delectans pariter atque conſeruans, & molli inſuper & adhuc tenera qualitate, ſicut & aqua radijs oculorum abſque offenſione reſiſtit, ne abeuntes longius diſperdantur. Quæ enim dura ſunt ſimul & aſpera, frangunt quodammodo radios: Quę vero rariſsima ſunt, diſſolutioni aditum patefaciūt. Sed quæ ſoliditatem aliquam habent, læuemque ſimul æqualitatem, ſicut ſpecularia corpora, nec ipſos quidem frangunt, neque longius diſperdi permittunt. Quæ denique præter hęc beneficia tenera quoq; ſunt & mollia, ſicut aqua reſque virides liquidis oculorum radijs mollitia blandiuntur. Denique viſus radius quidam eſt in quadam oculorum aqua naturaliter nobis accenſus, ac tēperatum lumen in aqua quodammodo reſiſtente requirit. Itaque gaudet aqua, delectatur ſpeculis ſimilibus, viridibus oblectatur. Hactenus ille. Addit Meſues. Exercitationem quoque legendi ſcripta maiuſculis literis exarata viſum corroborare, adeoque non parum ad tuendam oculorum ſanitatem conducere.

Poſteriore verſu innuitur, Oculos matutino

qui-

quidem tempore montium, vespertino vero fontium collustratione recreandos & reficiendos: quorum ratio ex prædictis facile elici potest. Per montes porro viridaria, hoc est, loca herbis & plantis virentibus consita intelligenda sunt. De conferentibus visui plura infra, cap. 79. De nocentibus vero, cap. 78.

DE DIVRNO SIVE MERIDIANO somno.

CAPVT III.

SIt breuis, aut nullus tibi somnus meridianus,
Febres, pigrities, capitis dolor, atque catarrhus,
Hæc tibi proueniunt ex somno meridiano.

Quatuor diurni siue meridiani somni incommoda hic referuntur.

Febris causa. Primum, febris, quæ dupliciter per somnum diurnum accendi potest: vno quidem modo in spiritibus, altero vero in humoribus. In spiritibus quidem, quia acres & fumosæ exhalationes, quæ vigilijs dispergi solent, somno diurno non modo retinentur, sed etiam augentur: ijs itaque retentis, ac vna cum spiritibus permistis, contingit, vt calor inde præter naturã collectus febrilis fiat: atque hæc sane febris, cum nihil stabile, nihil firmum habeat, sed vti celeriter generatur, ita soluatur etiam, ἐφήμερα Græcis, hoc est, diaria vocata est, quod fere diem nõ excedat. In humorib. autem tum hæc iam dicta febris, ratione nimirum flatuum, qui ex cruditate proueniunt, tum etiam putrida per somnũ diurnum accenditur: quod calore & spiritibus interdiu ad exteriora protensis, virtus concoctrix debilitetur. Perfecta enim & absoluta concoctio fit quando calor & spiritus cohibentur, & in profũdum corporis secedunt. Ob eum namq; motum calor

calor naturalis incensus auctiorque redditus, optime cibos, non solum in ventriculo, verum etiã per vniuersi corporis habitum conficit: qnod noctu potissimum fieri rationi consonum videtur. Etenim tunc calor propter circumstãtem extrinsecus aeris frigiditatem ad interiora refugiens, cibum facillime mutat, concoquit, & in membra distribuit. Interdiu verò contra ad exteriora eductus & expassus perfectam elaborationem nõ attingit: quare humorum cruditatem progignit, ex cruditate deinde oppilatio, ex oppilatione putredo nascitur, ex putredine tandem humorum ad cor effumantium febris putrida accenditur, quemadmodum Auicenna 1.4. tract. 2. cap. 1. copiosè docet.

Secundum, pigrities, quæ & ipsa eodem ex fõte manat ac funditur. Ex crassa namque & incõcocta materia in ventre vaporosi ac crassi exhalantur spiritus, qui ad caput elati plus æquo cerebrum humectant, eo autem humectato, nerui quoque qui à cerebro propagati per corporis partes prorepunt, plurima humiditate opplentur: exuperantia præterea humiditatum, quæ ad musculos, tendines & articulos confluere solent, tãtum abest, vt somno diurno dissipetur, vt multò pertinacius etiam hærens augeatur. Necesse igitur est ex eiusmodi subinde somno in omnibus motibus voluntarijs pigritiam sequi, & veluti in seipso dissolutum hominem apparere, quemadmodum diserte Galenus aphor. lib. 3. comment. 5. ostendit. Contra vero vigiliæ diurnæ, hoc præcipue nomine commendantur, quod non modo exuperantem cerebri humiditatem exsiccent adeoq; spiritus extenuent ac temperent, sed certe corpori simul atq; animo promptitudinem quãdam & robur ad solitos motus addant. *Pigrities.*

Tertium, Dolor capitis, qui & ipse ab ijsdem initijs proficiscitur. Ex cibo namq; inconcocto in ventre, vapores crassi excitati in caput ferun- *Dolor capitis.*

tur

tur, qui ibidem ob dictas causas retenti, nimia humiditate, quam potius vigilijs exsiccantibus absumere conueniebat, cerebrum opplent, & ob eam rem caput perturbant, eiusq; dolorem, grauedinem & frigidos morbos pariunt: paululum vero inde moti, si ad cutem peruenerint, faciem vitiato colore inficiũt. Materia enim praua existente, necesse est, quicquid inde defluit, esse prauum. Quod Galenus aphor. lib. 1 comment. 14. ita scribens innuere voluit: Oportet similem esse defluxum subiectæ substantiæ, vt quando humida atque aërea substantia existit, tunc quod ab ea defluit, vaporosum est atque suaue, &c.

Catharrus. Quartum, catarrhus: qua quidem voce generatim hoc loco, tametsi minus proprie, omne ῥεῦμα hoc est, quęlibet excrementitii humoris ex capite ad subiectas partes prolapsio significatur, quę iuxta partium, ad quas defluit, diuersitatem diuersa quoque nomina sortitur, quemadmodum Galenus lib. 3. cap. 4. de Symptom. causis, Paulus lib. 3. cap. 23. & Aëtius lib. 8. cap. 53. diserte scribunt. Vbi enim ad os ac fauces, & mox ad stomachum siue gulam, atq; inde in ventriculum defluxus contingit, simplici vocabulo Græcis καταῤῥοος, & cõtracto καταῤῥοῦς, Latinis destillatio dicitur. Dũ ad nares irruit, κόρυζα Græcis, Latinis grauedo vocatur: vbi vero ad palatum & asperam arteriam delabitur, vt etiam membranã, quæ hanc intrinsecus ambit, exasperet, rauca vox efficitur, vocaturque hoc malum Græcè βράγχος, Latinis raucitas, siue raucedo, id quod ex hisce etiam versiculis, qui infra ca. 82 habentur, manifesto apparet.

Si fluat ad pectus, dicatur Rheuma Catarrhus.
Si ad fauces, Branchus: si ad nares, esto Coryza.

Habet autem hoc incommodum eandem omnino

uno cum præcedentibus originē. Vapores enim & fumi, qui vigiliarū tempore per cutem resolui ac dissipari solent, somno diurno retenti, dum in caput impetum faciūt, cerebrum nimia humiditate replent. Caput igitur repletum humores in subiecta refundens ῥεῦμα progignit.

Præter hæc, & alia nonnulla somni diurni mala Auicenna. 3.1. doc. 2. cap. 9. enumerat. Nam & frigidas atq; humidas ægritudines, παραλύσεις nimirum & defluxus ad articulos, ob retentionem humiditatum, quas vigiliæ resoluere ac dissipare solent, nonnunquam procreat. Genuinum faciei colorem, velut paulo ante etiam dictum est, corrumpit. In sanguine enim excrementitias atq; aqueas humiditates lotio similes multiplicat: quæ cum suo tempore per vigilias non dissipentur, vna cum sanguine ad cutem expulsa ipsam deprauant, adeoque subtumidam & decoloratam reddunt. Induratam adhæc splenis affectionem gignit in corporibus in eiusmodi affectionem propensis. Crassus namq; & melancholicus humor, somno diurno in splene retentus, huic malo initium præbet. Quemadmodum enim vigilantia motum ac liberum crassi humoris transitum per angustos meatus, siue canales, Solis calore vias aperiente, promouere: sic contra eundem somnus & præcipue diurnus, transitu prohibere solet. Melancholia enim interdiu nullo negotio per canales suos transit, & illac cum primis, qua excitandæ appetentiæ causa à splene ad orificium ventriculi meatus protenditur. Etenim splen recrementa & redundantias suas per eum expellit atque eijcit, adeoque ad cibos auiditatem reuocat. Quod interdiu potius, quam nocturno tempore fieri par est. Quin etiam, vt idem autor tradit, ciborum appetentia diurno somno plurimum debilitatur & restinguitur, idque partim ob prohibitionem resolu-

Somnus diurnus.

tionis,

tionis,quę est prima causa famis,partim vero ob repletione ventriculi ex fumis,vaporibus & humiditatibus orificium eius relaxantibus ac saturātibus. His accedit nōnunquā ἀποσκμάτων siue abscessuum generatio:superfluitates namq; ex somno diurno multiplicatæ sæpius in membro aliquo coaceruantur,ipsumq; tumidum reddunt. Plane igitur ex his omnibus constat, somnum diurnum siue meridianum à sanitatis tutela procul abesse debere. Duas porro causas, cur potissimum lædat, Paulus libro 1. cap. 97. & Auicenna 3.1.doct.2.cap.9.assignant. Quarum prima quidem est, quod cito & ante horam suam interrumpatur. Calor enim natiuus per somnum ad partes interiores recedit,contra vero calor Solis eundem,tanquā sibi affinem ad membra exteriora educit atq; expandit: vnde sanguinis & spirituum exagitationem, quæ somnum interrumpat,cieri necesse est. Consulitur ergo,si quādo necessitas per id tempus dormire coegerit, vt in vmbra & tenebroso loco, & ante potius,quam post cibum,hoc fiat. Secunda vero,quod naturam stupidam quasique perterritam reddat, adeo vt retrahatur ab eo in quo erat,nimirum à ciborum concoctione. Tempus itaque quo obdormiscunt ad absolutam ciborum concoctionem non sufficit : quo fit vt à meridie resurgentes subinde acidos ructus edant , & flatibus repleantur: nonnulli vero fluctuatione ventris infestentur.

Somnus nocturnus.

Cæterum optimus somnus est nocturnus , quoniam nox naturali humiditate silentioque animum in somnum deducens,absolutam molitur concoctionem. Post somnum item nocturnum plurima parte ad excretionem recrementorum instigamur. ILLVD tamen ignorandum non est,quod licet somnus diurnus in vniuersum improbetur,nocturnus vero,vt præstantissimus cōmendetur:ex diurno tamen minus offendat,qui capitur à prima,luce ad tertiam diei patrem. Id

quod

quod Hipprocrates libro secundo prognostic. aphorismo 11. clarissime ostendit. De somno, inquit, quemadmodum secundum naturam nobis in consuetudine est, interdiu vigilare, noctu dormire conuenit: si tamen hoc transgressum fuerit deterius est. Minime vero nocębit si dormiatur prima luce ad tertiam diei partem. Quam sententiam G.lenus explicãs ita scriptum reliquit: Quod consuetum est, bonum est, insuetum vero malum est. At vero temporibus Hippocratis non aliud fuit ex natura, aliud in consuetudine. Nũc vero diuites è contrario agunt, tum in quibusdam alijs, tum etiam in somno interdiu dormientes, noctu vigilantes.

In his igitur, vt somnus minus lædere possit, quinq; conditiones, Bertrutio autore, obseruandæ sunt. Prima, vt sit in consuetudine. Ex multo enim tempore consueta, etiamsi deteriora fuerint, insuetis minus molestare solent, Aphor. 50. lib. 2. Secunda, ne statim à sumpto cibo ineatur. Tertia, ne depresso, sed erecto nonnihil & bene alto capite fiat. Quarta, ne modum excedat. Quinta, ne tumultuosa & subita ab ipso, sed lenis & modesta fiat expergefactio. Porro quod ab Hippocrate dictum est, à prima luce ad tertiam diei partem conuenire somnum, id spatium est ab ortu Solis quatuor aut quinque horarum. Nam dies significat spatium temporis quo Sol transit nostrum hemisphęrium, vt etiam distinguitur contra noctem. Quemadmodum Christophorus á Vega fusius in comment. declarat.

Additio.

Tempus itaque somni conuenientissimum est vespertinum, aut nocturnum: semperque cauendum, ne statim à cœna ineatur, sed vnius minimum, aut duarum horarum interuallo discludatur. Ingestus enim cibus, quem statim somnus excipit, in suprema ventriculi parte supernatans

probe concoqui non poteſt, Galeno libro 5. capite 5. de lo. affect. teſte. Neque enim ventriculus tum poteſt cibum arcte complecti, quod idem lib. 3 cap. 4. de fac. nat. ad bonam concoctionem cum primis neceſſarium eſſe ſcribit: quare multos vapores, qui multitudine ſua caput repleant, gigni neceſſe eſt, vt rectiſſime idem Galenus cōment. 67. aphor. lib. 4. dixerit: A cibo ad ſomnum conuerſis, hoc eſt, qui ſumpto cibi ſtatim dormiunt, impletur caput. Vt igitur huiuſmodi periculum excludatur, lenta deambulatione, aut aliqua ſimili, leuiſſima tamen exercitatione corpus demoueri opus eſt, priuſquam ſomno indulgeatur, vt cibus in imum vētriculi paulatim deſcendat. Ibi enim, vt ſupra ex Galeno dictum eſt, concoctionis opus potiſſimum perficitur. Quo tempore etiam conuenit audire inſtrumēta muſica, cantus, facetias, & hiſtorias iucundas, ac cōferre ſermones cum amiculis de rebus lætiorib. donec cibus ſubſediſſe videatur. Ceruicali vtendum eſt ſatis elato & eminenti, vt quo ad eius fieri poteſt erecto & bene alto capite dormiatur, ne cibus ad os ventriculi regurgitans concoctionē impediat. Hoc etiam modo cibus, qui plane nondū ſubſedit, facilius ad inferiores vētriculi partes deſcendet, probiuſq; concoquetur. Inter dormiendum corpus pro ambientis aëris conſtitutione decenter tegēdum eſt; ne calore & ſpiritibꝰ circa interiora detētis, externæ corporis partes à frigore oblædantur. Caput quoq; noctu cōuenienti tegumēto (quod καπνοδόχην habeat, hoc eſt, foramen inſtar infumibuli eliciendis vaporibus aptum) operiendum eſt. Calceatis vero ſiue veſtitis pedibus dormiendum non eſt. Hoc enim (ſi quid Magnino excellētiſſimo medico credimus) viſum debilitat, memoriam lædit, & totū corpus extraneo calore æſtuare facit, ob vaporū refluxum. Supra dextrum latus ſomnus inchoandus. Hoc enim modo cibus promptius per ſto-

machum

machum gulamue in ventriculum descendit. Nam etsi gula exacte supra mediam ceruicis vertebrarum & quatuor primarum thoracis sedem in neutram partem inclinet, ad principiũ tamen quintæ thoracis vertebræ, vt ampliori magnæ arteriæ trunco secundum dorsi vertebras inferiora corpora petenti cedat, nonnihil in dextrum latus à media vertebrarum regione abscedit. Deinde primo somno finito reuoluendum est corpus, supraque sinistrum latus redormiendum, quo scilicet à iecore ventriculo incumbente, ventriculi calor augeatur, eiusq; concoctio adiuuetur. Hinc rursus post breue temporis interuallum in dextro latere ad consuetum surgendi tempus continuandus est. Pronus decubitus temperatis corporibus non conuenit, ventriculi enim contorsionem & repressionem facit, adeoq; oculos oblædit: Sed & ita cubantibus superfluitates in oculos declinant, maximè si fuerint natura debiliores. Iis tamen quibus ingestus cibus tardius in ventriculo conficitur, interdum concedendus est, quod calorem naturalem arctius cõprehendens retinere atq; augere possit. Supinus vero grauissimis ægritudinibus, lepræ nimirum, maniæ, incubo, epilepsiæ, apoplexiæ, stupori, neruorumque resolutioni, & similibus initia prębet. Nam ob superfluitatum ad posteriora fluorem, non potest iusta per nares & palatum earundem fieri expulsio. Plinius lib. 28. cap. 4. pronos decubitus tussibus conducere, at supinos oculis tradit. Idem ex Theophrasto refert, celerius concoqui dextri lateris incubitu, difficilius à supinis. Duratio autem somni ex alimentorum perfecta concoctione æstimanda est, ita quidem vt septem horarum spatio non sit minor, neq; octo, vel ad summum nouem excedat vt colligitur ex Galeni de sanitate tuenda. li. 6. cap. 6. Plura habentur apud Auicennã 3. 1. doct. 1. cap. 9. Magninum parte 3. cap. 7. & nostræ æta-

 tis

tis doctissimum Medicæ artis scriptorem Leonhardum Fuchsium, lib. 2. Sect: 4. cap. 3. Institutionum medicinæ. Ex ijs itaque, quæ conueniunt in hunc locum studiosi transferent.

DE FLATV IN ALVO Detento.

CAPVT IIII.

Qvatuor ex vento veniunt in ventre retento:
Spasmus, hydrops, colica, & vertigo: hoc res probat ipsa.

Hic agitur de quatuor nocumentis, quæ ex flatuum retentione proueniunt.

Primum est σπασμὸς Græcè, Latinis cõuulsio dicta, Flatus enim retenti influxu suo sæpe *Spasmus.* neruos plus iusto refarciunt, illos vero ita repletos (Galeno lib. 2. c. 2. de sympt causis teste) tendi primũ, ac deinde in conuulsionem incidere contingit. Ea porro ibidem à Galeno in hunc modũ definitur: Conuulsio malum est, quod neruos musculosque ad eundem cogit affectum, in quẽ ab animali facultate, quum naturalem habitum seruarent, ducebantur. Vel aliter, velut idem aphor. lib. 6. comment. 39. definit. Conuulsio est passio inuoluntaria, in qua nerui atque musculi præter voluntatem conuelluntur, in eumque affectum veniunt, quem etiam in motibus secundum arbitrium factis assumebant. In hoc enim malo nerui atque musculi in eas partes attrahũtur, quibus innascuntur. Attractio namque fieri non potest, nisi musculus ad suam originem retrahatur.

Quod ad causas eius conuulsionis, quæ primogenia affectio est, attinet, animaduertẽdum est, Hippocratem aphor. 39. li. 6. duas duntaxat statuisse, πλήρωσιν κένωσιν, hoc est, plenitudinem & inanitionem neruosorum corporum. In con-

conuulſione ſiquidem à plenitudine membrum craſſis & glutinoſis humoribus impletum extenditur, & extenſione conuellitur, quemadmodum lora & chordæ extenduntur vbi multa madent humiditate, & hæc ſubito contingit. In ea verò quæ ab inanitione proficiſcitur, membrum exſiccatur, & ad ſeipſum conuellitur, adeoque ſecundum longitudinem ac latitudinem contractum diminuitur, quemadmodum membranis accidit, cum igni apponuntur: & hæc ſane paulatim & ex longiori temporis interuallo accidere ſolet. Plura Galen. locis iam citatis, & lib. 2. capite 2. & li. 3. capit. 5. libro. 6. capite 5. de loc. affect. & lib. 8. cap. 3. de compoſ. medic. loc. & alibi ſæpius.

Secundũ, ὕδρωψ, quod malũ Latini aquã intercutẽ nominãt, & definitur à Bertrutio, Sect. 3. tract. 2. cap. 4. in hunc modum. Hydrops eſt morbus materialis, ex re frigida, extranea, plurima ingrediente & membra omnia manifeſte, aut loca vacua partium, in quibus cibi & humorum concoctio perficitur, inflante procreatus. Eadem fere habet Auicenna 14. 3. Tract. 4. cap. 4. vel aliter, ſicuti ab Alexandro Tralliano lib. 9. cap. 1. definitur: Aqua inter cutem & ipſa longus quidam affectus eſt, iecore adeo refrigerato proueniens, vt ipſum non amplius deinceps cibos in ſanguinem, ſed in aliam qualitatem, aut in aquam, aut pituitam, aut flatum tranſmutare poſſit. Quod certe & Galenus aphoriſ. lib. 6. comment. 12. ijs verbis confirmat: Aqua inter cutem fit, cum ſanguinis generatio fruſtratur: Et huius quidem cum tres ſint ſpecies: (vna enim Græcis ἀσκίτης: alia τυμπανίτης, & tertia ἀνασάρκα, ὑποσάρκα, σαρκίτης & λευκοφλεγματίας dicitur, non de omnibus promiſcue hoc ſecundum nocumentum, ſed de tympanite tantum intelligendum eſt. Quæ quidem accidit, quum flatus

Hydrops.

ac spiritus superuacuus plurimis cum humidi momẽto intra mẽbranam, quæ περιτόναιος Græcè, Arabibus vero communi membranarum nomine ziphac appellatur, & abdomen, quod iidem Mirach nominant, colligitur. Stomacho namque & iecore frigida intemperie laborantibus, fieri nõ potest, vt cibus ingestus in χυλὸν benignum, aut sanguinem mutetur: conuertitur ergo in materiam flatulentam, quæ cum neque per superiora ructu, neque per inferiora crepitu, nec aliunde, obstante viarum obstructione, vel secretrice & expultrice superfluitatum vi debili existente, aut inepto aliquo pudore prohibente expellatur, in prędictis ventris locis colligitur, & aquam intercutem contrahit, in qua abdomen percussum tympani modo crepitum elidit, qua ratione etiam Tympanites nuncupatur.

Colica passio. Tertium, Colica passio: quæ grauis quidem ac vehementissimi doloris morbus est. Perinde enim ac si terebra partes perforentur, aut palus infixus sit, molestare solet, Galeno libr. 2. capite 1. de locis affect. teste Contingit autem in pleniore & laxiore intestino, quod κῶλον Græcè vocatur: cuius etiã merito vehementes cruciatus inducit. Densum enim, crassum, & neruosũ est, ac mihi quod in illud confluit, facile discuti potest Et quẽadmodum in hoc κωλικὴ ὀδύνη, ita in gracili ac superiore intestino, quod Galeno Iulio Polluci, & aliis Græcis λεπτὸν vocatur, similis morbus existit, grauissimos & lethales dolores inferẽs. Hippocrates in aphorismis, & passim aliis in locis εἰλεὸν appellat, quemadmodum etiam Galenus vbique, & potissimum li. 6. ca. 4. de locis affe. à circumactione nimirum doloris. Quippe, εἰλεῖν, circumagi & cõuolui significat. Ideo conuoluulus etiam Latinis hoc malum nominatur. Rationi porro consentaneũ

est,

est, flatuosum & frigidum spiritum in dictis intestinis retentum, & egredi nequentem hæc mala plurimum progignere, id quod Galenus etiam loco paulo ante citato monstrat.

Quintum, Vertigo: Flatuosus enim spiritus inclusus ad cerebrum fertur, & in eius partibus inordinate mouetur: quo fit, vt obtenebrationes hebetudinesque oculis obuersentur, & omnia circumagi & rotari videantur. His Auicenna 16. ca. tract. 4. cap. 19. Epilepsiam quoque adiungit, huius eadem omnino cum præcedenti ratio est. Porro quonam modo hæc retentio in singulis eam dictis locis malum ingeneret, pulcherrime ex Galeni lib. 3. de Sympt. causis cap. 3. demonstrari potest Crepitus enim, qui ad sedem defertur, ac vel in foro, vel alio quopiam loco existentibus, aut negotio aliquo, quod deserere non liceat distentis, violenter retinetur, rursus sursum reducitur, ventremq; mordet, ac caput vaporando implet, principio quidem ab animali organo sphinctere, id est, musculo ad imum intestinum accepto: hinc verò vno quoque intestino retro illum à se ad supra se positum trudente, simili modo ac prius in præceps trudebat: atque ita quidem hæc retentio, præsertim frequentior, longo temporis tractu prædicta mala excitat. Proinde rectissime ab Hippocrate lib. 2. prognost. aphor. 24. in hunc modum scribitur: Flatum sine sonitu aut crepitu exire optimum est: Melius autem est cum sonitu exire, quam reuolui. Hac etiam ratione inductus Claudius Cæsar dicitur meditatus edictum, quo veniam daret efflatum crepitumque ventris in conuiuio emittendi, cum periclitatum quendam præ pudore ex continentia reperisset. Autor Suetonius in eius vita, cap. 32. Veteres enim, vt Plinius lib. 28. cap. 2. confirmat, per mensas mundiciarum causa, deflare vetabant. Extat etiam lepidissimum Nicarchi ἐπορδὴν Epigramma, quo pestiferam retenti flatus

Vertigo.

Epilepsia

flatus vim deſcribit. Id eſt huiuſmodi.

Πορδὴ ἀποκτείνει πολλοὺς ἀδιέξοδος οὖσα,
πορδὴ καὶ σώζει τραυλὸν ἱεῖσα μέλος.
Οὐκοῦν εἰ σώζει καὶ ἀποκτείνει πάλι πορδή,
Τοῖς βασιλεῦσιν ἴσην πορδὴ ἔχει δύναμιν.

Quos Verſus quoniam eleganter admodum Ioannes Laſcaris Latinos fecit, placuit: hic adſcribere.

Interimit crepitus ventris detentus in aluo,
Et ſeruat, blaſum dum canit ille melos.
Ergo ſi perimit crepitus, ſeruatq́ꝫ canendo,
Regibus imperium par habet hic crepitus.

Atque hæc ſane cum ita ſe habeant, ſatius fuerit iuxta D. Eraſmi Roterodami præſcriptum, natura incitante aut ſecedere, ſi liceat, aut deuorato pudore iuxta vetuſtiſſimum prouerbium tuſſi potius crepitum diſſimulare, quam comprimendo morbum accerſere. Recteque Stoici, quemadmodum Cicero li. 6. epiſt. famil. 22. ſcribit, crepitus aiunt æque liberos ac ructus eſſe oportere.

DE COENA.
CAPVT V.

EX magna cœna ſtomacho fit maxima pœna
Vt ſit nocte leuis, ſit tibi cœna breuis.

Præcipitur hoc loco ſanitatis ſuæ ſtudioſis, vt inſtante ſomni tempore frugali cœna contenti ventriculum vario ciborum genere non diſtendant, ſed ea copia ingerant, quæ vires haud grauet. Nam quid noctu multum ingerunt, primum quidem ſomno deſtituti corporis inquietudine agitantur: deinde vero puſtulas, faciei, grauedinem capitis graueolentiam oris. coli calculique dolores, & podagram ſibi accerſunt. Neque ſolum immodica hęc ſub noctem ingurgitatio bonæ valetudini officit, ſed alias etiam quælibet, vt

Cœna parcior.

vt quæ cruditatem incoctionem que, obstructiones, putredines, febres, apostemata, & lepram haud raro generet. Atque eius sane rei grauissimus testis est Auicenna, qui 13.3. Tract.1. cap. 36. scribit: Ex rebus ventriculum maxime lædentibus esse immoderatam cibi ac potus ingestionem, & ob id fieri non posse, vt intemperantium vinosorumq; ac ventri gulæque deditorum corpora alantur atque augescant. Concoctio enim per vitæ intemperantiam impedita necessario humorum cruditatem efficit. Cruda vero, tantum abest vt incrementum corpori sufficiant, vt omnino ne alere quidem possint: quo fit, vt per vitam varijs etiam ægritudinibus conflictentur. Qui verò tẽperantes in victus ratione frugalitatem sectantur, ij inculpatam vsquequaq; ciborũ appetentiam conseruant, optimeq; non in ventriculo modo, verum etiam per vniuersi corporis molem cibos conficiunt. Cauendum igitur vnice erit, ne venter torqueatur, adeoque ingestis distendatur, vt pulsus velocior fiat, & vix spirare liceat. Cui enim ad istum modum vorare in delicijs est, varijs sese periculis exponit. Sin. illi modo & nauseo a satietas, non ex crassis & prauis solum, sed etiam subtilibus & boni succi alimẽtis vitanda est. Hæc enim tum febres acutas & malignas, tum etiam maximi cruciatus apostemata: illa vero articulorum & renum dolores, podagram, asthma, hepatis atque lienis obstructionem ac σκίρρον & ægritudines phlegmaticas & melancholicas inducere solet. Proinde optimo quidem iure non nocturna solum, sed quælibet etiam ad nauseam vsque progrediens satietas a sanitatis tutela excludenda est. Summopere igitur hoc semper curandum, ne desiderium edendi penitus repleatur, sed locus aliquis vacuus, & edendi voluptas ventriculo relinquatur. Quod Auicenna quoque 3. 1. doct. secunda cap. 7. præcipiens in hanc fere sententiam scri-

bit: Cibo nemo ita replendus est, vt nihil loci sit reliquum, sed à mensa semper cum fame recedendum est. Huic simile etiam vulgo dicitur: Nunquam adeo ventrem cibis expleo, quin apud amicos edendi cella mihi supersit vacua. Et hoc præceptum eos cum primis tangit, qui natura vehementiorem ad cibos auiditatem consecuti sũt, Quibus vero hæc debilior existit, ijs fortasse concedi potest, vt largius paulò ingerant, quam appetunt. Apparandi autem, ex sententia Cornelij Celsi libro 3. capite 6. & Aëtij libro 9. capit. 20. cibi plures & varij, ac optimo apparatu, & vltra dulcedinem etiam illicientes, & appetitum irritantes. De cœnæ frugalitate nonnulla etiam sup. cap. 1.

Vsitata hoc loco & à multis agitata oboritur quæstio: Vtrum videlicet vberius quidem prandendum, parcius vero cœnandum sit. Quæ sane cum ad hanc materiam proprie pertineat, prætereunda non est. Breuiter igitur hic subiungemus, primo quidem argumenta, quibus Conciliator plus cibi in prandio assumendum esse probat: deinde vero Leonharti Fuchsij, quibus è diuerso colligit, cœnam vt plurimum prandio pleniorem esse debere. Conciliator igitur differentia 121. in hunc fere modum scribit: Iuxta corporum diuersitatem maior minorue cibi copia exhibenda est. Illa etenim aut iam in morbum lapsa sũt, aut sub latitudine sanitatis adhuc existunt: in morbum vero lapsa, aut iunctum habent humoris vitium, aut non. Si sine humoris vitio fuerint, tum liberius est cœnandum. Natura enim in eis ciborum concoctioni solummodo, non etiam superfluitatum, quibus carẽt, maturationi intenta est: Sin vero humoris vitium adiunctum habuerint, largius prandium concedendum est. Quod Auicenna 1. 3. Tract. 5. cap. 11. ijs verbis significare voluit: ille, inquiens cu-

Gal. de puero epileptico

ius consuetudo non sustinet, vt solum semel in

die

die reficiatur, diuidat cibum suum in tres partes, & sumat duas tertias in prandio, & reliquam tertiam, scilicet partem, in cœna post leue exercitium. Eo namq; tempore, quo calor solaris viuificus naturæ in concoquendo debili opitulatur, & maior superfluitatum fit resolutio, vberior cibus sumendus est. Hoc autem circa horam prandij magis, quam cœnæ contingere solet. Ergo, &c. Ad hæc interdiu, ob præsentiam caloris vitalis, Solis & lucis melior fit concoctio. Sol enim, Aristotele lib. 2. cap. 2. physicon, & lib. 2. capite 10. de genera. & corrupt. teste, est vitæ principium. Concoctio itaque diurna duplex habet calidum, nocturna vero non; in eiusmodi etiam natura noctu circa superfluorum concoctionem magis occupata est, quare multi cibi exhibitione impedienda non est; Et quamuis calor noctu spirituum ad interiora retractione & somni reductione in quibusdam confortetur, duo tamen simul, alimentum videlicet & superfluitates, conficere non potest: in his itaque cœnę nonnihil subtrahendum est. Corporibus vero, quæ sub latitudine sanitatis adhuc robusta & sufficiēter sana consistunt, ac sensibilibus superfluitatibus carent, cū eas proprijs meatibus omnes expellant, vberiore cœna vti expedit: vel quod eorum natura ciborum concoctioni tantum, non etiam superfluitatum, quibus carent, maturationi intenta sit, vel quod soli corporis robori studeant. Hoc autem noctu magis acquiritur: tum enim amplior fit & sanguificatio & distributio, atque hinc deinde spirituum generatio. Corpora vero si à prædicto temperamento ac robore nonnihil recesserint, sicuti plurima in ægritudinem vsque nunc prolapsa, eiusmodi aut fatigantur exercitio laborioso, vehementi & cōtinuo, aut non: Siquidem fatigantur, vt sunt eorum qui victum manibus quærunt, ipsis largius prandere, quā m cœnare conuenit. Experitur

c. 4 oppositū tenet

tur enim alimentum, non tantum vt nutriat, sed etiam humectet & irriget membra, ne arefiant ex forti motu, & vt resolutioni ex caloris incendio prouenienti resistat. In prandio igitur vberior cibus assumendus est: eiusmodi enim corpora, propterea quod ita consueuerint, ob exercitia à concoctionis opere non cessant. Consuetudo namq; in eis addit magnam partem, inquit Galenus in libro de dissolutione continua capite. 1. Calor enim ex motu auctior redditus, concoctionem in ipsis accelerat. Quare ter in die illiciente appetentia cibum ingerunt, & ingestum probe conficiunt. Sin vero laborioso, vehementi & continuo exercitio, quemadmodum prædicti, nō agitentur: hoc in præsentiarum dupliciter contingit. Aut enim eo interdum solummodo & non continuo fatigantur, aut debili tantum vtuntur, quod vtique superfluitatum copiam patit. Si exercitio plurimo, vehementi ac laborioso vtantur, sicuti viri complures ciuiles & plebei circa fortunæ bona negotiantes, haud sanitatis conseruationi intenti, vehementi nonnunquam & laborioso exercitio, diu nimirum equitando, iter pedibus faciendo, vel aliud quiddam à consueto fortius agendo, fatigantur, his largiori vtiq; cœnæ, quam prandio indulgendum est. Nam si prandium augerent, cum sicuti priores illi cō-sueti non sint exercitio adeò vehementi ac laborioso agitari, concoctio ipsorum impedita prauos humores generaret: horum etiam calor superfluo motu dissipatus debilitatur, cuius quidem circa interiora aggregatio potissima fortitudinis & concoctionis causa existit. Hæc autem noctu magis quam interdiu contingit: quare cœna instante nocte copiosius alimentū expetit. Eorundem etiam corpora propterea quod tam vehementi motu ante agitari minime soleant, humiditatibus referta sunt: ipsis itaq; ad resistē-dum resolutioni & exsiccationi, quæ per motum inter-

interdiu occurrentem fiunt, paruus cibus sufficit. Sin vero exercitijs & occupationibus paucis & leuibus in vita vtantur præcipiendum est eis, vt vberius prandeant, quam cœnent. Et ratio eius eadem est cum illa, quæ in corporibus nunc ægrotantibus adducta est. Hi namque cum debilem habeant virtutem concoctricem, à calore viuifico & luce Solis plurimum adiumenti percipiunt. Inde enim spiritus propter suum simile confortatur. Ipse enim, vt testis est. Auicenna in libro de viribus cordis tract. 1. cap. 2. & li. 6. naturalium par. 4. est lux, aut effigiem habet lucis. Adiumentum etiam ex eo percipiunt, quod superfluitates interdiu poris apertis melius quam noctu expellantur. Non oportet præterea eos noctu, vel ob id multo cibo distendi, quod tum natura magis occupetur circa concoctionem crudorum humorum, quos somnus maxime conficit & benignos reddit Licet enim virtus concoctrix noctu confortetur; tanta tamen esse non potest, vt simul & cibum & superfluitates superare queat. Insuper quoque animaduertendum est, in exhibitione copiosioris aut minoris cibi in prandio, quam cœna, nonnihil etiam dandum esse consuetudini: Hęc enim cum in tuenda sanitate, tum etiam in profligandis ægritudinibus, plurimum valet, Hippocrate lib. 2. de vict. rat. in morbis acut. aphor. 20. & sequentibus, & ibidem Galeno, testibus. Quod vel ex eo ostenditur, quod omnis subita mutatio, si modum excesserit, non paruam læsionem afferat. Hinc non temere Damasc. apho. 57 ita scriptum reliquit: Mutare consuetudinem, præsertim veterem, & noxium & pestilentissimum habetur. Quare malas & prauas consuetudines corrigere oportet, sed paulatim ac sensim ad meliora transferre. Neque enim natura patitur eas quæ subito fiunt alterationes. Gal. cap. 16 artis medicinalis. Plura Razes libro 4. 10. ad Alman. & infra cap. 55. Et sic in

Consuetudini quid tribuendũ.

vniuersum patet largius prandendum, quam cœnandum, cum plurimę ægritudines sint materiales, & corpora plurima lapsa. Attamen si semel tantum in die comedatur, melius est cœnare, nisi oculi aut cerebrum afficiantur: tunc enim, Haly abbate 1. pract. 13. teste, melius est prandere: alias non parum ægrotantis oculi & cerebrum læderentur. Exigua namque cœna capiti confert & oculis, Manardo lib. 6 epist. 4. teste. Hactenus ex Conciliatore adducta Medici excellentissimi. Odos de Odis Patauinus duobus libris de cœna & prandij portione. Hieronymus Cardanus lib. 1. Contra dicentium tract. 5. contradic. 1. 8. & Leonhartus Fuchsius lib. 2. paradox. cap. 21. magna ex parte falsa esse firmissimis rationibus conuincunt. Ex quibus Leonharti Fusij rationes hic in oppositum subiungere placuit, vt sanitatis suę studiosis plane constaret, quid in re tam perplexa aut fugere, aut sequi debeant. Nemo est, inquit ille, qui hodie medendi methodum præscribentium libros vel à limine salutauit, qui nesciat vulgatum atque tritum hoc illis esse decretum, vt nunquam non prandio cœna minor sit. Quantum vero aberrent, facile deprehendet qui rem altius expendet. Cœnam enim in omnibus, demptis ijs qui morbis nocturnis & catarrhis seu distilationibus affliguntur, prandio pleniorem esse, conuenit. Qui enim iam nominatis corripiuntur morbis, horum cœna omnino modica sit, tenuis sicca, ac præter aliorum morem, noctemq; præueniens oportet, vt ingruentibus scilicet morbis natura ab omnibus alijs munijs libera vnius morbi concoctioni operam nauare queat. Sunt & qui consueuerunt minus in cœna ciborum assumere, quam in prandio: horum certe consuetudo non temere etiam immutanda erit, Quæ enim ex longo tempore consueta sunt, vt ait Hippocrates: Aphor. 50. etsi deteriora sint, insuetis

ſuetis minus moleſtare ſolent. Cur autẽ in alijs omnibus plenior cœna ſalubrior ſit, multa in cauſa ſunt. Primũ autem omniũ, noctis mox accedens frigiditas, quæ extrinſecus circumſtans calorem natiuum in profundum ſecedere, & hoc nomine fortiorem fieri cogit, ita vt neceſſario ciborum tum melior fiat cõcoctio. Et certe idem poteſt noctis frigiditas, quod alias anni tempus hybernum aut regio frigida poteſt. Horum enim vnumquodque calorem natiuum adaugere potis eſt. Teſtis Hippocrates, qui libro 6. epidem. tom 6. aphoriſ. 6. ſic inquit: Perfrigidior in tempore & regione frigidis, percalidior erit. Sed & in 1. aphor. 15. ventres hyeme & vere natura calidiſsimos eſſe aſſerit. Deinceps eſt ſomnus, qui cœnam ſubſequitur: hic enim mirũ in modum concoctionem adiuuat. Sanguis enim in ſomno ad interiora magis refugit, vt teſtatur Hippocrates 6. epidem. tom. 5. aphor. 29. Cum itaq; ſanguis, cumq; eo calor natiuus per ſomnum ad interiora ſecedat, quid mirum, ſi calor auctus fortiorem tum ciborum coctionem efficiat? Hinc rectiſſime Hippoc lib. 6. epidem. tom. 5. aphor. 10. dixit: Labor articulis & carnibus, cibus vero ac ſomnus viſceribus prodeſt. Somnum quoque optime cibum concoquere teſtatur Galenus lib. 1. de ſympto cauſis cap. 8. ita ſcribens: Itaque toto hoc tempore, quo quis dormit, animalis facultas quieſcere, naturalis vero validius agere videtur. Cuius rei coniecturam ex eo facies tum quod ipſa, ſi quando laborauerit, poſt ſomnum robuſtior euadit, idque maxime, cum à modico cibo ſomnum admittimus, tum etiam quod per ſomnum cibus optime concoquitur, non ſolum in ventriculo, verum etiam per vniuerſi corporis habitũ. Cui ſubſcribit quoq; Paulus Ægineta li. 1. cap. 97 dicens: Somnus eſt animalium facultatum quies, ab vtili humore cerebrum madefaciente proueniens; hunc qui rite

capeſsit, multa conſequitur commoda: cibos enim conficit, humores digerit. Quod autem hac ratione plenior cœna eſſe debeat, teſtatur Galenus, vel quiſquis tandem eius libri autor fuit, in libro de diſſolutione continua, in hanc ſententiam ſcribens. Antiqui cœnam prandio præferebāt præcipientes plus ciborum in cœna ſumendum eſſe, ob caloris circa interiora aggregationē noctis frigiditate & per ſomnum factam: calor namq; in ſomno ad interiora corporis reuocatur, eademq; calefacit, perinde, vt in vigilia contrarium plane accidit. Id quod Hippocrates etiā epidem. 6. Tom. 4. aphor. 12. ijs verbis indicauit. Plane vigilans calidior circa exteriora, frigidior vero circa interiora: dormiens contra. Sed hic reclamabunt quidam, plenioremq; cœnam ideo damnabunt, quod pleno ventre ingrata ſit quies, atque adeo ſomnus minus conueniens: His ita reſponſum volo. Nemo eſt tam ſine ſenſu communi, qui neſciat inter cœnam & ſomnū aliquid temporis interuenire debere, neq; quemadmodū in brutis nullam aliam niſi vorandi ac mox dormiendi vicisſitudinem eſſe, quum omnium Medicorum conſenſu conſultum ſit, quo aut hora aut amplius interſit. Neq; etiam eſt vt pleniorem cœnam quis eam eſſe putet, qua multa ingeruntur tanta voracitate, vt vix ſpirare liceat, & periculum ſit, ne vel crepant qui ita ſeſe replent, ſed frugalem potius, talem tamen, in qua plus quam in prandio aſſumitur ciborum. Quod ſi tamen hic peccatum fuerit, melius certe in cœna, quam in prandio fertur, quod ſomnus poſt cœnam non diu ſubſequens, facilius delictum, quam vigilia, quæ prandium concomitatur, corrigat. In ſomno enim, vt diximus, calor interiora petit, & qui illic ſunt cibis cōcoquendis ſolis vacat. Interdiu vero ad exteriora protrahitur, neq; ijs quæ intus ſunt proſpicere poteſt, adeo vt veriſsime dixerit Hippocrates 2. victus acutorum 59. Vigilia vehemens

mens cruditate, incoctionemq; ciborũ, tum potionis efficit: Porro cur cœnam prandio pleniorem esse oporteat, & hæc ratio est; quod rara admodũ existat corporis facultas, quæ paulo liberalius prandium, spatio vel quinq; vel sex horarũ, quod fere inter prãdium & cœnam interest, conficere possit. Quãtum autem incommodi adfert, si quis nondum plane cõcocto eo quod prius ingestum fuit, aliud ingerit, morbum nimirũ facit. Vbi enim cibus præter naturam plus ingestus est, vt ait Hippocrates lib. 2. aphor. 17. hic morbũ facit. Et si quis denuo obiecerit: vtcunq; somnũ à cœna differamus, tamen fieri non posse, quin ad somnum conuersis, quod materia tum ad interiora tendat, caput impleatur: huic Galenus quidem respondebit, qui libro 4. aphoris. 67. ita scribit: Et quidem sicuti à cibo ad somnum conuersis impletur caput, sic in plethoricis dispositionibus somni ipsum replentes aggrauant cerebrum. Et somni videlicet semper nocerent, quatenus ad profundum & viscera materia confluit, nisi coctionis ratione plus afferrent vtilitatis, quam sit damnum, quod ex motu ad interiora consequitur. Et hæc ad vulgarem multisq; communem errorem explodendum sufficiant.

DE DISPOSITIONE ANTE CIBI sumptionem, edendi item atque ciborum ratione.

CAPVT VI.

TV nunquam comedas, stomachum ni noueris esse
Purgatum, vacuumque cibo, quem sumpseris ante,
Ex desiderio id poteris cognoscere certo:
Hæc sint signa tibi, subtilis in ore diæta.

Hic traduntur præcepta quædam ante cibi sumptionem seruanda.

Primum: ne ſumatur cibus,cum ventriculus quibuſdam humoribus vitioſis adhuc plenus extiterit. Corrumpitur enim ſimul alimentum quod inſuper ingeritur vnà cum prauis humoribus,qui prius ſunt in corpore,ita vt ipſorum quidem quantitas augeatur,qualitas vero ſeruetur. Eos igitur, vt libro 6.capite 9. de ſanitate tuenda Galenus autor eſt, vomitione,in ijs qui ſuapte natura facile vomere poſſunt,expellere prius quam cibus ingeratur oportet. Impura namque corpora & vitioſis humoribus referta, vacuatione potius, quam ea quæ per cibos fit refectione egere teſtatur cum primis Hippocrates aphor.8. & 10. lib.2 & ibidem Galenus in comment. Ventriculum vero vitioſis humoribus eſſe plenum è nidoribus & ructibus deprehendi poteſt, quemadmodum copioſè admodum Galenus li. 1. c.4. de loc.affect. docet,ad quem ſane lectorem nunc ablegamus.

Secundum, ne priore cibo nondum concocto nedum in aluum demiſſo alius ſumatur: qui enim eo modo ſupereditur,naturam à prius ingeſti concoctione deturbat,quo fit vt quicquid eius confectum ex ventre à venis meſaraicis in hepar deducitur,reliqua ſtatim omnia inconcocta ſecum in corruptionem trahat, adeoque tum vaſa ipſa,tum totum corporis habitum cruditatibus & vitioſorum humorum multitudine repleat, ac ob id ipſum morbis non raro tentet. Proinde rectiſsime Galenus lib. 7. cap. 6. meth. meden.præcipit, vt vacuus puruſque ventriculus ſecundum cibum excipiat. Quin etiam Auicen.3.1.doct.2.c.7.idem præſcribent, ita fere inquit. Nemo ſanitatis ſuę ſtudioſus aliquid comedat, niſi ad hoc certo prius inuitante deſiderio, & ventriculo vna cum reliquis ſuperioribus inteſtinis à præſumpto cibo vacuatis. Priore enim cibo nondum concocto alium inſuper ingerere, corpori pernicioſum eſt. Porrò ex ructu nullam

ali-

dimenti prioris qualitatem referente, ventriculi tumore iam submisso, recrementorum deiectione, & vrinarum coloratione licebit conijcere, num prior cibus ad vnguem confectus ac in aluum demissus sit, quemadmodum Galenus libro 7. cap. 6. meth. meden. & post eum Paulus libro 1. cap. 97. luculenter & perspicue docuerunt. Vrina enim quæ aquæ speciem præ se fert, crudũ adhuc in venis succum esse indicat eum qui à vẽtre submittitur, quæ vero fulua biliosaque est, iam dudum concoctum esse huiusmodi succum portendit, quæ modice pallet, peractæ modo secundæ concoctionis est signum, quemadmodum eleganter Galenus lib. 2. de sanitat. tuenda ca. 4. Cornelius Celsus lib. 1. c. 2 & Plin. li. 28. cap. 6. docuerunt. Imperfectæ autem concoctionis, vt testis est 6. sectio. apho. comm. 1. Galenus acidus ructus certum iudicium est. Signa etiam quibus certo comprehendi posit, vtrum à vitiosis illis humoribus ac prius ingesto cibo vacuus sit venter nec ne, & hic subiunguntur.

Primum, desiderium certum, hoc est, vehementior & vera noui alimenti appetentia, siue fames. Nam de Medicorum fere omnium sententia duplex fames est, vna & quidem vera & naturalis, altera vero mendosa. Veram describit Galenus apho. l. 2. comment. 16. sic inquiens. Famescere illos dicimus, qui ob ciborum inopiam ad extremam esuritionem perueniunt. Idem lib. 1. cap. 7. de causis sympto, diserte admodum & copiose harum appetentiarum rationem & diuersitatem describit, quem locum, vt pote scitu dignissimum, hic integrum subijcere placuit. Nam quoniam, inquit, cute tenus vnumquodque animal in ambientem aërem digeritur, accidit vt membra quæ sub ea sunt, prima vacuentur: quorum ingenita vis ex proximis sibi alimentũ trahit, id scilicet quod vacuatur reficiens: deinde rursus illa, ex ijs quæ sibi sunt proxima: sicut quæ *Fames duplex.*

tertio

tertio loco sunt posita, ab ijs quæ sibi. Atque ita semper per continuum, veluti in choro quopiam translatione celerrime facta, ad venas quæ advētriculum pertinent, vacuatio peruenit. Hæc vero & solent pariter, & natæ sunt ex vētriculo nutrimentum trahere, perinde vt stirpium radices, quę in terram sunt demissæ, ab ea. Cū enim hoc opus vniuersum naturale sit, non animale, similiter in stirpibus & animalibus perficitur. Ac stirpibus quidē terra ventriculi vicē præstat, perpetuo prōptum copiosumq; suppeditans alimentum, quādiu cœlitus temporū status pro natura se habet. Quando ex terra caloris excessu siccatus est humor, stirpes nutrimenti penuria marcescūt. Animalibus autem vt pote terræ non affixis, præter vtique pauca quædam, natura vētrem pro nutrimenti veluti penu fabricauit, quemadmodū stirpibus terram. Dedit autem animalibus & penuriæ sensum: quo scilicet ad cibū potionemq; prouitata in tempore expleantur, vocaturq; eiusmodi implendi desiderium, appetentia. Fit autē ex penuriæ sensu, cum scilicet venæ ex ipso ventriculo veluti emulgentes sugentesque aliquid trahunt. Non ferens autem eum suctum ventriculus, sed veluti diuulsus, offensæ eius medelam cibum comparat. Quippe venæ hoc pacto ad obiectos cibos conuertuntur, atque ex ijs nutrimētum trahunt, nequaquam ex ventriculo. Fitque post cibi sumptionem, vt & venæ simul ad cibos se conuertant, & ventriculus ex ijs, quantum prius per venas est exhaustum, in seipsum trahat. Ac suctus quidem ipsius sensus, fames est, Hæc Galenus. Cum igitur ventriculus non appetit, signum est membra nondum refectione indigere, sed satis adhuc alimentorum in promptu habere. Quod certe & ipsum Galenus lib. 3. cap. 13. de facult. natural innuere voluit, inquiens: Venter si melius paratiusq; nutrimentum habet, externum non postulat. Cibi igitur exhibitio diutius

adhuc differenda eſt: nam quicquid tum ingeritur grauat naturam, non iuuat. Porro mendoſa fames, eſt cibi appetentia corpore non indigente. Quæ quidem, vt idem Galenus lib. 1. c. 7. de cauſis ſympto. docet, tum maxime fieri ſolet, cum acidus quiſpiam vitioſus ſuccus ventriculum mordet. Vitioſus namque ſuccus, qui frigidus eſt, ſimilem ſuctui morſum infert, appetentiam vero proritat, naturalis affectus ſimilitudine. Alimenti autem, non potus deſiderium excitat, propter frigus. At vitioſo ſucco, qui ſalſus & bilioſus ſit, ventrem mordente, potio magis, quam cibus, expetitur. Præterquam enim quod calefiat ſicceturq; ab eò ventriculus, quæ vtique ſitis cauſa ſunt, etiam liquari fundique tum in eo, tũ venis ſuccos contingit. Fundẽdorum autem ſuccorum ſymptoma ea quibus continentur implet, quemadmodum frigiditas vacuat. Itaque etiam non parum ad eſuriem frigiditas eorum quæ in ventre habentur, confert. Cum & corpora eorum tunicaſque vacuet, & cogendo conſtringendoq; ad appetentiam irritet, Atque ita quidem vitioſus ſuccus acidus, ſtypricus & frigidus mendoſæ famis exiſtit cauſa.

Secundum, veræ famis ſignum eſt ſubtilis diæta, videlicet præcedens, hoc eſt, parua cibi exhibitio: quando enim & hanc fames ſequitur, tunc illam & veram & naturalem eſſe ſignificatur. Vnice igitur ſemper cauendum, vt nunquam neque prandeatur, neque cœnetur, niſi conſueta hora, ac illiciente prius appetitu, nec eo cibum exigente differatur Omnis enim mora illi nociua eſt, niſi ſuſpectus ſit eſſe mendoſus, qualis ebriorum & faſtidio laborantium eſſe ſolet. Nam ſi ventriculus alimentum poſtulat, vt Galenus libr. 3. capite 13. de facul. natural. autor eſt, nec eius copia eſt, excrementis impletur. Ea ſunt ſanies quædam bilioſæ pituitoſæque atque feroſæ, quas ſolas trahenti illi, tum ſcilicet cum

nutri-

nutrimento indiget, iecur remittit. Hinc non temere hactenus hoc vsurpatum est. Diutius tolerare famem, ventriculum malis ac putridis replet humoribus, quos attrahit ad se loco cibi. Et hoc quidem experientia constat. Quando enim ieiunamus, tunc per noctem auiditate quadã ad cibos inuitari solemus, sed illis denegatis nullã omnino appetentiam postero die percipimus. Vnde satis liquet, ventriculum, & maxime officij eius, iamdudum vitiosis humoribus esse plenum, quæ tamen non vera, sed mendosa repletio est, & ob id pauco assumpto cibo regreditur statim appetentia. Cauendum etiam ne cibus assumatur non prȩeunte corporis exercitio. Neque enim temere ab Hippocrate 6. epid. part. 4. aphoris. 28. dictum est, πόνοι σιτίων ἡγείσθωσαν i. Labores cibos præcedant. Nam qui cibus mane, antequam prior descenderit, vel paulo ante exercitationem ingeritur, is Galeno lib. 3. cap. 1. de causis sympto teste, & intempestiue sumitur, & cruditatis etiã causa existit. In ciborum præterea ratione, quẽadmodum Institut. medicinæ libr. 2. Sec. 2. cap. 7. Leonhardus Fuchsius diligẽter admonet, id quoque vnice obseruandum, ne illi præpostero ordine ingerantur: id quod fiet, si concoctu facilia ijs quæ difficulter concoquuntur, præmittantur, & si liquida solidis & aridis, & lubricantia astringentibus antecedant. Ordo, verbi gratia, præposterus erit, si coronea aut punica mala primum ingerãtur, postremum autem olera ex garo. Debent etiã ea præmitti, quȩ facile & nullo ferme labore subsidunt, vt sunt liquida: quȩ vero tenacius hȩrent, & difficulter labuntur, vt solida & acida, postremo: idq; si ventriculus naturaliter se habeat: Nã si cui ventriculus sit natura laxior, huic præstiterit abstringentia magis laxantibus præposuisse, quo ab illis roboratus ventriculus reliqua melius cõficere posset. Hæc eadem fere docent Cornelius Celsus lib. 1. cap. 2. & Galenus libro. 2 capite

11. de

1 de alimentorum facultatibus. Iam vero cautio etiam sit, ne in vna eademq; refectione multi simul & varij assumantur cibi, ac tempus deinde comedendo vltra quam satis est producatur, præsertim si ex diuersis illi constent facultatib. Ex eo autem genere cumprimis fuerint cibi variæ substantiæ, vt exempli causa ab Auicenna proponūtur, carnes & pisces, vel pulli & suilla, &c. Nā quę ad istum ingeruntur modū, varie corpus pro succorum diuersitate afficiunt, & concoctionē non vt par est, sortiuntur. Postremo enim accedente cibo, iam primi incepta concoctio est, atque ita partes quidem in coquendo redduntur dissimiles adeo, vt primo loco ingestæ confectæ fere sint prius, quam ad extremum sumptæ medium concoctionis suæ attingant: vnde sæpenumero posterius coquendorū sequitur corruptio. Id quidem Auicenna quoque innuere voluit, 3. 1. doc 2. capite 7 in hanc ferme sententiam scribēs Nil quidem deterius est; quam si multa ac varia ciborum genera coniungantur, atque iusto longius deinde in commedendo tempus protrahatur. Cum enim postremum accedit nutrimentū, primum iam aliquo modo confectum est: partes ergo in coquendo non adsimilantur. Atque inde sane morborū scaturigo qui ex repugnantium sibi humorum discordia nascuntur. Iam ipsius quoque varius coquendi modus bonæ corporis temperaturæ non parum officit. vt si in eadem refectione multi elixi, frixi, & assi cibi sæpius inuicem modo liquidi, modo solidi & aridi ministrentur. Atque hinc est quod Horatius libro 2. Serm. Sat. 2. vbi victum frugalem ac simplicem pro dignitate laudauit hanc saporum condimentorumque aceruationem, vt perniciosam; his versibus detestatus est.

Hip. in l. de flatib. Gal cō. 18 l. 1. & cō. 35. l. 3. de morb. ac Ætius li. 2. c. 239. Paulus l. 1. c. 73.

Accipe nunc, Victus tenuis, quæ quantaque secum,

Adferat

Adferat, inprimis valeas benè: nam variæ res,
Vt noceant homini credas, mrmor illius escæ.
Quæ simplex olim tibi sederit, at simulaßis,
Miscueris elixa, simul conchylia turdis,
Dulcia se in bilem vertens, stomachoque tumultum,
Lenta feret pituita, Vides vt pallidus omnis,
Cœna desurgat dubia' quin corpus onustum
Hesternis vitijs animum quoq; prægrauat vna,
Atque affigit humo diuinæ particulam auræ.

Pari modo & Plinius lib. 11. capite 12. hanc saporum aceruationem damnauit: Homini, inquiens cibus vtilissimus simplex. Aceruatio saporum pestifera, & condimenta perniciosiora. Atqui hic nobis fortasse obtrudet quispiam, plerosque ventri & gulæ mirifice deditos, qui sese à primo statim diluculo ad summam vsque noctem multo varioque cibo & potu non impleant solum, sed etiam distendant, adeoque cibum cibo excipiant, & toti sint in compotationibus, cum nihil tamen inde mali percipiant, imò verò multis incommodis difficultatibusque afficiantur, si vel minimum ab ista consuetudine deflexerint. Huic Galenus quidem respondebit, qui in libro de cibis boni & mali succi cap. 7. ita scriptum reliquit. Hæc enim quamuis protinus nullam iuuenum corporibus sensibilem læsionē inferat, sensim tamen occulteque crescente vitio cum iam ætas progressu temporis inclinarit, articulos neruosque & viscera ijs morbis vexāt, qui vel difficulter admodū, vel omnino tolli nō possunt, neq; id quidem temere: namque ea pars corporis quæ natura imbecillissima est, à lædente quolibet patitur. Quod autem vitiosi humores morbique gignantur, cruditas assidua in causa maximè est, siue ea ex boni, siue ex mali succi oria-

Oribasius l. 1. c. 5. ad Eunapium.

oriatur cibis. Quin Auicenna quoque 3.1.doc.2. cap.7. idem confirmans, sic ferme inquit: Ille cui mala nutrimenta concoquuntur non gaudeat ex hoc. Noxa enim etsi ad tempus fortasse delitescit; temporis tamen successu sese exerit, & grauissimam certissimamque neglectæ artis medicę pœnam adfert. Atque hinc adeo pauci eorum qui istum viuendi modum sectantur, destinatā senectutis metam cōtingunt, sed crudis ex intemperātia aceruatis succis podagra, calculo, lepra, carcinomate, febribus, alijsque id genus malis prius torti vitam cum morte commutant. Præstat igitur, vt diserte à Fuchsio nostro scribitur, temperantia & parcitate animum corpusque vegetum ac sanum seruare, quam crapula crebrisque compotationibus & immoderatione infirmū, morbosum, Deoque & hominibus odiosum reddere. Ac ne illud quidem silentio prætereundum hoc loco, quod protracta ad vnam fere horam mora, ac iustę commanducationis & deglutitionis gratia comestioni interposita, non laudabilis modo, sed ad tuendam etiam valetudinem vtilissima censeatur. Cibus enim qui exacte dentibus manditur, extenuatur, & molitur, ac sensim deinde atque tarde deglutitur, & si imperfectam ac modicam omnino, aliquam tamen, vt in suo genere æstimandum, alterationem in ore consequitur, quemadmodum lib.3.cap.7. de natural. facult. Galeno & Auicennæ 1.1.doct.4.c.1. visum est. Cęterum imperfecta commanducatio vt concoctioni contumax est, ita etiam horrorem quēdam & insuauitatem adferens ciborum appetētiam auertit. Mora vero quę inter edendum multis vltro citroque sermonibus collocutionibusq; interpositis ad duas vel tres horas protrahitur, admodum noxia est, eamque nocumenta hactenus enumerata sequuntur.

Ga.l.2.c.6. de ali. fac. & in l. de dif. cō.c.6. Auic.3.1. doc.2.c.3.

Vltimus versus in quibusdam exemplaribus hoc etiam modo legitur.

Hæc sint signa;tibi subtilis in ore saliua.

Nec male quidem. Nam saliua quæ subtilis & nulla qualitate infecta, sed perinde quasi aquosa gusti offertur, tum concoctionis, tum absolutæ sanitatis etiam indicia ostendit, Galeno li.3.c.6. de locis affectis, teste.

DE VITANDIS CIBIS.

CAPVT VII.

PErsica, poma, pyra & lac, caseus, & caro salsa:
Et caro ceruina, & leporina, bouina, caprina:
Atra hæc bile nocent, suntque infirmis inimica.

Hic recēsentur decem ciborum genera, quę sanguinem serosum & melancholicum efficiunt, eoque infirmis nocent.

Persica. Primum, persica: de quibus lib.2.c.19. de alim. facult. diserte ita Galenus scribit: Ipsorum succus & veluti caro facile corrumpitur, prauaque omnino est. Quocirca (quod quidam facere solent) non sunt post alios cibos mandenda: corrūpuntur enim in superficie narantia: sed in omnibus quæ praui quidem sunt succi, verum humida sunt ac lubrica, & quæ subduci facile queant, id communiter tenendum, ea ob hoc ipsum ante alios cibos esse sumenda. Ita enim fiet, vt & citius subducantur, & alijs cibis viam muniant, quæ si sumpta postrema fuerint, vna secum alia quoque corrumpent. Atque inde sane patet, hoc dictum de ijs intelligendum persicis, quæ matura post alios cibos vltima eduntur. Præsumpta enim stomacho conferunt, ventrem leniunt, & ciborum appetentiam præstant. Dioscorides etiam libr.1.ca.128. idem testatur, in eum modum scribens: Persica matura tam stomacho, quam ventri vtilia sunt: acerba aluum cohibent, sed sicca vehementius: decoctam ē siccis alui stomachique fluxiones sistit. Simeon quoque Sethi de persicis hæc refert: Persica, inquit, quidam in tertio ordi-

ne refrigerantium humectantiumque posuerūt, alij in primo, alij vero in secundo, quod etiam certius est. Phlegma generant, non facilè concoquuntur, celerrime in ventriculo corrumpuntur propterea qui crebrius ad satietatem his vtuntur, in febres incidunt: lædunt & neruos proprietate quadam. Oportet vero hæc ante cætera cibaria assumere, & super his meracum bibere. Quę ex his matura sunt, ventrem ducunt, immatura contra sistunt, eoque efficacius sicca, Foliorum succus in potu sumptus, lumbricos ventris perimit: idem perficit, si cum folijs vmbelico apponatur. Suscitant quoque ciborum appetentiam persica, prosunt & inflammato ventriculo, & genitali semini adijciunt; serosum tamen sanguinem parant, sępiusque post vnum vel alterum mensem ob putredinem febres tum longiores, tum etiam difficulter solubiles gignunt.

Illud etiam obseruare oportet, ne super hæc aqua bibatur. His amplius addit Plinius Valerianus libr. 41. cap. de re medica, persicorum folijs siccis & in puluerem redactis, plagas cruentorum vulnerum claudi, quam facultatem Serapion ipsis etiam persicis siccis attribuit. Quanquam autem persica iam dictis viribus prædita sunt, quia tamen humor inde genitus facile corrumpitur & putrescit, noxia sunt infirmis, & maxime si præpostero ordine ac intempestiue sumantur, infra cap. 42.

Secundum, poma siue mala: In quibus, autore Simeone Sethi, multa differentia est: quæcum que enim astringunt, frigidum habent & terreum succum. Quæ acida sunt, frigidum quidem verum tenuem illum habent. Medij autem temperamenti sunt dulcia, quæ ad caliditatem magis vergunt. Omnia certe quadam peculiari proprietate neruis nocent: nocent & quæ matura non sunt. Dicuntur & lapidem seu calculum *Poma.*

gignere ijs, qui ad satietatem ipsis vtuntur. Verum vtilia sunt ad λειποθυμίας, id est, animi deliquia & cordis debilitatem, Spiritum quoque flatulentum in secunda concoctione generant, eoque infirmis nocent, sicuti de pyris mox dicetur. Et hoc de crudis maximè intelligendum est. Neque verò ab his solum fructibus, sed ab omnibus etiam quæ sanguinem seroso ac ebulliente succo replent, ægrotos abstinere conuenit. Eiusmodi plane sunt recentes, & qui ante perfectam maturitatem eduntur: cum enim humidius alimentum, ob idque excrementosius præbeant, non secus in corpore humano feruent, & ebulliunt, atque vinum, quod nuper ex fructibus vel vuis expressum est, in dolijs: & hoc quidem ob caliditatem ipsis à Sole, cum maturescerẽt, ingenitam, quemadmodum lib. 4. capite 3. de vsu partium Galenus attestatur: Et hoc certe Auicenna 3. 1. doct. 2. cap. 7. teste, commune est omnibus cibarijs, quę sanguinem seroso succo implent. Porrò etsi verò hoc interim spacio, quo manduntur, humectent, ob succi tamen ebullitionem promptè in ventriculo corrumpuntur, & sanguini putrido gignendo accommodatissimi sunt: qua de causa non temere Auicenna 1. 4. tract. 2. cap. 7. fructus recentes omnes febricãtibus interdixit. Plura Galenus lib. 12. cap. 21. de alimen. facul. & infra c. 39.

Pyra. Tertium, Pyra: quæ sane, perinde vt alij fructus recentes ac crudi, communiter hoc possident, vt seroso ebullienteque succo sanguinem expleant, eumque putrefactioni obnoxium reddant: quo fit vt eorum cibus, Plinio libro 23. capite 7. teste, non ægrotis solum, sed valentibus etiam onerosus sit. Inflationes quoque excitant, & ob id crebrius esitata colicos affectus suscitãt: Sed innoxia fiunt, si vna cum carminatiuis vulgo dictis, hoc est, calefacientibus, tenuantibus, & flatum expellentibus comedantur, vel super his vinum

vinum vetus & odoratum bibatur. Quod Galen. lib. 1. cap. 26. de alim. fac. palam etiam ita scribens confirmat: Quicquid omnibus cibarijs inest flatulentum, id per calfacientia & tenuantia corrigitur. Pyris præterea ea facultas inest, vt inter cæteros fructus quam maxime impinguent, quare sues ipsorum esu magis quam quorundam aliorum fructuum pinguescunt. Laudatiora sunt odorata & dulcia, & ex ipsis cocta quam cruda meliora. Coquenda vero cum fœniculo, aniso & saccharo. Infra cap. 13. & 39.

Quartum, lac: hoc enim facile corrumpitur, in que nidorem aciditatemue in impuro ventriculo transit. Qua propter putrida febre correptis exhibendum non est, quia plurimo calori conuersatum in nidorem statim abit. Huc accedit, quod in ventriculo febricitantium haud cõcoquitur, sed potius corrumpitur, adeoq; febres auget. Caput quoque dolentibus malum est, quod confirmat Galenus, qui libro. 3. de alimen. fac. cap. 14. lac capiti, nisi quis ipsum habeat admodum firmum, non esse accommodum tradit. Cuius rei causa alia non est, quam quod lac sit nidorosum, ac facile euaporet, caputque petat, adeoque dolorem augeat. Nocet præterea sitibundis & aliis nonnullis, de quibus Hippocrates aphor. 64. lib. 5. & ibidem Galenus. In phthisi, tamen hectica, & alijs quibusdam passionibus vt Hippocrates loco iam citato autor est, vtilissime conceditur. Qua de re copiosus infra cap. 34. Quanquam autem lac infirmis ex vsu non sit, in sanis tamen ad bonos humores gignendos ex ijs præsertim animalibus quæ bono corporis habitu sunt, probatissimum habetur. Et hoc quidẽ si in ventriculo & hepate perfecte concoquatur Tunce enim mordaces succos quoscunq; inuenerit expurgat, qua de causa in vrinę difficultate & acri egestione alui non solum bibere conducit, sed etiam inferne per clysterem infundere. Ad a- *Lac.*

cres

cres enim & mordaces fluxiones commodissimū est, nō solum abluēs ipsas de partibus infestatis, atq; hoc per extersoriam homiditatem quam in serosa sui parte complectitur, sed etiam crassitie ac pinguitudine sua corporib. oblitū ac inductū, non sinit influxum aërem nudis ipsis allabi. Ad pulmonis itaq; ac intestinorum vlcera, item renum, vesicæ, ac vteri, & ad pupularum eruptiones, & furunculos, & alias cutis asperitates cōuenientissimum est in potu, adeoque cutem ipsam pulchram ac nitidam reddit. Ad hæc lancinamēta ex veneni potione, & quæ in vrinæ meatu fiūt, compescit. Item ad eos qui cantharidas hauserūt, aut buprestin, & in summa ad medicamenta erodentia ac exulcerantia, & ad hyoscyamum velut peculiare remedium est. Nā statim resipiscere affectos facit. Cæterum in gutturis exulcerationibus, quæ cum alias ob causas multas, tum exanguinis fiunt, & his qui ephemerum sumpserunt, lac gargarizate conducit. Corporibus præterea temperatis, quorum ventriculis nihil biliosi & phlegmatici humoris insidet, vtilissimū habetur. His enim bene concoctum multum nutrimēti summitit, probum succum generat, bonam carnem longe meliorem reddit, & corpus conuenienter humectat. Hoc tamen in primis cauere debet qui lac bibere voluerit, vt interim à reliquis cibis ac potibus abstineat, donec concoctū sit ac secesserit. Si enim ante eius concoctionem alium cibū quis sumat, necesse est & ipsum lac corrumpi, & cibum, qui super ingestus est. Præstat autem mane bibere recens mulctum, & tunc plures labores detrahere, quiete ac sensim ambulare, & interim cessare, circa somni admissionem. Qui enim hoc modo se gesserit, potum lac excernet, idque inutilia secum educet. Opus est enim, si quid aliud, primum acceptum secedere, quo facto aliud bibere. Principio igitur secedit aluo commode purgans, non totam corporis molem, sed quæ in

aluo

aluo & intestinis sunt partibusque vicinis. Post hæc in venas defertur, optimeque nutrit, & non amplius secedit, sed ventrem sistit. Corporibus vero distemperatis infestum inimicumque est. In calidioribus enim cito in nidorem atque bilem, in frigidioribus vero in aciditatem & putredinem commutatur. Circa electionem denique lactis sciendum, pro ipsorum animalium specie, haud paruam esse differentiam. Boum namque lac crassissimum ac pinguissimum, & concoctu difficile est, & ob id in ventriculo in flatus vertitur, venarumque obstructionem parit. Liquidissimum autem ac minime pingue est camelorum, mox equarum, deinde asinarum, mediæ autem consistentiæ est caprarum, hoc crassius ouium. Lac igitur caprarum, cum inter cætera lactis genera moderate se habeat, neque pingue admodum, neq; crassum sit, merito in victus salubris ratione præfertur. Quin & caprarum inter se inuicemq; collatarum, & secundum anni tempora non parua differentia est. Earum enim quæ modo pepererunt, lac liquidissimum, sed temporis progressu magis semper ac magis incrassescit. Æstate verò media ipsum etiam in medio suæ naturæ consistit, post idem tempus sensim iam incrassescit, quo ad penitus deficiat. Vere autē vt liquidissimum, ita etiā copiosissimū est. Quo fit vt eligendum sit lac caprarum, non quidem prægnantium, sed enixarū, quæ tamen, quod ad partum ipsum attinet, mediocriter se habeat, hoc est quæ neque nuper enixæ sint, neq; multum à partu recesserint: hoc interim non neglecto, vt ipsis etiam alimenta propria affatim suppetant. Ac ne illud quidē silentio prætereundū hoc loco, quod etiam lac caprinum sine melle sumptū haud citra periculum sit. Plerisq; enim qui purum illud hauserunt, coactum est in ventriculo in speciem casei: quod quidem cum accidit, mirum est quā aggrauet hominem ac strangulet. Ob eam causā

lac vbi sumunt nõnulli, ne in ventriculo coaguletur, mellis, aquæ & salis nonnihil admiscẽt Atque hæc quidem hoc loco de lacte sufficiant. Plura Galenus lib. 3. cap. 14. de alim. fac. & lib. 10. ca. 7. de medic. simpl. fac. & in libro de cibis boni & mali succi cap. 6. Oribasius lib 4. Synopseos ad Eustathium cap. 12. 18. & 40. Paulus lib. 1. cap. 86. & 87. Aetius lib. 2. cap. 92. & 93.

Caseus. Quintum, Caseus, quod quidem, cum de omni caseorum genere, tum de inueterato cum primis intelligendum est. Hic enim ob coaguli & salis, dum prępararetur iniectionem, temporis progressu acrimoniam assumpsit, humiditatemque omnem deposuit: quare se ipso etiam acrior & manifeste calidior atq; ardentior euasit, & ob id ipsum peioris quoque & crassioris succi, & ægre concoctilis effectus est: præsumptorum quidem concoctionem adiuuat certe, sed ipse difficilius concoquitur, vnde vulgo dici solet.

Casus est nequam, quia concoquit omnia, se quam.

Nutrimentum habet exile, stomacho nocet, & vbi forte fortuna in corpore supercalefactus fuerit, quẽadmodũ diserte Galenus libro 3. capite 6. de loc. affect. scribit, facile melãcholicũ humorẽ parit. recens flatuosus quidẽ minus est, sed vẽtrem magis sistit, magisq; siticulosus & æstuosus est, nec ad calculorum in renibus procreationem minus existit noxius. Deterrimum præterea edulium est ijs, (quemadmodũ hoc ipsum Hippocrates lib. 4. de vict. rat. in morbis acu. aphor. 92. clarissime ostendit) qui se potu repleuerunt. Grauat quidẽ os ventris, primumq; corrũpitur, & alia deinceps secum corrumpit. Fugiẽdus igitur est eiusmodi, vt qui nihil cõferat, neq; ad coctionem, neque ad distributionem, neque ad mouẽdam vrinam, neque ad ventris deiectionem, seu vtique nec ad succi probitatem. Porro recens

ac

ac mollis caseus frigidi humidiq; temperamẽti est, & duro succoque flatuosior existit, sed eo minus astringit, minusq; crassi succi est: nihilominus tamen ægre conficitur, obstruitque, & calculos gignit. At vero qui inter vtrumque, recentem nimirum & inueteratũ, glutinosum & friabilẽ, durum ac mollem, rarum, laxumue & valde densum coactumue medius existit, quique dulcedine nonnulla participat, modiceq; salsus est, neque lachrymas, cum inciditur profundit, neque tardius alio secedit, sed odore & sapore iucundus moderateque pinguis est, atque ex bono lacte pulcherrime elaboratus, is vtique reliquis omnibus longe multumque præstat. Verum post alios cibos vltimo loco & exigua plane copia ingerendus est, alioquin & ipse, nihilo secius ac reliqui casei, ventriculũ grauat, coctionẽ impedit, aluum cohibet, crassos humores atque flatus in corpore lapidẽque in renibus parit. solus igitur:

Caseus ille bonus, quem dat auara manus.

Plura de hoc apud Galen lib. 3 cap. 16. de alim. facul. & lib. 10. cap. 9. de simpl medic. fac & in lib. de cibis boni & mali succi, capite 6. Paulum lib. 1. cap 89. & Aetium lib. 2. cap. 101.

Sextum, Caro salsa. Caro enim sale condita, atque Sole deinde aut vento, siue fumo exarefacta, cuiuscunque ea generis vel animalis fuerit, substantia cum duriore, cum ad coquendum etiam difficiliore cõstat, & tardius permeat. Alimentũ quoque corpori præbet exiguum & mali succi, ideoq; sanguis inde generatus crassus existit atque melãcholicus, ac proinde, si frequens eius vsus fuerit, non solum infirmis, verũ etiam sanis officit, quemadmodum id ipsum ex Galeni libro 3. capite 6. de loc affect. & comment. 18. libro 2. aphor. & post eum ex Auicẽnæ. 2 1. doct. 2. sum. 3. in fine capitis 15. aperte colligitur. *Caro salsa.*

Septimum, caro ceruina, cui & ipsi sane cum

omnibus duris & ficcioribus carnibus hoc commune eſt, vt ſuccum vitioſum, concoctu difficilē ac melancholicum generēt. Id quod Galenus in lib. de renum affect. digno. & medic. cap. 26. clariſsime oſtendit. Ceruinam, inquit, carnem vitabis, quippe quæ dura ſit, concoctu difficilis, & melancholica. De ea hoc amplius Simeon Sethi ſcribit: Vnice cauendum, ne quis carne veſcatur ceruorum qui per æſtatem capiũtur, quod eo nimirum tempore viperas ſępe & ſerpentes deuorent, atque ideo ſitibundi admodum fiant: attamen cum naturæ inſtinctu edocti nouerint ſibi futurum exitio, ſi ante illorum concoctionem aquā hauſerint, fortiter ſitim tolerant, eaque incenduntur. Ceruorum igitur carnes eo anni tempore venenoſæ ac valde noxiæ ſunt: & idcirco obſeruandum, ne quis eis per æſtatem veſcatur. At verò hieme tutius ſumuntur, meliuſque ab innato calore ſuperantur. Niſi enim probe concoquãtur, craſſum humorem generant, iecarq; & ſplenem obſepiunt obſtruuntque. Quin etiam corpus tremulum atque infirmum euadere ex frequenti & immoderato eius vſu traditur.

Caro leporina. Octauum, Caro leporina: Hanc Paulus, Pſellus, & Rhazes inter cibaria atram bilem gignentia connumerant: Simeon Sethi quaſi colligens quęcunque à veteribus dicta erant, in hunc modum de ea ſcribit: Leporum carnes his qui exſiccare corpus volunt, ſunt valde vtiles: qui verò temperatura ſunt ſicciore, minus conferunt: ſanguinē enim craſſarum partium & melancholicum gignunt, aluum cohibent, & vrinam proritant. Quod ſi tamen probe concoctæ fuerint, non omnino male nutriunt. Contra vero obſtructionem hepati ac spleni efficiunt, pulmonique nocent, & immodicis torquent vigilijs. Iſaacus in diætis vniuerſalibus leporinam pro pharmaco potius quam alimento habendam cenſet. At ne hoc quidem ignorandum, quod tum hæc caro, tum ceruina quo-

quoq; si fuerint animalium ętate declinantium, simpliciter sint euitandæ. Si quis tamē comedere omnino expetat, ei sane parui propinquiores, nēpe iuniores sunt eligendæ, quo nimirum naturalis earum siccitas ab ętate temperetur. Eadē ratione & pinguiores longe cæteris antecellunt: Siccitas namq; pinguedine correcta ad mediocritatem in eiusmodi animalibus inflectitur. Verum de hac ipsa Ioanne Manar. l, 13 epist. 4. diligentius nemo disseruit.

Nonum, caro bouina, circa quam notandum inprimis, & fœminam ipsam, quæ vacca dicitur, & vtrumque marem, tam eum qui castratus est, quam eum etiam qui integer ad speciei propagationem reseruatus taurus nominatur, communi hac boum appellatione significari. Atque hi sane non parum inter se ętatis ratione differunt. Extremæ namque ætates, vt in alijs non paucis, ita in his quoque vitiosæ sunt: mediæ vero optimæ & saluberrimæ. Vitulorum igitur recens editorum caro nimis mucosa & excrementitia est. Bimestres autem, quique paulo vltra citraue eā ętatem cōsistunt, temperamento viciniores sūt, & carnes habent ad concoquendum perfectis bobus præstantiores, & multum alimenti corporib. exhibēt, boniq; succi habentur. Prouectiores verò, qui tamen florentem ætatem nondum attigerunt, temperamēto sunt quam senes minus sicco magisque ijs iuuenibus conueniunt, qui bono sunt corporis habitu. His perfectæ ætatis boues valentius quidē alunt, sed ægrius tū concoquūtur, tum in membra distrahuntur. Porro ad senium vrgentium atque ipsorum etiam senum carnes duræ, siccæ, neruosæ concoctionique rebelles sunt, & melancholicum humorem efficiunt, solisq; ventriculos habentibus calidiores, atque illis insuper qui vehementer sese atque im̄oderatius exercent concedi possunt. Quod libro. 4. de vict. rat. in morb. acut. aphorim. 90. Hippocra-

Caro bouina.

tes etiam ſcribens atteſtatur. Bubulæ carnes melancholica proritant παθήματα. Nempe harum natura inſuperabilis eſt, nec quiuis vẽtriculus eas concoquere poteſt. Galenus quoque lib. 3. ca. 1. de alim. facult. idem ijs fere confirmat verbis: Carnes bubulæ alimentum quidem & ipſæ corpori ſuggerunt non mediocre, neque diſſipatu facile: ſanguinem tamen generant quam conueniat craſſiorem. Quod ſi quis temperamento naturali melãcholicus magis fuerit, affectu aliquo melancholico prehendetur, ſi largius his veſcatur. Affectus autem melancholici ſunt, cancer, elephas, ſcabies, lepra, febris quartana, & quæ peculiari nomine melancholia nominatur: Lien item quibuſdam à tali ſucco intumeſcit, quam rẽ καχεξία, id eſt, prauus habitus & hydropes ſæpenumero conſequuntur. Cæterum qua ratione incommodis, quæ frequentiorem earum vſum excipere ſolent, prouidendum ſit, lucul ẽter & perſpicue Simeon Sethi in hunc modum ſcribens edocuit: Si quis eas edere velit, ſũmaq; cupiditate appetat, vel cogatur etiam, is medeatur nocumento quod inde futurum ſperatur, aceto & alijs cum ruta intingens. Idem quoque autor eſt, earundem iure ſiue brodio ζωμῷ Græcis appellato fluxus ventris ex flauabile cohiberi.

Vaccina. Vaccinæ cum præter ſucci prauitatem etiam ſexus ratione frigidiores ſint, merito à ſanitatis tutela eximuntur. Non tamẽ ab eis, quemadmodum nec ab alijs quæ hactenus dicta ſunt, ex toto abſtinẽdum eſt: ſed omnibus interdum, optimis vero quantum fieri poteſt, ſæpius vtendum.

Caro Caprina. Decimum, caro caprina: de qua idẽ ferme quod de bouina dicendum. Hœdi enim perinde ac vituli carnes ad conficiendum perfectis captis meliores, & tuendæ valetudini accommodatiores habent. Moderate nutriuit, ſanguinemque tenuem & humidum gignunt. Præſtantiores & probioris

bĩoris ſucci ſunt lactẽtes adhuc, & maximè ſi neque tenelli admodum, neq; natu grãdiores fuerint. Simeon Sethi rufos & glaucos, Rhazes verò rubros in nigrum inclinãtes ac pingues præfert. Baldacho fœmellę quam maſculi carnem temperatiorem & à ſiccitate remotiorem eſſe placet. Mirifice calidis & ſiccis temperaturis, atque inſuper delicatis & ocioſæ vitæ deditis conferunt, Hirci carnem quidem habent minimum humidam, pituitoſam ac lentam, ob fœtorem tamen ingratam & ſtomacho inimicam, ægre concoquitur, & ad ſuccum bonum generandum parũ idonea eſt. Hanc ſequitur arietum poſt taurorum. Porrò in ijs omnib. carnes caſtratorum ſunt pręſtantiores: ſenum autem peſſimę. Caprina in tota valetudinis cura obſeruationeq; vitanda eſt. Nã Hippocrate lib. 4. de vict. ratione in morbis acut. teſte, habet mala quæ in bubulis ſunt omnia, & cruditatem, eſtque flatuoſior, & ructus magis generat, acris eſt, malumq; ſuccum efficit. Ineunte tamen æſtate, & circa eius medium capræ meli, us agunt, longeq; ſeipſis in cibo præſtantiores euadunt. Tunc enim arborum & fruticum ſurculi & germina, quæ ijs maxime idoneam præbent alimoniam, frequentiſſima ſunt. Ac proinde habitiores etiam ac pinguiores, nobiſq; alendis accõmodatiores fiunt. Quod autem alimonia ad carnis bonitatem plurimum poſſit, argumento ſunt euidentiſſimo vulpes, quæ autumno probatiſſimam ob vuas habent carnem. Sic paſſer ac ficedula per idem tempus maximè laudabilem carnem obtinent. De caprina plura Galenus lib. 3. c. 1. de aliment. facult. & de attenuante diæta c. 6 & com. 101. & 102. in lib. 4. Hippoc. de vict. ratione in morb. acut. & Paulus lib. 1. ca. 84: & Aetius lib. 2. cap. 121. Atque Hactenus quidem de cibis & carnibus vitandis.

Exigit nunc ordo, vt de electione alimenti, quod partim à iam dictis, partim vero ab alijs

quibusdam animalibus sumitur, nonnihil etiam dicatur. Siquidem de eo haud parua inter ipsos artis medicæ Scriptores controuersia est. Galenus enim, vt alij nonnulli, porcinæ palmam detulit: Rhazes vero, Auicenna & Auerrhoes hœdinam prætulerunt. Sunt etiam quibus vitulina præstãtior videatur. Porrò electio hæc & præstantia multipliciter attẽdi potest. Et primo quidem ratione tum similitudinis, quam cum humanis obtinent carnibus, tum maioris quoq; & discussu difficilioris alimenti. Quo sane modo porcina cæteris omnibus longe antecellit. Maxima enim illi cum humano corpore similitudo est, quẽadmodum Galenus lib. 3 de alim. facult cap. 1. diserte ijs verbis ostendit. Suillæ carnis similitudinẽ cũ humana ex eo poteris intelligere, quod quidã carnes humanas pro suillis sine vlla in gustu vel olfactu suspicione comederunt, id enim ab improbis hospitibus & alijs quibusdam factum fuisse iam compertum est. Idem libr. 10. de simp. med. fac. ca. 2. Sanguis, inquit, suillus humanæ maximè temperiei similis est. Siquidem & carnes suum humanis sunt similes. Comperti enim sũt hospites & coqui complures, qui humanas carnes pro suilli venderẽt, tametsi qui eas edissent, nullum omnino discrimẽ percipere potuerint. Quin & ipse narrantes audiui viros fide dignos, sese in diuersorio publico ius esitasse delicatum cum carnibus suauissimis: cæterum cum iam pene saturi essent, inuenisse digiti partem anteriorem, quæ videlicet ad vnguem est, quo perculsi, ac metuentes eos qui agebant in diuersorio, ne scilicet se quoque vorarent, ceu ei rei assueti, protinus quidẽ illinc exiere, ac vomitu redditis quæ ederant, ita iter denuo ingressi sunt. Sed & in ipso facinore homines mactantes deprehensos, nõ ita multo post referebant. Itaque iure quispiã existimet suillam carnem humanæ esse simillimã. Quod deinde suillam carnem validissime nutrire

diximus, hoc Galen. li. 1. cap. 1. de alim. facult. in eum modum scribens confirmat: Omnium ciborum, suum caro potentissime nutrit. Cuius rei athletæ certissimum tibi præbent indicium. Si enim partibus exercitationibus parem molē alterius cibi pridie totum diem comederint, postero die statim sentient sese redditos imbecilliores. Quod si pluribus deinceps diebus id fecerint, nō imbecilliores modo, verumetiā alimenti penuria macilentiores palā conspiciuntur. Idem li. 7. method. medend. cap. 6. ijs etiam testatur verbis: Omnium quos nouimus ciborū maximè nutriēs suilla caro est. Quin & ipse Hippocrates lib. 6. epidem. part. 3. aphor. 4. quum iam corpus ex multis exercitijs conciderit, suillas carnes assatas exhibere præcipit. Porrò alimentum quod inde sumitur firmum esse, neque dissipatu facile, satis confirmat Galenus in libro de attenuante diæta, cap. 6 vbi sic scriptum reliquit. Suum domesticorum caro omnium aliorum ciborum firmissime nutrit. Multum enim in se ipsa habet lentorem, tum propter vitam desidiosam, tum propter cibi humidioris affluentiam. Et similiter in lib. de renum affect. digno. & medic. cap. 26. E pedestribus optimi succi est caro suilla, & hominib. maximopere familiaris, maximeque tum nutribilis tum corroborans: sed glutinosum quiddam habet & crassum. Ob id qui diutius ea victitant, iecoris & renum obstructione corripiuntur, quibus hæc à natura adstrictos meatus habent, eoq; longiori ab ea interuallo abstinendum. Quia verò glutinosum, vt dictum est, & crassum succum generat, ideo Hippocrates assatam exhibere iussit: quo nimirum viscositate ac crassitie ab ignis caliditate nōnihil consumpta, minus humida ac glutinosa edatur. Idē lib. 4. de vict. ratione in morbis acut aphor. 103. eiusmodi carnem absque pelle, hoc est, cute mandendam esse docuit. Cutis .n. animalis, vtpote frigidior, carni similiter

liter concoqui nata non est. Quæ autem ob assationem ambusta est, tum ad succi bonitatem, tū ad concoctionem inhabilis existit, choleramque parit, propter eam quę huic accedit acrimoniam. ibidem pinguissimam quoq; suum carnem, ea quam medij & bene carnosi habent, deteriorem existimat, suspicionem humiditatis habens: ob quā pinguedo omnis carne sui generis deterior, tum ad concoctionem, tum nutritionem existit. De suilla hoc amplius Galenus in lib. de cibis boni & mali succi c. 4. Suilla caro, si exactè in ventriculo concoquatur, tum in sanguinem à iecinore conuertatur, probatissimos humores gignit. Quod intelligendum vtique, non de carne suum vetustissimorum: (ea enim ob siccitatem & duritiem ægre concoquitur, ac succum vitiosum generat) neque porculorum lactentium: (siquidem hi terrestrium fere omnium quæ vorant homines animalium, maximè humidam & excremētitiam obtinent carnem: atque eam ob rem plurima inde generatur pituita:) Sed ætate mediocrium, anniculorum videlicet, vel bimorum. Idē Galenus etiam libro paulo ante citato, capite duodecimo attestatur: Ex animantibus, inquiēs, quorum natura ad bonos humores gignendos aptissima est, sues mediocris ætatis habentur: qui enim ad summum creuerint, hominibus vigentis ætatis seque exercentibus. qui vero adhuc increscunt, ijs quorum ætas inclinat, idonei sunt. Caro ex porcellis paruulis, excrementis scatet. Quare ex pedestribus animantibus suilla caro probatissimus cibus est. Et hoc quidem tametsi in vtroque genere tam domesticorum quam agrestium vere dicatur, agrestes tamen à Galeno longe cæteris anteferuntur. Atque hinc adeò in lib. de attenu. diæta. ca 6. sic inquit: Apri suibus domesticis in cibo sunt anteponendi. Et lib. 8. method. meden. cap. 2. Ex ipsis suillis carnibus optima est montana.

Cuius causam Galenus lib. 4. de alimēt facult. ca. 15. hanc esse tradit: Domestici, inquit, sues tēperie humidiores sunt, quam agrestes, tum ob aëris in quo degunt humiditatem, tum verò etiam ob vitæ ignauiam. Qui vero in montibus degunt, multum exercentur ac fatigantur: præterea in aëre sicciore viuunt: quapropter eorum caro est durior, nulliusq; prorsus pinguedinis aut paucissimæ particeps: & alimentum quod inde prouenit minus habet excrementi: contra excremētitium est, quod à domesticis sumitur. Necesse igitur est alimentum eiusmodi nutrire valentius, quam alterum, succumq; gignere multo meliorem. Addit præterea Auicenna lib. 2. cano. ca. 145. eosdem hyeme meliorem sanguinis habitū consequi, longeque seipsis in cibo euadere præstantiores. Ex omnibus hactenus adductis satis iā liquet, hominibus ætate florentibus, fortibus, sanis, & quamlibet fortem ac vehementem actionem obeuntibus, vt pote fossoribus, agricolis, messoribus, cæterisque id genus operarijs, modo ab oppilationibus puri atq; vacui sint, ac denique ijs etiam qui impinguari cupiunt, suillam potissimum exhibendam. Ad eiusmodi enim corporū conseruationem alimento plurimo, firmo atque ægre dissipabili opus est. Recte itaque Rhazes l. 3. ad Alman. c. 9. Crassa, inquit, caro multum sese exercentibus conuenit: ijs vero qui vitam in maiori ocio ac quiete degunt, subtilis & extenuans. Quod Auicenna quoque 3. 1. doct. 2. cap. 7. ita ferme scribens confirmat: Vehementer sese exercētes multoq; labore fatigati firma magis & crassa alimenta requirunt.

Secunda verò carnium electio à temperamento, concoctione, & succi inde geniti probitate sumitur: atq; ea quidem ratione hœdiernæ lōge cæteris præferuntur. Nam vt Rhazes loco paulò ante citato autor est, temperatura sunt mediocri, nullius prauitatis participes, facile conco-

quun-

quuntur, nec non & sanguinem inter subtilem & crassum, calidum ac frigidum temperatum efficiunt. Illis tamen qui multum exercentur, in cibo minus idonea sunt: siquidem alimentum quod corpori summittunt, forti exercitio siue labore celeriter discutitur, iuuenibus temperatis mediocri exercitio vtentibus, quemadmodum & illis quoq; de quibus supra dictum est, magis conueniunt. Porro quemadmodum hac ratione inter animalia domestica caro hœdina præstantior est, sic inter agrestia quoque capreoli facile primas obtinent: post hœdinam autem secundũ locum arietina sibi vendicat, si quid Rhazæ atq; Auerrhoi credimus. Quorum ille quidem lib.3. ad Alman. cap.9. ita scriptum reliquit: Caro arietina quam hœdina crassior est, viresq; magis auget, sed plures efficit superfluitates, in bonitate tamen hœdinã sequitur carnẽ. Hic verò lib.5. suorum collecta cap.32. de eadem hæc fere prodidit. Post carnem, inquit, hœdinam est arietina, atque ita omnes prope medici sentiunt, præter Galenum, qui arietum carnes abominatur: persuasum enim habet, vitulinã arietina longe melioris esse nutrimenti. Sed Galenus forsan hanc præstantiam ex eo attendit, quod vitulina plurimum nutriat, & nutrimentum eius ægrius dissipetur: arietina verò insigni humiditate prædita sit. Nã humidius alimentũ vt distribuitur, ita etiã discutitur celerius. Locus Galeni, quem Auerrhoes citat est (ni fallor) in libro de cibis boni & malli succi ca.12. Verba Galeni sic habent: Ex pedestribus animantibus caro suilla probatissimus cibus est, deinde hœdina, mox vitulina. Agnina verò humida, lentoremque ac mucorem in se habere censetur. Quod idem in libro de attenuante diæta cap. 7. velut repetens inquit: Ex terrestribus animalibus hirci & arietes, & genus omne ouium ac caprarum non vndequaque laudabilis sunt alimenti. Solis autem hœdis innoxie vtare.

Agno-

Agnorum esus propter insignē humiditatem est fugiendus. Ex quibus vtrique locis fit hoc etiam perspicuum, apud Rhazen atq; Auerrheon agnos, masculos, qui aliquantulū increuerint, per arietes esse intelligendos. Id quod ipsemet Auerrhoes his verbis confirmare videtur: Magna pars Medicorum laudat carnes arietum iuuenum, &c.

Tertia, demum carnium electio siue præstantia in eo sita est, vt neque insuaue, neque mali odoris, neque glutinosum quicquam gustu repræsentent. Tales autem inprimis vitulinæ sunt, quemadmodum. Auerrhoes loco citato his fere verbis ostendit. Carnes, inquit, vitulinę bonę sūt, minus enim quam boum ætate declinantium carnes habent tum viscositatis, tum frigiditatis ac siccitatis, ac odore quoque cæteris carnibus suauiores & iucundiores sunt. Qua certe consideratione ipsis etiam hœdinis præferuntur. Siquidem in coctura hœdinarum muccago, hoc est, lētor siue viscositas quędam deprehenditur, quæ in vitulinis non apparet. Hœdinæ tamen vitulinis succi probitate præstant. Ex omnibus quæ hactenus adducta sunt, liquido iam constat, non esse tantam inter Medicos de carnium electionę controuersiam, quanta prima facie apparet. Hoc quoque scire in vniuersum oportet, quod siccorum animalium carnes in prima ætate, quæ humidior est, præstantiores sunt, & minori momento conficiuntur: cum vero adoleuerint ob siccitatem ægre concoquuntur. Contra humidioribus animalibus carnes, progressu tēporis consumpta humiditate superflua, aptiores & ad concoquendum & ad nutriendum fiunt. Quod Galenus etiam lib. 3. de aliment. facult. cap. 1. in hunc scribens modum innuere voluit: Iis, inquit, animalibus quæ natura temperamento sunt sicciore, adolescens ætas ad mediocritatem ipsam confert: humidiorum vero natura quod sibi ad probam ac conuenientem tem-

periem deest, id ab ætate florenti adsumit. Non modo itaque vituli, carnes habent ad conficiendum perfectis bobus præstantiores, sed etiā hœdi capris: velut contra verueces anniculi agnis lactentibus, & porci anniculi vel bimi porculis paruis. Hinc non temere ab Auicenna 3.1.doct.2. cap.7. dictum est: Oportet vt cibus nimirum sanitati conueniens, sit, qualis caro est, præcipue hœdorum, vitulorum lactentium, & agnorum anniculorum, &c.

Ex quibus omnibus sequitur tandem, carnes hircorum, caprarum, arietum, ouium, boum atq; verrium antiquorum non vndequaque laudabilis esse alimēti. Carnes verò vitulorum iuuenū, agnorum anniculorum, & maialium anniculorum vel bimorum, valetudini tuendæ esse accōmodatissimas. Hoc quoque ignorandum non est quod carnes naturali temperamento sicciores sint elixandæ, quo nimirum ab aquæ humiditate contemperentur: (elixatio enim siccitatem temperat) humidiores vero assandæ, nempe vt earum humiditate ab ignis calore attenuata nonnihil atque imminuta, mediocritatem consequantur. Assatio enim ex Galeni sententia humiditatem moderatur. Quo fit vt carnes leporum, cuniculorum, ceruorum, boum, & capreolorum elixę, porcellorum verò ac veruecum assæ sint præferendæ. Eadem etiam ratione in ætatibus, temperaturis, atque anni constitutionibns humidis, sicciores & assæ carnes magis conueniunt: in siccioribus verò humidæ atq; elixæ.

DE CIBIS BENE NVTRIentibus.

CAPVT VIII.

Oua.

Oua recentia, vina rubentia, pinguia iura,
Cum simila pura, natura sunt valitura.

Tria alimentorum genera exigua mole plurimum

mum nutrientia his versibus comprehenduntur.

Primum, oua recentia: de quibus Galen. lib. 3. de aliment. facult. c. 21. in hūc scribit modum: Oua recentia veteribus plurimum præstant, quippe optima sunt recentissima, vetustissima autem pessima. Quæ verò in horum medio sunt, proportione recessus ab extremis, bonitate aut prauitate inter se differunt. Idem, lib. 1 aphorism. comment. 4. oua inter alimenta pleni victus numerauit. Quam sententiam Auicennam quoq; cùm alijs plerisq; locis, tum maximè 4. 1 ca. 1. his ferè verbis confirmat. Quandoque est nutriens paruæ quantitatis, plurimo reficiens alimento: eius generis sunt potissimum oua, & testes gallinacei, quorum fere nutrimentum cum ipsorum pensatur pondere. Porrò ouorum multæ inter se sunt differētiæ. Et prima quidem penes propriam substantiam. Gallinarum enim, perdicum & phasianorum iuuenum ac pinguium omnibus præstāt, & ad victus salubris rationem accommodatissima sunt: anatum vero, anserum, pauonum, struthiocamelorum, & similium, deteriora habentur. In figura quoque ouorum aliquod bonitatis discrimen est: paruula enim, oblonga & candida reliquis succi probitate excellere creduntur, id quod vulgatis etiā hisce versiculis comprobatur:

Meth. med c. 2.

Ouorū differētia

Regula presbyteri iubet hoc pro lege teneri:
Quod bona sunt oua hac, candida, longa, noua.

Quin ab Horatio quoq; hoc obseruatum esse, etiam Plinius meminit, qui lib. 10. natur. histor. c. 52. ita scriptum reliquit. Quę oblonga sunt oua, gratioris saporis putat Horatius Flaccus. Locus est l. 2. Sermon. Satyr. 4.

Longa quibus facies ouis erit, illa memento,
Vt succi melioris, & vt magis alba rotundis
Ponere.

Can-

Candida præstantiora dixit: atque eius rei vel inde certissimum indicium colligas, quod anatum & anserum oua plus aqueæ naturæ possideant, pallidioraque, & ob id cibo minus idonea sint. Quanquam vero oua per se quidem salubria sunt, corturæ tamen ratione non parum immutantur, adeo vt interdum insalubria fieri possint. Nam quædam diutius coquuntur, alia ad mediocrem vsque consistentiam: alia in aqua eousque duntaxat dum incaluerint, elixantur. Secundum quas differentias alia quidem ἑφθὰ, id est, cocta vocantur, alia τρομητὰ, id est, tremula, alia vero ῥυφητὰ, id est, sorbilia. Tremula itaque, hoc est, quę catenus per coctionem inspissantur, vt in manu tenentis in testa siue putamine suo tremere videantur, omnium sunt præstãtissima, plurimum alimenti & optimi succi corporibus exhibent, facillimeque tum concoquuntur, tum distribuuntur, & sanguinem cordi quam maximè congruentem generant. Quare ijs cum primis qui ex morbo debiles adhuc sese colligunt, senibus & imbecilibus conueniunt, præcipue vero eorum vitelli. Quod Auicenna quoque in lib. de viribus cordis, Tract. 2. ca. 3. vbi ex professo de ouis agit, sic ferme scribens confirmat: Oua tametsi cordis medicina non sint, ad refectionem tamen eius adsciscuntur. Nam ipsum valde corroborant, & potissimum eorum vitelli, dummodo sumantur ex ouis bonę carnis auium, veluti gallinarum, perdicum ac phasianorum. Eiusmodi enim temperatura constant mediocri, cito in sanguinem conuertunrur, & post transmutationem parum superfluitatis relinquunt sanguis autem inde genitus est subtilis ac clarus, cor maxime corroborans: quo fit vt ouorum vitelli in dissolutione substantiæ spiritus, & imminutione ipsius sanguinis vitalis, cæteris alimentis iure præferantur. Sorbilia autem oua tremulis

mulis minus quidem nutriunt, sed facilius subducuntur, & faucium asperitates ex vociferatione, aut ex humorũ acrimonia læuigant. Oua vero immoderatiore coctura penitus densata, quæ Græcis ἕφθα vocari diximus, & ad coquendum sunt difficilia, & tardi transitus, crassiusque alimentum corpori tribuunt. Porro ijsdem ex vario præparationis modo maior adiungitur aut bonitatis aut grauitatis occasio: nam hęc quidam assantur, alia elixantur, nonnulla friguntur, quędam denique in iure coquuntur. Assa igitur elixis crassioris sunt succi, ac difficilioris concoctionis: eorum enim genuina humiditas à foci caliditate depascitur: atque hinc sane eousque assata donec adurantur, ac retrum odorem reddant, venenosam qualitatem induunt, quemadmodũ Marsilius Ficinus in libro de vita cœlitus comparanda capite 22. diligenter admonit. Solent autem bifariam assari: aut enim cum putamine feruentibus cineribus integra obruuntur, aut in testis suis franguntur: quorum hæc quidem deteriora sunt. Illa vero rursus duobus modis parantur: aut enim tota cinere cooperiuntur, aut ex parte nuda ad prunas collocantur. Quæ cinere tota obruuntur, peiora euadunt, quia densata vndique à circumfuso igne extima parte fumorum exhalatio intercipitur. Nuda vero prunis imposita, fumos exhalant depuranturque: elixa assis præstantiora sunt: nam aquæ humiditas, ne foci caliditate exsiccentur, obsistit. Parantur & hæc quoque dupliciter: Vel enim integra caldarijs superne infusa elixantur, vel ex testis fractis in aquam ferme feruidam coniecta coquuntur. Quorum illa quidem, vbi penitus densata fuerint, deteriora habentur: testæ enim quo minus crassities eorum attenuetur ac fumi dissipentur obstant & impediunt: sed si ab igne, cum liquidum adhuc coactum densatumque non sit, auferantur, meliora fiunt. Hæc vero calor penetrat,

netrat, crassitiemque attenuat, & odoris insuauitatem auertit, vnde cæteris omnibus laudabiliora censentur. Longe vero se ipsis suauiora adhuc redderentur, si ad mediocrem consistentiam coctis confestimque à foco summotis aceti nonnihil cum butyro & croci momento commistũ inspergeretur. Quæ verò ἐπὶ των παγώνων, id est, in sartagine spissantur, atque ob id ipsum πεηγνῖσα, id est, frixa nũcupantur, pessimum habent omnibus modis alimentũ, tardeq; transeunt. Nam interim dum in ventriculo concoquuntur, in nidorem ac fumum abeunt, secumq; admistos cibos corrumpunt, & succus inde prognatus non solum crassus, verum etiam prauus atque excrementitius est. Quapropter inter deterrimas earum rerum habentur, quæ concoqui nequeunt. Iis verò nocentiora adhuc fiunt, quæ in vetere & ferrea sartagine friguntur. In iure denique cocta, Isaaco in diætis vniuersalibus teste, locum inter assa ac ea quæ in aquam feruidam coniecta coquũtur, medium obtinent. Porrò quæ πνικτὰ id est, suffocata appellantur, elixis & asis sunt meliora. Ea Galenus ad hũc modum parare docet. Vbi ipsa oleo ac garo & pauco vini conspersa fuerint, vas quo continentur cacabo aquam calidam habenti inditus, deinde vbi ipsum totum superne obturatum fuerit, ignis substruitur, quoad oua mediocrem habeant consistentiam. Quæ enim supra modum fiunt crassa, elixis & assis sunt similia. Quæ verò ad mediocrem crasitiem peruenerunt, & melius, quam dura concoquuntur, & alimentum corpori dant præstantius. In ipsis quoq; ouorum partibus discrimen est. Vitellus namque, sicuti à Rhaze lib. 3. ad Almans. cap. 14. scribitur, in caliditate temperatus existens, optime nutrit. Albumen verò quod frigidum & glutinosum est ægrè concoquitur, & sanguinem prauum generat, eaque

exhi-

exhibendum negant. Vitellus quoq; proprietate quadam ſubſtantiæ facile inflammatur, & in fumos abit, quo fit vt in febribus & ægritudinibus calidioribus non niſi probe alteratus exhiberi debeat. Alteratur autem, ex Ioannis Michaelis Sauonarolę ſententia, ad horas plus minus ſex in aqua frigida infuſus. Simeon Sethi hoc quoque addit, oua proprietate quadam peculiari εὐφυΐαν id eſt, ingenij felicitatem & bonam habitudinem tribuere ijs, qui μυτ νάματος θυγατέρων ταύρου τοῦ τισι μέλιτος, καὶ βουτύρου, hoc eſt, cum textura filiarum tauri, id eſt, & melle & butyro aſſidue eſitauerint. Sed Galenus lib. 5. de ſanit. tuenda ca. 8. de cibis, ex quibus obſtructio incidit, mentionem faciens, ſenes hortatur, vt à multo ouorum eſu abſtineant, quod nimirũ craſſum lentumq; ſuccum creent. Qui vtiq; locus non ſimpliciter de omnibus ouis intelligendus venit, ſed de ijs quæ vel elixa, vel toſta penitus denſata ſunt, item de frixis & veteribus: Leõhartus Fuchſius hunc Galeni locum in Græcis exemplaribus corruptum putat, & pro ὠῶν legendum eſſe ὄων id eſt, ſorborum: ὄα enim καὶ οὖα Græcis, Galeno lib. 8. de ſimplic. medicam facult. c. 13 teſte, ſorba ſunt: quæ certe vt idem tradit, adſtringentem atq; adeo obſtruentẽ facultatem obtinent. Leontius apud Conſtantinũ Cæſarem lib. 14 de agricultura, ca. 27. etiam modum tradit, quo oua diu à corruptela ſeruari poſſint. Oua ipſa, inquiens, ſeruabis, hyeme quidem in paleis, æſtate in furfuribus. Alij aqua abluta oua ſale tenui intingunt, & ſic conſeruant. Quidam ad tres aut quatuor horas in muriam tepidam mergũt, deinde extracta in furfures aut paleas deponunt. Attamen ei quod in muriam aut ſalem impoſitum eſt, pars aliqua decedet. Cæterum plenum ouum, aut non plenum, cognoſces ex immiſſu in aquam: defectuoſum enim innatabit,

Alexãd. Trall. l. 8 c. 1.

 tabit,

tabit, plenum deorsum demergetur. Eadem etiã à Columella de re Rustica lib. 8. c. 6. & à Plinio li. 10 c. 54. & 61. prodita sunt. De ouis plura Gal. lib. 3. de alim. facult. cap. 21. & in lib. de cibis boni & mali succi, ca. 7. Paulus li. 1. ca. 83. & Ætius lib. 2. cap. 132.

Secundum, Vina rubentia: vbi ante omnia sciẽdum, vinum quidem ex eorum esse numero, quæ nostrum corpus alunt. Nam si modo quicquid alit, alimentum est, vinum etiam in genere alimentorum est ponendum. Verum permagna eius secundum colorem differentia est. Nam hæc quidem alba sunt, alia rubra & clara, nonnulla rufa, siue, vt vulgo dicuntur, citrina: quædam vero nigra: alia rursus medium inter hæc obtinent. Ex quibus omnibus alba cæteris tum imbecilliora ac minus calida habentur, tum minoris etiã alimenti: non ergo ab re capiti neruisq; innoxia sunt, vrinam cient, & meatus aperiunt. Quod debiliora sint, manifestissimum omnibus sit ex ijs, quæ Galenus com. 1. in tertium librum Hippocratis de victus ratione in morbis acutis scribit, inquiens: Vinum potens vehementer celeriterq; corpus calefacit, caputque ferit: imbecillum cõtrario agit modo. Cũ igitur minus & calefaciat, & caput tentet, necessario etiam imbecillius erit. Quod deinde minus calefaciant, idem com. in 6. citatum Hippoc. lib. clarissime ostendit. Nempe, inquit, ex vinis albis nullum valenter calefacere potest. Quod enim summe calidum est, id continuo & flauum existit, veluti & quod ab ipso est fuluum: mox ab his rubrum & deinde dulce. Album autem minus quidẽ his omnibus calefacit. Quod verum vtiq; experiẽtia comprobabit, si vina eiusdem inter se territorij comparentur. Nam inter vina rubra & rufa Gallica, nonnulla albis quibusdam alibi natis longe & potentia & caliditate inferiora reperias. Quare eiusdem territorij vina inter se conferenda sunt. Quod vero

rò vina alba minus quam reliqua alant, declarat ipsorum natura: præterea Galenus comment. 11. libro secundo aphoris. id ipsum in eum scribens modum confirmat: Vina aquosa (sic autem nominant alba & tenuia) sicut æquæ similem formam habent, ita etiam vini: quare vrinam cient, & minimum nutriunt. Idem comment. 18. eiusdem libri. Vina, inquit, aquosa exiguum præbent corpori alimentum. Sunt autem hæc colore quidem alba, tenuia vero substantia. Item in libro de cibis boni & mali succi, cap. 1. de eijsdem ita scriptum reliquit: Vina quæ aquosa tenuique substantia sunt, vrinam mouent, & paucissimi sunt nutrimenti. Quod minus etiam caput feriant, Galenus libro 5. de loc. affect. ca. 5. ijs ostendit verbis: Vinum album atque modice astringens vt ventriculum robustum efficit, ita haudquaquam tentat caput, id quod facere solent ea quæ vehementes vires obtinent. Auicenna quoq; 3. 1. doct. 2. cap. 8. in hunc prope modum scribens idem confirmat: Vinum album & tenue calorificis præstat, non enim capitis dolorem efficit, sed eundem potius, vbi forte ex stomachi ardore initium duxerit, humectando leuat. Cur autem cæteris caput minus feriant, eius rei causa alia est, quam quod minus fument, euaporentque. Quod denique meatus aperiant, vrinamq; moueant, Hippocrates li. 3. de victus ratione in morb. acut. aphoris. 6. his verbis diserte significauit: Ad vesicam alio vino magis penetrat, vrinasq; prouocat, & perpetuo perrumpit: adq; multa ad opem his morbis ferendum facit. Rationem eius rei tradit Galenus lib. 7. Methodi medendi, cap. 6. in eum scribens modum. Vina aquosa vires organorum adaugent, & expellendis excrementis viam faciunt. Eoq; fit, vt etiam talia vina præter cætera vrinas moueant, quando & ipsa totum corpus celeriter transeunt, & impetu cursus sui excre-

menta secum expellunt. Celeriter certe transeũt, tum quia tenuia & tepida sunt, tum quia adstringunt. Tenuitate enim & tepiditate prompte mobilia fiunt, adstrictio autem ipsa magis impellit. Ex quibus iam illud quoq; elicitur, nempe alba & tenuia vina tuto exhiberi corporibus intemperie vel naturali, vel quoquomodo aduentitia biliosis: Æque verò & studiosis, & quibuscunque caput vel naturæ ipsius habitu, vel ab alia quapiam extrinsecus obrepente causa, imbecillius existit: pari modo & ijs qui calidam & humidam cerebri temperaturam obtinent: quippe vina potentia ita adfectis aduersissima sunt. Cumulatim enim, quemadmodum loco iam citato Auicenna ostendit, caput humoribus vaporibusque & caliditate replent, valideque cerebrum perturbant, & maturius ebrietatem inducunt. Quod si tamen res cogat aliquando eis vti, copiosiore prius aqua diluenda sunt. Iam verò & calidiorem ventriculi atque heparis temperaturam habentibus, nimioque æstu & ardore fameque aut mœrore vexatis, atque item in anni tempore regione tempestateque calida, vina debiliora magis conferunt, vt in quibus calida vina eos qui refrigerandi sunt, impensius calefaciant, capitisque dolores & febres facile inferant, neruosque lædant.

Vina verò rubra & clara, cuiusmodi Bellouacensia cum primis habẽtur, cæteris calidiora sũt. Quod breuissime Galenus com. 6. in 3. Hippocrat. lib. de vict. rat. in morb. acut. ijs verbis significauit. Vinum quod summe calidum est, id continuo & flauum existit. Eadem cæteris quoque valentius alere, idem comme. 11. lib. 2. aph. ita scribens attestatur: Quæ crassa sunt & colore rubea, plus alimenti habent, quam reliqua vina, inest autem eis & citissime implere corpora euacuata, & ob hoc indigentia adiectione. Quod ita sane intelligendum venit, vt vina rubea ea de causa firmius alere dicantur, quod ex ipsis plus in mẽ-
bro-

brorum ſubſtantiam conuertatur. Hac ratione & nigra cæteris præferri poſſunt, quod & ipſa nimirum non mediocre, neque diſſipatu facile alimentum corpori tribuant. Atque hinc certe non temere à Galeno commentar. 18. lib. 2. aphor. ita ſcriptum eſt: Craſſa & fulua multo quidem magis corpus alunt, ſed tantum vincuntur à nigris in nutriendo plurimum , quantum ſuperant in præſtando aceruatum & velox alimentum. Eodem plane modo & illa intelligenda, quæ ab Iſaaco in diætis particularibus ſcribuntur, vbi vinũ nigrum plenioris alimenti quam rubrum eſſe contendit. Cæterum vina quidem hæc colore rubea, vt vrinam leuius quam alba cient, ita maiorem capiti noxam adferunt Animalis enim facultas promptius quam naturalis aut vitalis calido offenditur: quia calidum caput prompte ferit, ac ſpiritum animalem diſijcit. Spiritus enim hic ſubtilis, ac vt ab omni excellente ca o diſcutiatur idoneus eſt: quo fit vt eiuſmodi vina debile cerebrum habentibus exibenda non ſint, niſi diluta & exigua plane copia. Ab ijs vero quibus bona cerebri habitudine ac firma ſanitate frui datum eſt, tutius ebibuntur: Firma namque cerebri conſtitutio, vt eleuatis ad ſeſe vaporibus ſtrenue obſiſtit, ita ab ijſdem etiam minus offenditur Vbi hoc quoque ignorandum non eſt, nẽpe acui ingenia in eiuſmodi hominibus: Nam ſi vino bono ac potente moderate vtantur, longe ſeipſis & ad excogitandum acutiores, & ad explicandum ornandumque vberiores, & ad memoriam denique firmiores atque diuturniores euadunt: Spiritus enim tenues, clari & puri ex bono vino potius, quam quouis alio potu generantur. Hæc vtiliter ijs quoque dantur, qui Calefaciendi ſunt, vt pote cum pituitoſis frigidiſque temperamentis crudique humoris copia refertis, tum ijs qui frigidis in locis ocioſius viuunt. Dantur quoque in hyeme , frigidaque & humida tempeſta-

te. His enim omnibus, ideò quod frigiditatē corrigant, & obstructiones tollant, accōmodatissima sunt, genuinum calorem refocillant, vnde cōcoctio melior & sanguis probus euadit, cibum per omnia corporis membra, vt quæ facile penetrēt, deducunt. Quamobrem ex morbo emaceratos reficiunt, corporaque ipsorum augent. Etenim cibi cupiditatem faciunt, pituitam extenuant, & in sanguinem commutant, bonum colorem conciliant, animo lætitiam, voluptatemq; pariunt, & robur adijciunt. Harum itaque commoditatum moderata vini portio, immoderata verò contrariorum occasionem præbet.

Vina vero rufa siue citrina minus quidem quā rubea & clara, excellentius tamen quam alba, tū calefaciunt, tum nutriunt: quo fit vt caput etiam quam alba magis offendant, quemadmodum fusius comment. 1. & 6. in 3. Hippocrat. lib. de vict. ratio. in morb. acut. Galenus monstrauit. Hæc etiam alba à quibusdam vocari solent. hinc est quod quidam dicunt, vina alba cito plurimum calefacere.

Vina verò nigra minus quam rufa calefaciunt, vnde minus etiam caput feriunt, sed cum tardius per aluum quam alba transeant, vrinamque leuius moueant, vehemētius etiam quam alba caput tentent. Et hæc ipsa plenius quidem quam alba & rufa, minus verò quam rubea nutriunt, vt copiosius locis paulò ante citatis Galenus ostendit.

Iura è carnib. Gal. l. 2. de alim. fac. c. 17.

Tertium, pinguia iura, hoc est, sorbilia ex iusculis carnium, & præcipuè pullorum confecta ζωμοί, ἢ ζωμίδια Græcis, Brodia verò vulgo appellantur. Quæ sane cum naturæ amica sint, citius tum concoquuntur, tum per ventrem subeunt: nam quæcunq; cum voluptate assumuntur, ista ventriculus auidius complectitur, faciliusq; concoquit: plurimū corporibus exhibent alimētū, & bonum sanguinem producunt, idq; excelenti-

lentius adhuc, si cum similaceo pane preparētur. Simila .n. vel similago, id est, subtilissima ac purissima delicatissimi tritici farina, σεμίδαλις à Græcis dicta, copiosum & laudabile corporibus alimentum præstat, vt testis est Rhazes lib. 3. ad Almans. c. 3. Tria hæc alimentorũ genera, quæ exigua mole plurimum nutrire ostendimus, Auicenna quoq; 2. 1. doct. 2. Sum. 1. c. 15. breuiter, his fere verbis complexus est. Cibus subtilis, boni succi, & plurimi alimenti est, exempli gratia, vt ius carnium, vinum, & oua, eaque tum sorbilia, tum tremula. Talia enim exigua mole plurimũ nutriunt, quia maxima substantiæ ipsorum portio in alimentum transit, vnde sequitur tandem & robur insigne conciliare ijs, qui ipsis sępius vsi fuerint.

DE CIBIS BENE NVTRIENTIBVS & impinguantibus.

CAPVT IX.

Nutrit triticum & impinguat, lac, caseus infans,
Testiculi porcina caro, cerebella, medulla,
Dulcia vina, cibus gustis iucundior, oua
Sorbilia, & ficus matura, vuæq; recentes.

Duodecim alimentorum genera plurimum nutrientia, & impinguantia hoc loco referuntur.

Triticũ. Primum, Triticum, vt panem videlicet triticeum per triticum intelligas. Hic enim Auicennæ 2. Cano. cap. 572. celeriter impinguat, præsertim si ex nouo tritico præparatus fuerit. Porrò quod ad tritici temperamentum attinet, ipsum est primi ordinis calefacientium: non tamen nec resiccare, nec humectare manifesto potest, quemadmodum Galenus lib. 8. cap. 7. de simpl. medic. facult. & post eum Paulus lib. 7. luculenter & perspicue docuerunt. Hinc etiam Rhazes

lib.3.ad Alman.cap.2.ita fere ſcriptum reliquit: Triticum moderato proximum, aut paulo calidius eſt. Præſtantia eius ſumitur, partim quidem à propria ſubſtantia, partim verò à præparationis modo. Quod quidem ad ſubſtantiam attinet, eſt & in tritico non parua ſpeciatim differentia, quippe quod graue eſt ac denſum, & in profundo flauum, copioſiſſimi id alimenti eſt, rarum craſſique ſucci ac lenti: contra quod leue eſt & ratum & album, minus nutrit, ſuccumque gignit craſſum minus ac lentum. Atque eius rei locupletiſſimus idemque grauiſſimus teſtis eſt Galen. qui lib.1. de alim. facult. cap.9. ita ſcribit. Inter tritica plurimum habent alimenti quæ denſa ſunt, totamque ſubſtantiam habent adeo compactam, vt dentibus vix diuidi queant. Talia enim exigua mole corpora plurimum nutriunt: quæ vero iis ſunt contraria, quæque dentibus quidem facile franguntur, fractaque rara ac laxa apparent, magna mole exiguum reddunt alimentum. Quod ſi vtrorumque parem modum pendere libuerit, quæ denſa ſunt, multo grauiora eſſe comperies. Hæc autem ſunt colore etiam laxis flauiora. Explorare autem horum naturam non ſimpliciter oportet, ſuperficiem externam duntaxat contemplando, ſed diuidendo quoque, vt diximus, ac frangendo: multa enim quæ extrinſecus flaua ac denſa fuerunt viſa, rara intus ac laxa albaque apparuerunt. Hæc ille. E quibus ſane verbis illud etiam ſequitur, nempe panem ex denſo, graui ac flauo tritico confectum, omnium eſſe tum præſtantiſsimum tum maximi alimenti, adeoque magis etiam victus ſalubris rationi conuenire, quam qui ex quibuslibet aliis granis cõfectus ſit. Panem autem, qui ex nigro atq; inueterato tritico præparatur, nemo affatim circa ſanitatis diſpendium mandet. Quod ſi quis ei non aſſueuerit, etiamſi minimum ſumpſerit, ægrotabit. Eſt enim iniucundus, grauis, concoctu diffi-

cilis & mali ſucci. Contra verò qui ex electo tritico conficitur, non modo ad concoquendum eſt facilis, ſed hominum etiam corporibus eſt ſaluberrimus, vt qui ſanguinem medium cõſiſtentia generet. Medium autem Galenus lib. 3. de alim. facul. cap. 27. vocat, qui neque admodum tenuis eſt, neque aquoſus, neque vehemẽter craſſus. Verum hactenus de tritici ſecundum ſubſtantiam electionem hæc dixiſſe huic ſermoni, in quo præſtantiam inquirere inſtituimus, ſatis ſit: nũc reliquum eſt, vt de præparatione nonnihil etiã dicatur. Sciendum igitur quod omnia quę ex farina tritici friguntur, craſſi ſunt ſucci, & tarde trãſeũt, iecoriſq; meatus, per quos fertur alimẽtum, obſtruunt, lienis imbecillitatem augent, calculos deniq; in renibus gignunt. Quod ſi tamen cocta belle fuerint, atq; in ſanguinem mutata, admodum nutrient. Triticum verò elixum, graue & cõcoctu difficile eſt edulium, & inflationes creat, vires tamen habet magnas, ſi ſic ſumptum concoquatur, nutritque valide corpus, ac robur inſigne ijs qui ipſo vſi fuerint, conciliat, vt lib. 1. c. 14. de alim. facul & in libr. de attenuante diæta cap. 5. teſtatur Galenus. Concoctu autem inter panes ſuut faciliimi, qui plurimum ſunt fermentati & pulcherrime ſubacti, quiq; in clibando igne moderato fuerunt aſſati. Nam ignis ardẽtior primò ſtatim occurſu ſuperficiem externã circumurens in teſtæ modum indurat, acciditque duplici nomine prauum panem fieri: priore quidem, quod partem internam habeat crudam atque illaboratam: poſteriore vero, quod externam ſiccam habeat præaſſatam ac teſtaceam. Porrò ignis moderate remiſſior panem minus belle elaborat, ſed ipſum crudiorem relinquit, & maximè partẽ omnẽ eius internam. Qui autem in igne moderato largiore ſpacio per totos ſeipſos æquabiliter aſſati fuerint, ij tũ belliſſime in ventriculo cõcoquentur, tum ad cæteras actiones quæ coctionem

consequuntur, erunt accommodatissimi. Pessimi autem panes ij sunt habendi, quibus nihil memoratorum ante, adest. Plura Galenus lib. 1. de aliment. facult. cap. 9. & infra cap. 24. huius opusculi.

Secundum, Lac: quod de eo lactis genere cum primis intelligendũ videtur, quod ὀξύγαλα Græci. Arabes Adoc, vel Adhoc vel Adech. Barbari verò Balbucam nominant, id est, lac acidũ ebutyratum. Hoc enim cum pane calido siue recenti sumptitatum corpora maximè impinguat. Verũ cum frigidum sit ac crassi succi, non simpliciter omnibus, sed ijs solis qui id probe concoquant, exhibendum est. A ventriculo enim qui quauis de causa frigidior est, minus belle conficitur: à temperato vero, quamuis ægre conficitur tamen aliquantum. Contra ventriculi iusto calidiores, siue ab initio tales fuerint, siue à quapiam causa postea in eam temperiem sint adducti, præterquã quod nihil ab huiuscemodi edulijs læduntur, cõmodo etiam aliquo fruuntur. Sed de hoc copiosius Gal. lib. 3. de aliment. facul. cap. 1. Intelligi etiam de lacte caprino potest, de quo cap. 7. abunde diximus.

Caseus recens. Tertium, Caseus infans, siue recens: de quo Dioscorides li. 2. c. 61. ita scriptum reliquit: Caseus recens sine sale sumptus alit, stomacho vtilis est, & facile in membra diuiditur, corpus auget, aluũ modice emollit: alius tamen alio præstãtior, pro natura lactis è quo conficitur. Eadem ferè tradit & Auicen. 2. Cano. c. 126. Etsi verò caseus iam dictus abundanter alit, & corpus impinguat, nihilominus tamen & ipsius esum consequuntur nocumenta illa, quæ ca. 7. recẽsuimus. Quare ad secundæ valetudinis vsus inutilis habetur.

Testiculi. Quartum, Testiculi: quod primo quidem de gallorum saginatorum testiculis intelligendum est. De illis enim Gal. lib. 3. de alim. facult. cap. 5. in eum scribit modum: Gallorum gallinaceorum

alti,

altilium testes & suauissimi sūt, & laudabile corpori præbent alimentum. Et iterum vbi sup. cap. 6. Soligallorum gallinaceorum testes vndiquaq; sunt præstantissimi, & potissimum eorum qui saginati fuerint. Et multo clarius adhuc c. 20. eiusdem lib. Gallorum, inquit, gallinaceorum testes sunt præstantissimi, præcipuè altilium, & multo magis, si cibus, quo sunt nutriti, seroso lacte fuerit imbutus: nam & boni sunt succi, & valide nutriunt, & ad coquendum sunt facillimi. Quin etiam Auicenna testimonio 2. Cano. capite 719. eadem confirmantur. Exigua præterea mole, eodē Auicenna 4. 1. capit. 1. teste, plurimum nutriunt. Deindevero intelligendum etiam de testibus suum iuuenum mediocriter pinguium, qui nondum coierunt. Nam quanto suum caro alijs est, præstantior, tanto horum quoque testes aliorum animantium testibus sunt meliores, quemadmodum diserte admodum Galenus lib. 3. cap. 6. de alim. facult demonstrauit. Illud quoq; hoc loco ignorandum non est, nempe adultiorum animalium testiculos, in quibus semen iam fermentatum est, ad coquendum esse difficiles, ac virosi maliq; succi: iuniorum vero, quæ nondum coierunt, & in quibus semen nondum fermentatum est, præstantiores esse, & laudabile corpori tribuere alimentum, si belle conficiantur: alios tamen magis, alios minus, pro ea proportione, quam in carne inesse diximus.

Quintum, porcina caro: de cuius præstantia & effectu satis superq; diximus cap. 7. *Caro porcina. Cerebrum.*

Sextum, Cerebrum: de quo copiosè admodum Galenus lib. 3. de alim. facult. cap. 7. in eum scribit modum: Cerebrum omne cibus est pituitosior, crassiq; succi, & tarde permeans, ac ad coquendum difficilis. Non minimum etiam cerebrum omne stomacho nocet. Quidam autem ipsius mollitie decepti ipsum ægrotis exhibent, cum præter alia nauseam etiam concitet. Quini-

mo cum cuipiam à cibo vomitum mouere vis, huius partem pinguiter cōditam postremis epulis edendam exhibe. Illis verò caue exhibeas, qui cibū non appetunt, quos veteres ἀποσίτους appellabāt. Meritò igitur nemo cerebrum ab alijs epulis mādit, cū omnes ipsa experientia edocti sciant, ipsum nauseam excitare. Iure etiā pleriq; cum origano mandunt, vti nōnulli cum sale varijs modis apparato: quippe cum crassi sit succi & excrementitium, omnino fit accommodatius, quando cum incidentibus & calefacientibus fuerit paratum. Si tamen recte conficiatur, alimentum corpori præstabit non contemnendum. Hæc ille. Sunt etiam qui cerebrum, prius quam mandatur, super craticulam probe inassandum esse moneant, quod scilicet eius immoderatio per ignis caliditatē magna ex parte corrigatur ac tēperetur. Rhazes lib. 3. ad Almanso. cap. 11. hoc etiam adiungit, nempe cerebrum calidæ quidem temperaturæ hominibus in cibo esse vtile, frigidioribus verò, quique vitam frigidis passionibus obnoxiam degant, aduersissimum. Neque id quidem temere. Quippe similibus (vt testis est Galenus, cum alibi sæpius, tum præcipue libro 1. de sanitate tuenda, capite 10.) quilibet excessus ab escis contrarijs emendatur ac minuitur. Vt autē summatim de cerebro perstringam, ad victus salubris rationem parum accommodum est: quare ex interuallo potius ac parce, quam assidue atque affluenter eo vescentur qui sanitatis tuendæ curam susceperint. Quorundam tamen animalium cerebrum ceu medicamentum valet. Sic cerebrum capreoli aduersus venena & virulentarum bestiarum morsus remedio est. Terrestris leporis inassatum cerebrum manditur iuuandis tremoribus, qui valetudine contracti sunt, affrictu aut cibo facilem infantibus dentitionem præstat. Quidam etiam aduersus metum vtiliter edi prodiderunt. Cerebrum pulli & ca-

caponis in vino bibendum datur contra serpentum morsus, sanguinem à cerebri mēbrana profluentem sistit, & in cibo cerebri substātiam auget, vnde & his qui tardiori leuiorique ingenio ac mente sunt, prodesse dicitur. Quod ad electionem attinet, animalia volucria exiguum quidem habent cerebrū, sed ipsum tamen tanto pedestriū cerebro est præstantius, quanto & siccius: volucrium autem ipsorū, montana cerebrum habēt quā palustria præstantius, pro aliarum omnium partiū proportione. Porrò ex pedestribus animalibus Auicenna agninum præfert, post hoc vero vitulinum præcipue com. 2. Cano. c. 128.

Septimum, Medulla: de qua Gal. lib. 3. de alim. facult. ca. 8. hæc prodidit. Medulla inquit, quæ in ossibus inuenitur, cerebro est dulcior, iucundior ac pinguior, adeo vt si ea inter se comparando gustes, putaturus sis cerebrum austerum etiam aliquid in se habere. Porro medulla nauseam prouocat si liberalius sumatur, quemadmodum & cerebrum: nutrit tamen & ipsa si probe conficiatur. Auicenna cum seminibus & pipere condit. 2. Cano. c. 492. Quod delicati quidam lurcones & artis obsonatricis periti faciunt cydonijs & passulis. Laudatissima est ceruina, mox vitulina, post hanc taurina, deinde caprina & ouilla. Dioscor. li. 2. ca. 66. *Medulla ossium.*

Octauum, Dulcia vina: de quibus infra capite vndecimo.

Nouum, Cibus gustu iucundior: talis enim nō exiguum corpori tribuit alimentum, quemadmodum Hippocrates etiam libro. 2. aphoris. 38. monet, vbi sic scriptum reliquit: Paulo deterior & potus & cibus, verum iucundior, melioribus quidem, sed iniucundioribus præferendus est. Quam sententiam ipse exponens Galenus, Quæcunque, inquit, cum voluptate assumuntur, ista ventriculus arctius amplexatur, & facilius concoquit. Refugere autem consueuit ea quæ iniu-

cunda & insuauia sunt, vt pote quæ vel nauseas, vel inflationes, vel fluctuationes pariant: quod quidem in plurimis etiam ijs qui boni sunt succi, cibis accidit. Quando verò paulò fuerit deterior, tunc in ijs qui libenter hunc assumunt, non modo non etiam deterior, sed quandoq; melior redditur.

Decimum, Oua sorbilia: quæ sane præcedenti capite parua mole plurimum alere ostendimus.

Oua sorbilia.
Ficus.

Vndecimum, Maturæ Ficus, de quibus Simeon Sethi hæc tradit: Ficus admodum nutriunt, carnem tamen non compactam, neq; firmam generant, ceu panis & suilla, sed sublaxam ac subinanem, vt fabæ: ventrem flatibus implent, nisi probe concoquantur: minus vero cæteris odoris sunt mali succi, & ventrem proritant, & facile exeunt: Effatu verò dignam abstergendi facultatem obtinent, quo fit vt post ipsarum esum nephritici multas arenas excernant. Maturæ ficus nihil propemodum omnino lædunt, proximeque ad caricas accedunt, multaq; cum illis vtilia habēt. Si quis tamen largius esitauerit, in vna re ab eis offendetur: quandoquidem sanguinem non admodum probum gignunt: quo fit vt ex ipsarum vsu pediculorum multitudo proueniat. Oportet autem post vsum ficuum alimentum quod incidat & extenuet, ingerere. Ad hæc fici pulmonem & thoracem iuuant. Aiunt insuper contra venenosa facultatem habere, si quis singulis diebus ieiunus ijs vtatur. Cariex pectus iuuant, & ad tusses faciunt, vrinam cient satisque nutriunt, corporis etiam bonam habitudinem efficiunt. Ante cibum sumptę ventrē irritant, sed nisi celerius ventrem pertranseant, non bonum sanguinē gignunt. Quapropter si ad satietatem vsque crebro edantur, scabiem & pruritum excitant. Cibus autem bonus est, & aduersus venena remedium, si cum nucibus aut amygdalis comedantur. Re-

nes

nes expurgant, & iecoris lienisque obstructiones auferunt: verum calefaciunt, & sitim inferunt, & flauam in calidioribus temperamentis bilem procreant. Addit Galenus, iecori lieniq; inflammatione obsessis esse noxias, quemadmodum & ficus, non peculiari quadam & eximia facultate; sed communi ratione dulcium omnium ciborum ac potuum, obstructis autem illis, aut σκίῤῥα affectis, ipsas ex sese nil commodare, nec officere, sed medicamentis incidentibus ac extenuantibus & abstergentibus mistas non mediocriter iuuare. Proinde nonnulli Medicorum in dictis lienis ac hepatis affectibus exhibent ipsas longe ante cibum cum thymo, aut pipere, aut zinzibere, aut pulegio, aut satureia, aut calamintha, aut origano, aut hyssopo. Ad eundem autem modum sicaricæ cum alio quopiam eorum quæ facultatem habeant acrem, aut omnino incidendi ac extenuandi assumantur, iuuabunt non solum sic affectos, sed etiam sanos. Siquidem iecoris meatus, per quos fertur alimẽtum apertos esse non ægrotis modo, sed sanis etiam est tutissimum. Ad eum igitur modum vulgo ficubus cum attenuantibus, sale, aceto & garo præparatis vescuntur, quod ipsas vtiles esse experientia didicerint. Plura Dioscorides lib. 1. capite 142. Galenus l. 2. de alim. facult. c. 8. Paulus lib. 1. c. 81. & Aetius lib. 1.

Duodecimum, Vuæ recentes, id est, dulces & maturæ. Nam ficus & vuæ, quemadmodum inter fructus autumnales principatum obtinẽt, ita fugacibus omnibus magis nutriunt, minimumque parui succi habent, præsertim cum exactam maturitatem fuerint adeptæ. Porro quod ipsę nutriãt, maximo argumento sunt ij qui vinearum fructũ custodiunt, qui cum duos menses solis vuis ac ficubus, quarum custodiæ præsunt, vescantur (nisi forte panis quippiam cum illis addant) corpulenti tamen admodum fiunt. At caro quæ ex ipsis gigni-

gignitur, haudquaquam est firma ac densa, quẽadmodum ea, quæ ex carnibus fit, sed laxa est ac præhumida: ob id celeriter etiam cum vesci ipsis desiderint, constringitur ac considit. Verũ vuæ minus alunt quam ficus, maximumq; id ipsis inest commodum, quod velociter subeant. Quocirca si quando hæserint, grauiter lædunt: neque enim retentę belle concoquuntur, & dum in iecur ac venas distribuuntur, succum crudum generãt, qui non facile in probum sanguinem mutatur. Vinaceorum siue nucleorum substantia sicca est, & quodammodo adstringens, omniaque intestina peruadit, nihil quod sensu deprehendi queat à sese mutata. Vuæ verò tantisper à collectione, dum membrana extrinsecus ambiens detumuerit, pensiles aëri expositæ neq; sistunt ventrem, neque proritant, minusque flatibus implent: cæteris autem facilius concoquuntur, & melius nutriunt. Non parua autem est inter vuas differentia, quod aliæ sint dulces, aliæ acidæ, alię austerę, aliæ denique nullam vehementem habeant qualitatem: vocant autem ipsas vinosas. Cæterũ quæ dulces sunt, succum habent calidiorem, & ob id sunt sitibundæ: austeræ vero & acidę frigidiorem: vinosæ autem locum inter calidum ac frigidum medium obtinent. Aluum subducunt dulces, & maximè si sint humidæ. Omnium quidem certe vsus (si quis moderate sumat) est tutissimus, cum natura fuerint carnosæ ac maturæ, siue in Vite summam maturitatem obtinuerint, siue quod maturitati deerat, ex consequenti suspensione sint adeptæ. Vuæ quæ albæ sunt, vehementius aluum turbant & subducunt, magisq; stomachum inflant, quam nigræ. Omnes verò ciborum appetentiam excitant, & Venerem. Conuenit cum eduntur, membranam & nucleos expuere, quod difficulter conficiantur, quemadmodum luculẽter & perspicue docuit Gal. lib. . de aliment. facult. ca. 9. & lib. 1. de locis affect. ca. 4. & post eum

Sime-

Simeon Sethi in Syntagmate de ciborum facult. Cæterum vuæ recentes, è quib. vinacei exempti sunt, celerrime pertranseunt, cibisque alijs præeunt, si in ventriculum purum inciderint, & sumptæ primis epulis fuerint. Quod si sumptæ post alios cibos fuerint, aut etiam prauum succum in ventriculo offenderint, celerrime vna cum alijs cibis corrumpuntur. Idem de alijs quoque fructibus aluum subducentibus intelligendum. Si cui viridibus ac recentibus vuis vesci placuerit, ad horam ferè in aqua feruida vt maceret, ac frigida deinde abluat oportet, prius quam mandere ipsas aggrediatur: quæ enim ita præparantur, innoxiæ fiunt. Vuas quæ subtilem ac tenuem habeant corticem, citius deorsum concedere, minusque ventrem flatibus implere: his vero contrarias contraria operari, Rhazes libro 3. ad Almanf. capite 20. autor est. Vuæ acerbæ atque immaturæ frigidæ & humidæ sunt, ventrem constipant, stomachum corroborant, & caliditatem à flaua bile ortam sedant, sed parum nutriunt. Succus inde expressus, qui Græcis vocatur, ὀμφάκιον, vulgo Italorum & officinis Agresta, bibitur ad recentem sanguinis excreationem, etiãsi rupta parte aliqua contingat: sed pauco & aquatiore est vtendum. Plurimis verò ante diebus inueteratur, cumque stillaritio rosarum liquore decoctus atque exhibitus nauseantibus. & his qui cibaria in ventriculo non retinent, succurrit. In cibo adstringit, biliosa alui profluuio & dysenteriæ proficit. Sunt præter has etiam vuæ siccæ, quæ quod in siccando Solem patiantur & ignem, passæ siue passulæ vocantur: hæ sunt alijs vuis calidiores, stomacho gratiores, valentius alunt, sed minus subducunt aluum, eandemque ferme cum aliis vuis habent rationem, quam caricæ cum ficubus. Multæ enim fiunt dulces: acerbæ autem omnino paucæ, plurimæ vero ex dulci & austera qualitate

sunt

sunt mistæ: quanquam dulces nonnihil quoquè austeræ qualitatis habeant,& austerę dulcedinis. Cæterũ vt dulces temperamento sunt calidiore, ita austeræ frigidiore. Ad hoc austeræ stomachum roborant,& ventrẽ constipant,& his multo magis acerbæ: mediã autem quodamodo inter ipsas constitutionẽ dulces obtinent, vt quæ nec stomachum dissoluant, nec aluum subducãt. Dulcibus tamen vtvis quędam semper inest contemperandi, ita & mediocriter detergendi: quibus duabus facultatibus exiguas mordicationes, quæ os ventriculi infestant, obtundunt. Belle nutriunt exacinatæ, pectus & pulmonẽ iuuant: stomachũ, iecur,& lienem corroborant. Cum nucleis mãducatę conducunt intestinis. Est tamen pręstabilius nucleos expuere, propter duritiem & ferream ipsorum essentiã. Vuæ passæ pingues septem drachmarum pondere per sex dies sumptæ ab ieiunio purgant phlegma,& sanguinem abundare faciũt. Tota substãtia familiares sunt hepati, & vsu crebro consuetæ: nutriunt.n.ipsum & impinguant, sanguini bonum colorem præstant, & humores percoquunt: ob id felicissime exemptis vinaceis miscentur medicamentis hepaticis. Sed si paulo largius sumantur, incendunt & exurunt sanguinem. Præstantiores autem sunt quæ tum pingues sunt, tum corticem habent tenuem, dulcioresq;. Passulæ minus quidem quam caricæ vẽtrem mouent absterguntq;, stomacho tamen magis accõmodantur. Plura Gal.li.2. de alim.facu.c 9.&10. Paulus li.1.c.81. Ætius lib.1. Simeon Sethi in Syntagmate, Rhazes lib.3. ad Almans.c.20. Auicenna 2.Cano.c 737. Auerrhoes 5. Collect.cap.37. Rabbi Moses Tract.3. ad Sultanum Babyloniæ, & Iacobus Syluius lib.1 de medic simpl. nat. Ex quibus sane omnibus satis liquet, quæ de recentibus hoc loco dicuntur vuis ea etiam de passulis esse intelligenda.

DE BONI VINI PROprietatibus.

CAPVT X.

Vina probantur odore, sapore, nitore, colore.
Si bona vina cupis, quinq; hæc laudantur in illis:
Fortia, formosa, & fragrantia frigida frisca.

Quatuor generales boni vini differentias primus versus complectitur : cuique eæ omnes insunt, id ipsum vulgari ioco, nimirum ob colorem, odorem & saporem, Cos appellari solet.

Prima quidem Odor est. Vinum enim instar aromatis vnguentique suaueolens, Constantino Africano libro 5 Theorices cap. 28. teste, alimentum corpori suppeditat non mediocre, succum gignit laudabilem, partes principes facultatum ceu fontes corroborat, facultates animamque exhilarat spiritus quoq; tenues adauget, eosque languidos, tantumq; non exsolutos reficit & recreat: quo fit vt solo etiã olfactu λειποθυμίᾳ languentibus sæpe animum reuocet. Iucundo enim odore, quemadmodum in libro de Alimentis Hippocrates testatur, vires celerrime reficiuntur. Contra quod fœtidum est, natura abominatur. Spiritus namq crassos & melancholicos & malum succum generat, prauamque fumorum qualitatem sursum transmittens capiti dolorem infert. Humain verò siue Ioannitius de Vini differentia, quæ ab odore sumitur, in supplemento comment. 1. Galeni in lib. 3. Hippoc. de vict. rat. in morbis acut. in hunc ferme modum scriptum reliquit: Vinum boni odoris succum quidem gignit laudabilem, sed cum calidiore sit temperamento, subtilioreq; substantia, corpus celeriter calefacit, & caput vaporũ copia infestat. Quod verò non boni odoris existit, sed ferientẽ quandam

dam

dam & insuauem nactum est qualitatē, etsi prauum procreat succum, capiti tamen ob frigiditatem & crassitiem suam minorem noxam suggerit. Quod nullo denique pacto odorem habet, sed est aquæ instar inodorum, hoc ipsum cum insigni crassitudine præditum sit, tantum abest vt caput offendat, vt ei ne vapores quidem aut fumos communicare possit.

Vini sapor. Secunda, Sapor. Quod præcedenti capite de iucundiore cibo diximus, si ad iucundiorem etiam vini saporem transtuleris, nihil erit quod nos de ipso nouū dicere oporteat. Etenim & hoc quoq; cum voluptate assumitur, auidius à ventriculo attrahitur, & melius nutrit. Non ignorandum tamen hoc loco, quod & vini secundum gustandi qualitatem permagna sit diuersitas. Dulcia enim, eodem Constantino teste, plus alijs nutriūt sanguinem crassiorem generāt, ventrem humectant, concoctioni renituntur, & sitim excitant. Pontica siue στιπτικὰ stomachum quidem corroborant, ventrem constipant, & intestinis conueniunt, sed in thoracis pulmonisq; ægritudinibus, in quibus sputum detinetur, inhabilia sūt, neque facile concoquuntur. Acerba quæ etiam διουρητικὰ sunt, hoc est, quemadmodū infra c. 44. ostendetur, vrinam prouocant, crassos humores incidunt atq; dissoluunt, amara minore caliditate participant.

Vini nitor Tertia, Nitor, splendor: qui sane non ipsius modo vini, sed etiam spirituum, qui inde ortum habebunt, subtilitatem arguit.

Vini color Quarta, Color: quod enim ad vini nutrimentum attinet, non parua eius secundum colorem differentia est. Rubicundiora namque (si ipsis cætera omnia ante pariter adfuerint) potentius quam alba nutriunt: atq; ea de causa macris etiam quam alba conuenientiora sunt. Contra verò obesis ac pinguibus alba magis conferunt. Verum

rum de hac vini differentia capite octauo abunde diximus.

Duo sequentes versus quinq; speciales boni vini notas continent. Quarum prima quidem est, vt sit forte: fortitudo verò ex effectu deprehenditur. Vinum enim potens, Galeno commēt. 1. in lib. 3. Hippoc. de vict. rat. in morbis acut. teste, vehementer celeriterq; corpus calefacit, caputq; ferit. idem etiam in comment. 2. in citatum Hippocratis librum, ijs confirmat verbis: Fortia vehementer calefacientia caput humoribus vaporibusque & caliditate replent. Eiusmodi namq; vina præterquam quod non mediocriter corpus alant, spirituum etiam non exiguam copiam generant. Abstinendum tamen ab ipsis, nisi diluta sint, ijs potissimum qui debile cerebrum habent. Cū enim vaporosa admodum sint, facile caput grauant, eaq; occasione cerebrum offendunt.

Secunda, vt sit formosum: Vinum enim formosum siue pulchrum maiore cum voluptate assumitur, probius concoquitur, & facilius in corpus distribuitur, promptiusq; nutrit. *Vinū formosum.*

Tertia, vt sit fragrans. Vinum enim fragrans siue suaueolens & aromaticum, vires maximè roborat, &, vt paulo ante dictum est, spiritus tenues generat. *Vinū fragrans.*

Quarta, vt sit frigidum. Nam vinum actu siue φαντασίᾳ frigidum esse debet, non autem facultate aut potentia. Quod enim ab externo aliquo calido calescit, hoc rarius statim & tenuius penetrantiusque vt omnia subeat, redditur: qua ratione nisi quis ipsū paucissime sumpserit, citius inebriat, neruos debilitat, & caput lædit. *Vinū frigidum.*

Quinta, vt sit friscum siue leue. Tale autem cūprimis censendum, quod effundendo sonum efficit, spumamq; agit in medio tenuē ac facile labilem *Vinū friscum.*

bilem seu euanescentem : vel per cuius susuram modo sursum, modo deorsum discurrentes conspiciũtur ἄτομοι, id est, minutissima quędam corpuscula, qualia in Sole videntur, cum per fenestram radios ac lumen immittit. Nisi enim ita affectum fuerit, pēdulum dicitur, ac multo etiam magis, si penitus sono atque atomis destituatur. Quod vero spumam habet cum magnis ampullis ad scyphi latus diu hærentibus, debile, siue dilutum esse dignoscitur.

DE VINO DVLCI ET Albo.

CAPVT XI.

Corpora plus augent tibi dulcia, candida vina.

Alij sic:

Sunt nutritiua plus dulcia candida vina.

Docent hoc versu candida & dulcia vina, si ipsis cętera quoque adfuerint, quam reliqua maioris esse nutrimēti. Cuius quidem rei causa dulcedini attribuenda est. Nutrimentum enim hominis, vt copiosè admodum lib. 4. de simpl. medic. fac. capite, 14 Galenus monstrat, dulce aut dulci permistum esse oportet. Quippe dulcia cum naturę sanguinis nostri & carnis proximè congruat, non solum ori & palato, verum & alijs plerisque visceribus accepta sunt, adeò vt ab illis auidissime excipiantur. Vngũt enim, implent & restituũt erosas particulas. Atq; ita sane fit, vt vina quoque. quę c. 8. in numero corpus nostrum alētium posuimus, quo dulciora sint, eo magis nutriant. Quod etiam Auic. testimonio confirmatur, qui 3. 1. doct. 2. ca. 8. ita fere scriptum reliquit. vinum quod crassum simul est & dulce, ijs potissimum conuenit, qui corporis robur atq; molem sibi parare student. Idem tract. 1. 2. Cano. cap. 3. causam, cur dulcia plurimũ alant, hanc esse tradit: Nempe quod dulcibus natura delectetur, & quæ visceribus

ribus ineſt trahendi vis, eadem auidiſſime rapiat. Quanquam vero hic verſus de omni vino dulci recte intelligitur, medioere tamen, quod ſummū dulcedinis gradum non attingit, præferendū eſt. Nam quę excellenter dulcia ſunt, quale Appianū eſt, quod Muſcatellum, ſiue Muſcatellinum vulgo dicitur, ſanguinem corrūpūt. Naturalis enim vis hepatis ea ex ventriculo, priuſquem concocta & à ſuperfluitatibus ſecreta ſint, exſugit atq; attrahit: quare ſanguis ſeroſis & crudis expletur humoribus, adeoque vt ebulliat atq; putreſcat idoneus efficitur. Neq; id ſolum de vino, ſed & de omnibus extreme, dulcibus æſtimandum eſt. Adhæc dulcia omnia, quæ ſumuntur immodice, corporibus ad patiendum paratis, triplex noxæ genus important. Quorum primū quidem eſt faſtidium: Dulcia enim caliditate atque humiditate ſua os ventriculi leniunt ac læuigant, illique affectionem inanitioni ac accurugationi, famis cauſæ, contrariā inducunt. Secundū. Velox inflāmatio atq; in flauam bilem conuerſio: ad cuius generationē dulces humores omnes idonei ſunt. Quo fit omniū horū maximè mel bileſcat, quod dulciſsimum ſit: deinde & dulcia vina Hæc cadē & ſitim faciunt tum propter caliditatem, tum craſſitiē, nec conferunt febricantibus neq; bilioſis quemadmodum Galenus comm. 2. in lib. 3. de vict rat. in morb. acut. luculēter & perſpicue, docuit. Tertium hepatis atq; lienis obſtructio. Hæc enim viſcera dulcia vehementer appetunt, eaque ante perfectam concoctionem ad ſe vna cum fæcibus trahunt, & maximè hepar, vnde facilius etiam in obſtructionis periculum adducuntur, craſſa nimirum ſubſtantia, in qua dulcis ſapor fixus ac fundatus eſt, ad hoc cooperante, vt teſtis eſt tract. 1. ſecundi Can. capit. 3. Auicen. Eadem ratione reliquis etiam lotium minus citant ac profundunt. Cęterum aduerſus iam dicta tria incommoda acida cum primis remedio ſunt. Ap-

petcn-

petentiam cum aciditate reuocant, inflammationem frigiditate restringunt, & obstructiones substantiæ subtilitate recludunt. Et licet vina aliaque nutrimenta dulcia hepar atque lienem obstruant, in pulmone tamen contrarium operantur: hunc enim ab obstructione liberant. Nã in descensu per οἰσοφάγον, qui Arabibus Meri appellatur, nihil ad ipsum á dulcib. resudat, nisi subtile: neque sanguis ex rebus dulcibus genitus ad pulmonem penetrat, nisi prius in hepate depuratus atque in corde tenuatus fuerit, quẽadmodum id ipsum Galenus comment. 2. libr. 3. de vict. rat. in morbis acut. clarissime ostendit. Vina item dulcia minus inebriãt. Cuius rei grauissimum habemus testem Hippocratem, qui li. 2. de vict rat. in morb. acut. aphor. 2. in eum scribit modum: Vinum dulce vinoso minus caput grauat, minusq; mentem ferit. Rationem reddit Macrobius libro. 7 capite 7. Saturnal. Ex dictis iã omnibus colligitur, corpori quod vel naturæ ipsius habitu, vel ab alia quapiam extrinsecus obrepente causa extenuatũ est, vinũ dulce cũ primis & crassum ac sufficienter coloratum exhibendũ esse. Hoc enim euidenter nutrit, substantiamq; corporis deperditam restituit, & impinguat. Sed corpori obeso ac pingui vina tenuia, odore & sapore iucunda, sub albida & moderate fortia, magis exvsu sunt. Sitis restinctioni adhibendũ est, vinũ albũ tenue, ac debile. Hoc.n. non refrigerat solum, sed valide etiam humectat, quo fit vt sitim etiam facilius depellat: & quanto sitis vrgẽtior fuerit, tanto illud conuenientius sumitur. Ad spirituum vero & virtutum tum instaurationẽ, tũ roborationem, vinũ subtile, odoratum, sapore gratum, colore moueratum & sufficientis fortitudinis vtilius bibitur, idque cum pauco cibo. Porrò affectus thoracis ac pulmonis, qui diuturni sunt & sine febre, à vinis mediocris substãtiæ & sapore dulci multum iuuantur, & potissimum

mum qui humoris per sputa expectoratione purgantur, quemadmodum copiosius in libro de attenuante diæta capite vltimo Galenus docet. Eadem ad alui subductionem per quam vtilia habentur.

DE VINO RVBRO.

CAPVT XII.

SI vinum rubrum nimium quandoque bibatur,
Venter stipatur, vox limpida turbificatur.

Hic recensentur duo incommoda ex immoderata vini rubri potatione.

Primum, Ventris constipatio: Quod sane de immoderatiore vini rubri styptici, siue pontici assumptione intelligendum est. Hoc enim cum cōstipandi, densandi, & astringendi vim habeat, nō solum ęgre in corpus distribuitur, sed aluum quoque supprimit. *Vinū rubrū nocinum.*

Secundum, Gutturis & faucium exasperatio siue raucitas. Iam enim vina quędam impense rubra siccitate & terrena essentia sua efficiunt. In horum numerum vina quoque rubra Brabantiæ reponenda sunt. Nam & ipsa sane ob siccitatem & terrenam essentiam fauces exasperant, idque potissimum cum adhuc musta sunt, aluum tamē non cohibent. Musta enim admodum rubentia ventris soluendi vim habent, & hoc quidem ex multa terrenæ fæcis admistione. Hæc enim propterea quod nitrosa ac salsa qualitate prędita sit, intestina mordicans & abstergens, alui subductionem molitur. Ab eiusmodi igitur, dum musta, id est, turbida sunt ac feruent, abstinendum est. Ex quo enim mordicant, mordax etiam fumus ab ipsis resoluitur, qui ad cerebrum sublatus oculos acrimonia sua corrodit, atque rube facit. Idē de mustis quoque Brabantiæ, siue ea rubra, siue alba fuerint, æstimandum est. Causa autem cur fumus iste mordicet, ex eo est, quod vinum vn- *Fautium exasperatio.*

de dissoluitur, sit mordicatiuum. Oportet enim similem esse defluxum subiectæ substantiæ, vt comment. 14. lib. 1. aphoris. & com. 2 li. 3. de vict. rat. in morb. acut. Galen. clarissime ostendit. In vniuersum vina crassa, pontica, siue στυπτικα rubra vel nigra opportune ad retentoriæ facultatis ventriculi aliorumque viscerum corroborationem bibuntur: quando nimirum recrementa vel plura iusto, vel ramentosa descendunt, velut in alui profluuio atque dysenteria contingit, sicuti & vina alba austera, & quæcunque alia adstringentia medicamenta in eum vsum & fulua vina prosunt, non tamen simpliciter fulua, sed fulua austera, quemadmodum Hippocrates libro 3. de vict. rat. in morb. acut aphoris. 7. & post eum in suis commentarijs Galenus manifeste docuerunt. Quibus autem venter non facile concoquit, ijs vina subtilia, vel substantia & colore mediocria odorata, sapore iucunda, sufficienter confortia, ac stypticitate quadam participantia conferunt.

DE LETHALIVM VENENORUM remedijs.

CAPVT XIII.

Allia, ruta, pyra, & raphanus, tum Theriaca nux,
Præstant antidotum contra lethale venenum.

Hic sex referuntur ἀντιφάρμακα & remedia contra lethalia venena ac venenatorum morsus.

Primum, Allium: quod cum aduersus omne venenorum genus, tum imprimis aduersus viuenenorum genus, tum imprimis aduersus vitiosæ ac corruptæ aquæ noxas remedio est. Præsumptum enim, quemadmodum id ipsum Dioscorides lib. 2. cap. 138. Plinius libro 20. cap. 6. & Constantinus Cæsar lib. 12. cap. 30. de agricultura clarissime ostēdunt, vires eius, quę per impruden-

dentiam bibitur, inefficaces atque irritas reddit. Auicenna 2. Can. cap. 121. parem facultatem & Cæpæ attribuit: quo fit vt sub Allio hoc quoque comprehendi debeat. Idem 3.1.doct. 5. cap. 7. ceu Theriacen vitiosarum aquarum cæpe commendat, & maxime quidem, si cum aceto sumatur. Nã cæpe cum extenuandi, incidendi, cumque stypticitate quadam abstergendi & non ignauiter aperiendi vires obtineat, caloreque quartum ordinẽ accedat, malas aquas, ne frigiditate ventriculum offendant, temperat, crassasq; vt promptius descendant, extenuat. Acetum vero cum ipso permistum non modo virtutem eius in aquarum, tum extenuatione, tum penetratione auget, sed à suĩ quoque, quam cæpe mouere solet, præseruat. Eadem & allio ratio est: quare post crassarum & turbidarum aquarum potum præcipue commendantur. Eas enim vt cito descendant, extenuat, & ne ventriculo ac intestinis officiant, venasue obstruant, iuuamentum præstat. Allium præterea Auicenna 3.1.doc.5.ca.4. teste, iter facientibus cõtra occurrentis aëris frigiditatem mirifice prodest: qua ex causa per diuersas mundi plagas oberrantibus, varioque potu vtentibus vtilissime præsumitur: id quod Macer. lib. 1. c. 5. hisce etiam versibus innuere voluit:

Allia qui mane ieiuno sumpserit ore,
Hunc ignotarum non lædet potus aquarum,
Nec diuersorum mutatio facta locorum.

Allium quoque contra virulentarum bestiarũ, serpentium & viperarum ictus, & priuatim hæmorrhoi, prodest, ita vt non aliud magis, si cum vino iugiter adsumatur, aut tritum in eodẽ ebibatur. Cõtra rabiosorum morsus & illitu & cibo valet. Venenatis μυγαλῆς, hoc est, muris aranei morsibus efficacissime cum ficulneis frondibus & cymino illinitur. Quin & venenata ani-

malia alij odore fugantur, vt Æmilius Macer loco paulò ante citato his versibus innuit:

Hæc ideo miscere cibis messoribus est mos.
Vt si forte sopor fessos depresserit illos,
Vermibus à nocuis tuti requiescere possint.

Hanc forte ipse ob causam, aut potius quia sint alia addita apud Virgilium,

Thestylis & rapido fessis messoribus æstu.
Allia serpillumque herbas contundit olentes.

Porrò cum fœtor allij ijs qui id non degustarunt, longe grauissimus & molestissimus sit, ei quoque rei, ne qui sumpserunt, alios offendant, remedium aliquod adhibendum est. Menander itaque è Græcis autor est, alium edentibus si radicem betæ in pruna tostam superederint, odorem extingui. Quidam tradunt ipsa grauem halitum non esse factura, si quis ab ipsorum esu crudā fabam insuper mandat. Hierony. Tragus eandem facultatem viridibus etiam Rutæ folijs adsignat Macer. lib. 3. c. 6. Zedoariæ radicem id efficere his verbis tradit:

Allia quem faciunt fœtorem pellit ab ore.

Cape. Cæpe quoque ex Dioscoridis Anazarbei sententia rabiosi canis morsibus cum sale, ruta & melle illitum auxiliatur. Eadem ad verbum habet Auicenna 2. Cano. Cap. 122. Cæpe præterea flatus venenatorum in cibo discutit atque expellit. Et succus, qui ex eius esu plurimus in stomacho gignitur, peculiari quadam proprietate venenatorum noxas frangere à quibusdam creditur. Cęterum silentio illud hoc loco minime prętereundū est, quod Allium, Cæpe ac porrum in cibo non conueniant, neque temperatis, neq; calidis corporibus. Nam præterquam quod paucissimum & prauum dant alimentum, acrem etiam atq; pūgentem sanguinem, maximè si cruda ingerantur generant: humores tamen crassos tenuant, lentosque

tosque incidunt. Denique omnia hæc si cruda edantur, peiores quam cocta succos procreant, ac plus humoris excrementitij continent. Porrũ Simeon Sethi calidum & siccum in secundo facit ordine. Vrinam ciet, & noxium succum creat. Assidue comestum visus hebetudinem & capitis dolorem efficit: stomacho aduersatur. Difficilia inuehit somnia. Neruos, dentes & gingiuas acrimonia sua lædit: & sanguinem nigrum atq; melancholicum generat. Biliosis itaque & melancholicis vitandum est, potissimum si crudum fuerit. Cæpæ ex quarto sunt ordine excalfacientium, earumque essentia crassarum est partium. Si succum exprimas, quod reliquum est admodum terreæ substantiæ est, eiusque calidæ: at succus aqueę aëreæque caliditatis. Si crudæ edantur, humores in stomacho malos, putridos & corruptibiles generant. Difficilia & terribilia inducunt somnia. Largiore cibo capitis dolores cient. In morbis coctæ etiam lethargicos & phreniticos efficiunt, memoriam & rationem, vt aliqui ferunt, lædũt. Si verò cum electę carnis iusculo coquantur, plurimum malignitatis deponunt, appetentiam inuitant, concoctionẽ promouent, & frigidos cibos quibus cum percoquuntur, temperant. Si quis tamẽ crebrius his vtatur, in lienis vita incidit. Tutius igitur est eas raro attingere. Alium, vt Galeno placet, excalefacit quarto excessu, humiditate quidem participat aliqua, sed minore quam cępe inflationes permutat alteratur. Veterem tussim crudum coctumue comestum lenit. Asperas atterias clarificat, & screatum prouocat. Aciem oculorum esu hebetat. Capitis dolorem facit. De eo hoc amplius Galenus lib. 12. method. medend. c. 8. Est, inquit, allium ex eorum ciborum genere, qui & flatum discutiãt, & minime sitim inferãt. Sunt qui, parum id experti, existiment maiorem quam cæpas sitim excitare: sed plane errant: cum non modo nõ maiorem quam cæpæ, sed nec om-

nino sitim faciat. Idem omnium plane edulio-
rum maximè flatum discutit. Itaque ipse certe a-
grestium theriacen id appello. Abstinendum ta-
men, vt paulo ante dictum est, assiduo horũ triũ
vsu, & potissimum cum is qui ipsis vescitur, na-
tura fuerit biliosus. Solis enim qui vel succum
pituitosum, vel crudum & crassum ac lentum a-
ceruarint, cibi eiusmodi sunt accommodati.

Secundum. Ruta: Ejus duo sunt genera: Vnũ sa-
tiuum atque hortense: alterum mõtanum sylue-
streq;. Ruta mõtana syluestrisq; in cibis damna-
tur, quod ex quarto sit ordine excalfacientium &
siccãtium. Satiua vero cum ex tertio sit, in cibos
magis admittitur. Est autem non solum gustu a-
cri, sed & amaro. Ex quo sane etiam digerere at-
que incidere crassos lentosque humores potest.
Ob eam vim & per vrinas euacuas. Quin & tenu-
ium est partium flatusq; extinguit. Quare ad in-
flationes coli, vteri, & recti intestini competit, ac
Veneris appetitũ cohibet, discutit atque exiccat
strenue: est enim eorum ex numero medicamẽ-
torũ, quæ valenter desiccant. Traditur etiã, quod
cruda saleque condita ac comesta visus aciẽ mi-
rum in modum exacuat: ob id antiqui sculptores
& pictores hoc cibo assidue vtebantur. Nonnulli
& succum eius cum succo fœniculi & melle cõ-
miscentes, medicamentum ad oculorum aciem
acuendam conficiunt. Verũ cum acrimonia quæ-
dam oculis infesta succo eius insit, ventilãdo ap-
plicari debet, vt vapor eius tantum, & non sub-
stantia oculos pertingat. Quæcunque autem ruta
& per se pro lethalium medicamentorum anti-
doto valet, folijs tritis & ex vino sumptis: contra
aconitum maximè & ixiam, item fungos, siue in
potu detur, siue in cibo. Valet & contra scorpio-
num ictus, & araneorum, apum, crabronum, ves-
parum aculeos, & cantharidas, ac salamandras,
canisue rabiosi morsus. Acetabuli mẽsura succus,
siue semen è vino bibitur, & folia trita vel cõma-
ducata

ducata imponuntur cum melle & sale, vel cum aceto & pice decocta. Succo vero perunctos, aut eam habentes negãt feriri ab his maleficijs, serpentesque, si vratur ruta, nidorem fugere. Folia per se præsumpta, aut cum nuce iuglãde aridisq; ficis inefficaces venenorum vires reddunt: cõtra serpentes simili modo sumere conuenit. Aristoteles li.9.c.6.de historia animalium trãdit, Mustelam dimicaturam cum serpente rutam comedere Odor enim eius infestus est serpẽtibus. Ruta quoq; cum ficubus & amygdalis dulcibus mane sumpta, à veneno præseruat. In sanctuarijs Mithridatis maximi Regis deuictiCn. Pompeius inuenit in peculiari commentario ipsius manu compositionem antidoti è duabus nucibus siccis item ficis totidẽ, & rutæ folijs viginti simul tritis, addito salis grano: & qui hoc ieiunus sumat, nullum venenum nociturum illo die. Autor est Plin. lib.23. natural. histor c.8. Eadem Gal. quoq; li.2. de antidotis c.43. & lib.2. de aliment. facult. c.28. & in lib. de cibis boni & mali succi, c.14. cõfirmat. De Ruta plura leges apud Dioscoridem li. 3. ca.44. Plinium li.20. cap.13. Galenum lib.8. ca. 49. de simpl. medicament. facult Constantinum Cæsarem l.12. c.25. de agric. & Simeonem Sethi in Syntag. *Aetius l. 13. c. 46.*

Tertium, Pyra: Hæc namque veneni, & præcipuè fungorum malignitatem pellunt abiguntq; *Pyra.* Quod quidem de pyris syluestribus cum primis intelligendum videtur. De eis enim Dioscorides libro 1. capite 129. ita scriptum reliquit: Aiunt fungos, si syluestria pyra cum eis coquantur, innoxios fieri. Et lib.1 cap. 28. de lethalibus medicam. Fructus aut folia pyrastri cum fungis decocta strangulantem illam vim auferunt, esitataq; eisdem auxiliantur. Quod Paulus Ægineta lib.5. c.54. in hunc scribens modum, innuere etiã voluit. Pyra syluestria, aut folia simul incocta, vim strangulandi, quæ fungis inest, tollunt, eademq; *Aetius l. 13. ca. 73.*

in cibo conferunt. Hanc pyrorum contra fungos efficaciam Plinius lib. 23. cap. 7. ponderi & pugnanti succo attribuit. Intelligi præterea potest & de pyris aromaticis, quæ sane cum spiritus fragrantia sua corroborent, veneni etiam noxam pellunt.

Quartum, Raphanus: eius Græci duo faciunt genera satiui & syluestris. Satiuus hodie peculiariter Raphanus minor dicitur: Syluestris Plinio libro 19. capite 5. teste, Latinis Armoracia appellatur. Satiuus excalefacit ordine tertio, desiccat secundo. Syluestris autem in vtroque efficacior est. Quin & semen ipsum planta efficacius est. Satius contra viperarum ictus auxiliatur. His qui fungis strangulantur tam cibo, quam potu salutaris est. Si quis ieiunus ipsos accipiat, securus erit, vt ne à medicamentis lædatur. Succus ipsorū ex aqua acceptus boletis & venenis resistit. Si verò raphani succo quis manus suas probe illinat ac confricet, intrepide & circa periculum reptilia ac serpentes apprehendet. Scorpijs impositi raphani è vestigio ipsos interficiunt, & succus ad hoc magis valere experimento comprobatur. Si quis præsumpto raphano à scorpio percutiatur, non solum non morietur, sed etiam celerem sanitatē adipiscetur. Raphanus autem ob eam etiā causam contra venena valere dicitur, quod vomitiones moueat, quibus stomachus à noxis humoribus expurgetur. Semen quoque venenis & venenatis vermibus aduersatur. Contra cerastæ morsus potum ex vino auxilio est.

Raphanus ipse cum manifesta calefactione attenuandi atque incidendi facultatem habet. Nā qualitas acris in ipso superat: quibus rebus pituitam incidit & absumit. Sanguinem acrem atque pungētem efficit, eoque biliosis nocet. Stomacho aduersatur, ructus ciet, humorem crassum ac lentum, & si virtus concoctrix debilis fuerit, crudū etiam generat. Vomitum cieri per raphanum

sum-

ſumptum ante reliquum cibum, dicit Dioſcorides lib. 2. cap. 101. vt pote qui hoc modo cibum eleuet, & ad euomendum protrudat. A reliquo autem cibo ſumptum, ἀνάδοσιν, hoc eſt, diſtributionem ciborum in corpus iuuare perhibet his verbis: Summo tamen cibo ſumi debet, quod magis eius diſtributionem adiuuet: cum autem præſumitur, cibum ſuſpēdit: quare vomituris cōmodiſsime datur ante cibum. Verum Gal. lib. 2. de alim. facult. cap. 70. ſe mirari ait, tum Medicos, tum idiotas, qui raphanos crudos à cœna εὐπεψίας ἕνεκα, id eſt, bonę concoctionis gratia eduni, Ipſi quidem, inquit, hanc rem experientia ſatis ſibi exploratam eſſe affirmat: qui tamen ipſos ſunt imitati, omnes læſi fuerūt. Sūpti enim poſt cibum, cōcoctionē nō iuuāt, ſed impediunt potius. Subinde enim eructant, ventriculū probe claudi non ſinunt, caput vaporibus replēt, eique grauitatem inducunt. Minus tamen officiunt qui exigua copia à cœna cum ſale & aceto ingeruntur: Inde εὐφυΐαν καὶ τὴν διάνοιαν εὐεπίβολον, id eſt, bonam ingenij habitudinem ac induſtriam homini, mentemque, quæ recte & perſpicue percipiat atque intelligat, efficere tradunt. Dioſcoridi ſenſum etiam aciem excitant: Lienem extenuant, iecinori & lumbrorū doloribus proſunt. Nonnulli quoq; cum oxymelite vomendi gratia propinant, multamque educunt pituitam, & à febre quotidiana ſæpe & quartana liberant. Folia ſi parua copia ſumantur, coctionem adiuuant, & ad appetentiam, quæ collapſa fuerit excitandam accommodata ſunt. Plura de raphano Dioſcorides atque Gal. locis paulo ante citatis, Plin. li. 20. c. 4: Conſtantin. li. 12. de agric. c. 22 & Simeon Sethi in Syntag.

Quintum, Theriace: Hæc enim tota ſubſtantia ſua tam brutis, quam ratione præditis animalib. contra omne veneni genus auxilio eſt, neminem

que pollicito frustrari sinit. Siquidem nullũ vnquam à feris, quæ hominem solent interimere, commorsum, hoc statim epoto antidoto perijsse, memoriæ est proditũ. Nullus eadem præsumpta haud multo post morsu impetitus belluę veneno ceu illam superãte, interijt. In pestifera etiã luce solum hoc antidotum malo correptis prodesse adeo hactenus visum est, vt nullum aliud præsidium tanto malo resistere fuerit idoneum. Namque pestis, tãquam & ipsa existat quoddam bellũ haud paucos interimit, verum ciuitates quoque totas depascit & male conficit. Quippe praua quædam aeris ad corruptionem prompta mutatio efficitur, & homines, cũ respirationis necessitate periculum euitare nequeant, ipsum aerẽ veluti venenum quoddam ad se per os attrahunt: Theriacen autem in eiusmodi aeris statu præsumentes, neutiquam à malo corripiuntur. Quin & correptis iã eadem medetur, aeris inspirati malitiam alterans mutansque, vt quę corporis temperaturam infici magis prohibeat. Breuiter, totũ corpus ita ab iniurijs securum facit, vt nec à deleterio quopiam possit infici. Cõsimilis fere virtutis est & aliud quoddam antidotũ, quod ab eius cui in frequenti vsu fuit, nomine Mithridatium appellatur. In qualitate enim atque efficacia theriacæ proximum est, parumque ab ea differt, nisi forte quod Theriace paulo calidior, & contra serpentum venena potentior est. Proditur magnum illum bellatorem Mithridatem hoc antidotum præsumentem ob firmam corporis constitutionem ex illo præparatam, non potuisse veneno poto interire. Cum enim bellum aduersus Romanos gerens à Pompeio victus in extremis medicamenti veneno sanus mori cogeretur, medicamento epoto eoque copioso ipse quidem nõ interijt: filię autem ob eximium erga patrẽ amorem, cum eo mortem volentes oppetere, eiusdem medicamenti potu subito conciderunt. Deinde cum

cum mortem ille obire statim nõ posset, veneno propter antidotum præsumptum inefficaci, vocato quodam ipsius amico, nomine Bistoco iniunxit, ipsum vt iugularet. Atq; sic medicamenti opus ferro absoluens, mori ipsum violenter coëgit. Hæc fere Gal. in lib. de Theriaca ad Pisonem, ca 2. & 8. & 28. Lege plura apud eundem in li. de vsu Theriacæ ad Pamphilianum per totum, & li. 1. de antidotis, cap. 16. & Auicen. 64. Tract. 3. ca. 1. & 6. 4. Tract 2. c. 5.

Sextum, Nuces, nempe iuglandes, quas nõnulli etiam regias appellant. Hæ multo sane in vsu sunt. Cum ruta & ficis præsumptæ, & à sumpto cibo, lethalibus venenis aduersantur, nec minus si à veneni haustu comedãtur. Largius esitatæ latos lumbricos pellunt. Cũ cæpa vero, sale & melle, canis hominisq; morsui conferunt. Et hoc de aridis cum primis intelligendum est. Alimentũ porro quod corpori præbent, exiguum est. Aridæ viridibus ac humidis peiores habẽtur: vnguinosiores enim magisque pingues sunt, itaque facile etiam in bilem transeunt: & quo diutius recõditæ fuerint, magis tales efficiuntur. Quamobrem oleum etiã ex inueteratis exprimere liceat. Tunc sane concoctu difficiles & stomacho, præsertim bilioso, inutiles fiunt, atq; bilem augent, fauciũ & capitis dolorem adferunt, tussientibus inimicæ, oculos lædunt, vertiginẽ faciunt, idq; cum à cibo sumuntur, linguę παράλυσιν inducũt, & in ore inflammationes & vlcera pariunt. Stomacho meliores fiunt, si cum caricis edantur. Ad vomitiones ieiunis in cibo vtiles. Cæterum quæ virides adhuc sunt atque humidæ neq; adstringentis qualitatis, neq; oleosæ conspicue participes, sed magis quodammodo qualitatis expertes, hæ stomacho minus nocent: dulciores enim sunt, faciliusque concoquuntur, & multo magis, quando & ipsæ cum caricis mandũtur. Humidæ præ-

terea aptæ ad deiectionem ſunt, ſiccæ verò minus. Pleriq; autem ventris ſubducẽdi gratia cum garo etiam ipſas præſumunt: in quem vſum virides ſunt accommodatiores, vt quæ adſtringentis qualitatis minus ſint participes. Quin & ſiccarũ quoq; ſi prius (quod nonnulli faciunt) in aqua fuerint maceratæ, facultas viridibus eſt adſimilis. Adhæc viridium nuclei à pellicula mundati atque torrefacti aliquantulum, ſi à reliquo cibo commanducentur, ciborum in corpus diſtributionem adiuuant. Et ſic patet in vniuerſum, corporibus ſanis nuces virides magis quam ſiccas conuenire. Plura Dioſcorides libro 1. capite 138. plinius libro 23. cap. 8. Galenus libro 2. de aliment. facult. capite 28. & Simeon Sethy in Syntagmate.

DE ÆRE.

CAPVT XIV.

Lvcidus ac mundus ſit rite habitabilis aer,
Infectus neque ſit, nec olens fœtore cloacæ.

Hic agitur de prima re non naturali, nempe de Aëre, cuius, vt Galenus libr: 9. cap. 14. metho. medend. & in arte medicinali cap. 85. teſtatur, nulla eſt euitandi ratio. Nam in aëre nos ambiente ſemper verſari, comedereque ac bibere, & vigilare, & dormire eſt neceſſarium, & ſine eo nec tolli morbus, nec teneri ſanitas poteſt. His igitur cauſæ ſine qua non obtinet rationem. Quapropter ſedulo hoc agendum, vt in ambiente, quoad fieri poteſt, quam optimo habitemus. Quod vt recte conſequamur, quatuor eius notas hiſce verſibus expreſſas diligenter conſideremus oportet. Quarum prima quidem eſt, vt ſit lucridus, clarus minimeque craſſus, aut nebuloſus. Craſ-

Crassus enim & obscurus humores cõfundit, turbidusque ad cor descendit: quo fit vt spiritus etiã turbidi ac crassi, tum corpus pigrum ac languidũ reddentes, tum animam quoque contristantes, ex eo producantur. Nihil autem magis viuidum ac iucundum, minusue circa voluntarios motus pigrum reddit hominem, quam si in lucido ac claro versetur aere, aut mane surgat. Secunda, vt sit mũdus, hoc est, exquisite syncerus ac purus, nullisque vaporibus inquinatus. Impurus namque iuxta qualitatem & naturam illius quod ipsi admiscetur, cordis temperaturam variat atq; immutat, quemadmodum id ipsum Haly Rhoboam comment. 16. in lib. 3. artis medicinalis Galeni ostẽdit. Tertia, ne sit infestus, cuiusmodi esse solet in locis cadauerum non crematorum multitudine refertis, sicut post prælia contingit. Nam hunc pestis fere subsequitur: inspiratus siquidẽ, corporis spiritus inficit. Quarta, ne fœtorem habeat cloacæ: sub qua sane comprehenduntur & particulares aeris infectiones omnes, quibus humana natura offenditur, nempe latrinarum, cœni, sterquiliniorum, fouearum, culinæ, locorum in quæ cadauera & ossa mortuorum comportantur, & stagnorum seu paludum, idque multo quidẽ magis, si linum insuper aut cannabis in eis putrescit. Quando enim aer huiusmodi sordibus inquinatus per inspirationem trahitur, spiritus inficit, ac maximam cerebro noxam suggerit, viarum spiritus obstructione facultatis animalis trãsitum prohibens, & halitu suo caput grauans. Huiusmodi ergo aer omnibus ex ęquo ętatibus, omnique temperaturæ noxius est: sicut è diuerso qui purus omnino est, nulli non ætati est vtilis. Hinc non temere Auicenna 2. 1. doctr. 2. sum. 1. cap. 2 in hunc prope modum scriptum reliquit. Aer quidem optime temperatus & clarus, cui nihil prorsus admistum est alienæ materiæ, quæ totã substantia spiritus temperaturę contraria sit, sanita-

tem non efficit tantũ, ſed etiam conſeruat: contrarius vero effectus producit contrarios. Verum quo prædictorũ exactior habeatur notitia, ſciendũ eſt, Aerem pro tuenda bona valetudine duobus modis eſſe neceſſarium. Primò quidem ob ſpirituum & caloris innati refrigerationẽ: deinde verò ob humidi excrementi, ſpiritibus ac calori innato moleſtiam exhibentis, expulſionem. Quẽadmodũ enim externum ignem ſine aeris euentilatione ſuffocari atque extingui videmus: ita etiam de ſpiritibus & calore innato imaginari oportet. Niſi enim per aſsiduam inſpirationẽ & tranſpirationem calor naturalis refrigeretur, & quaſi ventiletur, neceſſe eſt ſpiritum perire: aere enim indiget nutriente, conſeruante, temperante atque depurante, ſiue ſegregante. Nutritio ergo, conſeruatio & temperatio caloris innati fiũt per aeris attractionem: depuratio per eiuſdem expulſionem. Ac priores quidem fiunt aſperæ arteriæ dilatatione, quam διαστολὴν Grçci nominãt: ea enim aër frigidus attrahitur, qui vitale robur, vnde ſpiritus quoq; animalis gignitur, excitat & recreat. Altera vero eiuſdẽ arteriæ accidit contractione συστολὴν Græci vocant, qua certe quod ex humorum deuſtione in toto animante contractum, velut fumidum eſt excremẽtũ, expellitur. Aër itaque qui ſic attrahitur, ſi fœtidus & impurus fuerit, calorem innatum atque ſpiritus corrũpit. Hinc etiam intelligi poteſt, facillime infici corda venenato aere. Quare pro tuenda bona valetudine eligendus eſt aer optimæ eſſentiæ, qui nihil vaporis ſeu halitus alieni in ſe admiſtum habeat, neque turbidus aut nebuloſus appareat. Qui.n. talis exiſtit, humores conturbat, &, vt antea etiam dictũ eſt, animã contriſtat. Sed ſic exquiſite purus ac liber, qui ex terra plana vel edita ventorum perflatu vndique luſtretur. & cui fumi, pulueres & nebulæ admiſtæ non ſint, & qui
nec

nec ſtagni, nec paludis halitu ſit infectus, nec ex profundo ſpecu peſtilentem auram ſpiret, qualis circa σάρδεις & Hierapolin, alibique in multis terrarum locis viſitur: nec ex cloacis, qui vrbem aut numeroſum exercitum purgent, vitium contraxerit: nec ex animalium, olerum, leguminum, aut prauarum arborum putredine aut fimo coinquinatus ſit: nec ob ſtagnum, vel flumen vicinum nebuloſus ſit: nec editis vndique montibus in cauo loco, ſiue valle concluſus vllum recipiat perflatum. Suffocans enim putriſque eſt, ſimilis ei qui in domibus quibuſdam eſt incluſus, in quibus ob putredinem & perflatus defectũ plurimus aceruatur ſqualor ac ſitus. Proinde omni plane ætati noxius eſt, & vitandus, quẽadmodum & quilibet incluſus. Hæc fere Gal. lib. 1. c. 16. de ſanitate tuenda. In peſtilente tamen ambiẽtis conſtitutione ob generationem putrefactionẽ, incluſus conuenientior exiſtit: vnde per id tempus domi manere, feneſtraſque occludere oportet, ne qua peſtilens aer ingrediatur. Quod ſi cui tamen eas aperire placuerit, curandum in primis vt ſint verſus Orientem aut Septentrionem conſtitutæ: idq; fiet à ſole iam aliquot horis orto. Calor enim Solis citius irrumpens caliginem atque putredines aeris diſſipat, omnemque craſſitudinem eius attenuat. Ad poſtremum verò cauendum etiam ne vel minimum quidem aer in qualitatibus ſuis tam actiuis quam paſsiuis, caliditate, nimirum, frigiditate, humiditate & ſiccitate excedat. Si verò talis loco habitationis noſtræ natura defecerit, arte noſtra moliendum erit, vt qualem eſſe expedit, præparetur. Id autem qua ratione fieri poſsit, Gal. lib 9. Method. meden. cap. 14. & Auicenna 2. 1. doct. 2. Sum. 1. cap. 6. 7. 8. & 9. copioſe admodum docent.

DE NIMIA VINI Potatione.

CAPVT XV.

SI nocturna tibi noceat potatio vini,
Hoc tu mane bibas iterum, & fuerit medicina.

Præceptum hoc loco de ijs traditur, qui mane ob pridianum vini potum ægrotant, nempe vt tum quoque ipsis paulum vini propinetur. Porrò largior vini inuitatio, quæ vltra quam satis est, ac multam in noctem producitur, ebrietatem nõ nunquam, sæpe sitim matutinam, aliquando vero immodicam etiam corporis excalefactionem suscitare solet. Si quidem excalefactionẽ, maximus error est, id mane repetere: nam perinde hoc esset, ac si ignem igni adderes, oleoque incendium restringueres. Si ebrietatem cum nausea quadam, nihil incommodauerit, si etiam paulũ eius mane propinetur. Quin Hipp. 2. Epid. in crapula & capitis dolore vinum meracum, vel panẽ quã calidissimum cum vino meraco edendum suadet scilicet voluit tum Hippoc. meracum exhiberi, vt ascendentes è crapula vapores ad vias vrinæ deriuarentur, vel vt excitato ex meri potu naturali calore præcopia grauato ac torpidiore reddito crapula ipsa vel per vomitum, vel per secessum solueretur. Sic enim facile vomitus elicietur, vẽtriculusque à bile & pituita cæterisque prauis ac vitiosis humoribus, quibus grauatus fuit, exonerabitur, adeoq; crapula cum omni eius noxa discutietur. Vomitum enim præstare iuuamentum, vt stomachus à materiebus humoralibus euacuetur, autor est Auic. 4. 1. ca. 13. probatque vomitum bis in mense continuis duobus diebus, ex autoritate Hipprocrat. in libro de diæta salubri, & in libro de insomnijs, nimirum vt secũdus dies prio-

ris.

cis vomitus reliquias extrudat. Idem 3.1.doct.2.c. 8. non parum emolumenti ex eo consecuturum adserit (sed lex diuina & naturalis id nō permittit) si quis semel in mense inebrietur: quo videlicet per ebrietatem vomicus excitetur, vt qui maximè ab ægritudinibus chronicus, hoc est, longis ac malis tueri queat. Sed Rabbi Moses tractat. 4. ad Sultanum Babyloniæ hanc sententiam ceu erroneam, his conuellit verbis: Nocet, inquit, ebrietas omnis, & maxime assidua: errauit ergo qui esse putauit vtilem ebrietatem semel in mense. Quin eadem etiam à Gulielmo Placentino lib. 1. capite 8. de curatione morborum, & à Gordonio partic. 2. Lilij, capite 21. & à Valesco lib. 1. Philonij cap. 8. redarguitur, vt quibus præseruari, quam curari melius esse videatur. De vomitu plura infra ca. 85. Si quis ex nocturna vini potatione, propterea quod bibere illud nō consueuerit, obæditur, huic & mane quod adsuescat, idem propinādum est: sic enim fiet, vt ex vini sumptione minorem læsionem sentiat. Nam ab assuetis, vt est apud Hippocratem libro 2. aphoris. 50. minor fit læsio. Si vero nocturnam vini potationem mane sitis excipiat, ea mendosa est, & curatur quidem sumptione vini, sed magis tamen aquæ. Cæterū minime ignorandum hoc loco, ab assidua & quotidiana ebrietate summopere omnibus iam firmum, quam imbecille cerebrum habentibus ex æquo cauendum esse. Frequens siquidem ebrietas, quemadmodum 3.1.doctr.2.capite 8. Auicenna testatur, sex morborū genera in humanis corporibus excitat. Primò namq; iecoris εὐεξίαν, hoc est, bonum habitum dissoluit. Vinum enim immoderatius sumptum calorem eius naturalē vel obtundit, vel resoluit atque debilitat, adeo vt facultatē amittat sanguificam, & aquosas humiditates ὕδρωπα efficientes pro sanguine generet: vel hepar ipsum vna cum humoribus eius

Diosc. l. 5. & Rhaz. l. 4. ca. 5. ad Alm.

Pl. l. 14. c. 22 Ebrietatis incōmoda.

aduris

adurit quã sane iam ex magna parte sequi solet ἐλεφαντίασις quæ est Arabũ lepra, vel mania: Deinde assidua fumorum è vino sublatione bonã etiam cerebri constitutionem destruit: calidum quidem phrenitidi aut manię, frigidum verò epilepsiæ, lethargo, apoplexiæ aut caro, Arabibus Subeth appellato, obnoxium reddens. Tertio loco neruorum imbecillitas continuatã vini perpotationem sequitur: atque inde sane accidit, vt bibacibus & frequẽter inebriari solitis caput, manus, ac reliqua membra prope omnia tremula efficiãtur: idque non tantum in senio, cuius maximè proprium hoc vitium est, sed in cruda quoque viridique senecta, & quandoque etiam in iuuẽtute Quarto, frigida neruis vitia, nempe conuulsionẽ ac paralysin adducit. Vbi enim immoderatius sumitur vinum, vt quod calidam habeat temperaturam, facillime eos replere solet. Talis siquidẽ natura prompte omnia subintrat, præsertim quũ non admodum crassam substantiã habuerit. Substantiæ igitur copia vinũ neruis hæc adfert mala, Galeno commen. li. 5. aphorism. teste. Vinum etiam frequenter in ventriculo acescit, vnde nõ minimum læduntur nerui. Ex defectu præterea concoctionis vinum sępe conuertitur, vel in crudas atque aquosas humiditates, quibus laxati nerui resoluuntur, vel in frigidos, crassos & glutinosos succos, quibus ijdem obstructi aut distenduntur aut contrahuntur. Quinto apoplexiam procreat. pituitoso enim, hoc est, frigido, crasso lentoque humore, quem temporis tractu generat, adeo principalissimos cerebri vẽtriculos vna vice & cumulatim replet, vt subito omnes corporis particulæ motu simul ac sensu destituantur. Sextò vero repetẽtinam sæpe mortem adfert Locis enim spirationis vini vel inde generaturam humiditatum multitudine vehementer coarctatis atque impeditis, ebrius stertendo & dormiẽdo suffocatur. Hæc omnia Galen. etiam libro tertio

de

de temperamentis, in hunc ſcribens modum cõfirmat: Vinum, inquit, nõ ſemper animal calefacit, æque vt nec oleum flammam accẽdit, tametſi aptiſſimum eſt ignis nutrimentum. Imo ſi imbecillæ & exiguæ flammæ confertim multum oleum infundas, ſuffocabis eam, prorſuſque extingues potius, quam augebis. Sic igitur & vinũ, vbi plus bibitur, quam vt vinci poſſit, tãtum abeſt, vt animal calefaciat, vt etiã frigidiora vitia gignat, quippe apoplexia & paraplegia, & quæ Græce Caros & comata vocamus, & neruorum reſolutio, & comitiales morbi, & cõuulſiones, & retani immodicum vini potum comitantur: quorum vnũquodque frigidum eſt vitium. Hæc ille. Quanquã vero à nobis hactenus dicta mala vino immoderatius ſumpto accepta ferenda ſunt, non parum tamen conferre exiſtimandum eſt, ſi modice bibatur. Auicenna loco ſupra citato quinque eius recenſet commoda. Primò namque calore & ſubtilitate ſubſtantiæ, tum cõuenienti quoq; & occulta proprietate facilẽ efficit ciborũ, quib. permiſcetur, in omnia membra diſtributionẽ. Vnde elegantiſsime ab Hippocrate in libro de alimẽto ὀχημα τῆς τροφῆς, hoc eſt, alimenti vehiculũ nũcupatur. Idq; merito ſane: neq; enim ex vẽtriculo in venas, quæ ſunt in hepate multæ & anguſtæ, ſuccus facile tranſmitti poſſet, niſi aliquis ei tenuis & aquoſus humor, tanquam vehiculum permiſceretur. Deinde eadẽ etiam ratione phlegma incidit atque reſoluit, meatuum obſtructiones aperit, adeoque naturã ipſam ad excretionẽ incitat. Tertio flauam bilem per vrinam, ſudorem, excrementa, & tranſpirationem inſenſibilẽ, ἄδηλον αἰσθήσει διαπνοὴν Græci vocãt, expellit: idque intelligendum maximè de vino tenui, ſub rubeo, ſiue albo, per naturam debili, vel abũde diluto. Potentia enim flauam bilem augẽt potius, quam expellunt: quod inſita quadam vi in eam facile cõmutentur, & hepar vltra quam ſa-

tis est calefaciant. Quarto atram bilem, quę crassa & tardi motus est, per proprios meatus ab hepate ad splenem, & à splene ad os ventriculi nullo negocio deducit, eandemque è corpore tãdem vna cum fæcibus exigit. Quin etiam melancholiæ noxias substantia, temperamento, & effectibus suis contrarijs reprimit ac tollit. Melancholia siquidem tristitiam, timorem, pusillanimitatem & auaritiam: vinum viro lætitiam, audaciam, magnanimitatem & liberalitatem parit. Quinto medetur omnibus modis seu speciebus lassitudinis, nisi multa extranea caliditas ipsis coniuncta fuerit. Spiritus enim languidos tantũque non exolutos abunde reficit & recreat, facultates corroborat, & humiditates musculis, neruis, chordis & iuncturis insidentes aut eximit, aut certe minuit. Adhæc in arefactiua lassitudine, re ita postulante, velociter humectat, præsertim si dilutum fuerit. Præstat præterea & alia quam plurima commoda: Galeno enim teste libro 3. de temperamẽt capite 3. omnium celerrime nutrit: nam vt adsimiletur, mutationem desiderat minimam. Calorem præterea & spiritum naturalem corroborat, totum corpus calefacit, cerebrum purgat, intellectum excitat, cor exhilarat, iram mitigat, tristitiam remouet, libinem incitat, præque omnibus alijs potibus concoctionem semicrudorum humorum in quauis corporis parte adiuuat, & vt vnico verbo rem totam perstringam, hominem & anima & corpore reddit viriliorem: vndę abstemij si cętera æquabiliter se habeant, reliquis sunt effœminatiores.

DE MELIORE VINO. CAPVT XVI.

Gignit & humores melius vinum meliores,
Si fuerit nigrum, corpus reddit tibi pigrum.
Vinum sit clarumque vetus, subtile maturum,
Ac bene dilutum, saliens, moderamine sumptum,

Hic docetur inprimis, ex meliore vino meliores humores procreari: neque id sane immerito. Nam quanto præstantior humorum materia fuerit, tanto ex ea etiam meliores humores gigni rationi consentaneum est. Subiungitur deinde, corpus nigri vini potu torpidum ac pigrum reddi, & ne hoc quidem citra rationem. Nam cum reliquis sit crassius ac terrenæ naturæ magis participes, spiritus etiam crassiores inde produci necesse est. Similem enim esse oportet defluxum subiectæ substantiæ, vt locis supra aliquoties citatis Gal. autor est. Iam verò spiritus crassiores corpus grauãt, & ad voluntarios motus perficiẽdos pigrum reddunt. Tertio loco septem referũtur præcepta de electione vini.

Primum, vt sit clarum: hoc enim, vt pote subtile, spiritus etiam claros ac subtiles generat.

Secundum, vt sit vetus. Nouum enim siuẽ mustum (si cætera consentiant (facilius inebriat, alũ subducit, colicos cruciatus generat, & alia quędam adfert incommoda, de quibus infra cap. 26. Neque ita tamen hoc intelligendum venit, vt nobis admodum vetus eligendum videatur. Tale enim, iuxta Auicennæ sententiam 3.1. doct. 2. capite 8. inter medicamenta potius, quam potus reponendum est. Maior siquidem ei corporis ad caliditatem & siccitatem alterandi, quam alendi facultas inest. Alimentum enim quod ex *Vinum vetus.*

ipso

ipſo corpori hominum accedit, exiguum eſt: eo quod à fæcibus & viriditate, quibus permiſtum & confuſum fuit, iam repurgatum, ſeque ipſo calidius quodammodo effectum ſit. Vinum namque, ſicuti libro 8. capite 14. de ſimpl. medicam. facult. à Galeno ſcribitur, ex ſecundo eſt ordine excalefacientium: ſed quod admodum vetus eſt, ex tertio: ſicut muſtum, quod vocanr, ex primo. Caliditati eius proportione reſpondet ſiccitas.

Tertiũ, vt ſit ſubtile: tale enim ſpiritus procreat multos atq; ſubtiles: cum è diuerſo craſſum craſſos generet.

Quartum, vt ſit maturum, nõ auſterũ, ſiue ſtypticum. Auſterum namq; vinum quemadmodum comment. 8. lib. 3. de victus rat. in morbis acut. Gal. atteſtatur, excretiones omnes cohibet. Quare lædit ea corpora, quibus per vrinas expurgari eſt opus: lædit quoque ſuperiora omnia. Sed tamẽ ipſa adſtrictionis ratione omnino iuuamentum præſtat ægritudinibus inteſtinorum. Verum huiuſmodi adſtrictio remouetur, ſi aqua temperatum fuerit.

Dilutũ. Quintum, vt ſit dilutum: Vinum enim cum diluitur, hoc eſt, aqua tẽperatur, remittit fumoſitatem ſuam, atque ob eam rem minus cum caput grauat, tũ inebriat. Sed hoc ipſum de vino ſubtili potiſsimum intelligendum videtur: nẽpe craſſum ſi diluas, ſubtilius ac magis fumoſum efficias, vnde citius inebriat. De eo igitur Auicennam intellexiſſe cenſendum eſt 3.1. doct. c. 8. dum inquit: Mixtum velocius inebriat.

Sextum, vt in fundendo quaſi ſubſiliat: & eſt vna de boni vini conditionibus, de quibus ſupra c. 10. dictum eſt.

Septimum, vt modice ſumatur. Vinum enim modice ſumptum acuit ingenium. Excitat enim vini calor inueniendi vim, quæ torpet nonnunquam

quam in ieiunis. Excitat hæc sententia in libro de disciplina Scholarium, qui Seuerino Boethio adscribitur, l. 2. Vinum, inquit, modice sumptum intellectui videtur conferre acumen: non autem modice sumptum rationem perturbat, intellectum hebetat, memoriam eneruat, obliuionem immittit, errorem infundit, ad ignorãtiam perducit. Ex omnibus iã dictis colligitur, pro conseruanda bona valetudine eligendum esse vinum ætate medium, clarum, rubedine nonnulla participans, odoratum, sapore æquale, ita vt non acre sit, nec acutum, neq; dulce, nec fumosum, neque crassum, neq; subtile nimis, sed ad subtilitatẽ inclinãs, neq; excellenter potens, neq; plus æquo imbecillum, sed medium: natum in colle aperto Meridiẽ spectante, regione inter caliditatẽ ac frigiditatem temperata. Hæc fere Auicenna loco citato. Porrò circa vini vsum pro ætatis ratione tres notandæ sunt regulæ. Prima, ne pueris detur vinum in potu: nam perinde de hoc esset, ac si ignem igni addas. Quippe quod haustum & humectat nimium & calefacit corpus, tum caput halitu replet ijs, qui humido calidoq; temperamento sunt, quale est eiusmodi puerorum. Atq; nec repleri his caput est vtile, nec supra quã par est humidos calidosque fieri: quoniã eo iã caloris humorisq; peruenerunt, vt si paululum vtrãuis qualitatẽ auxeris, iã modũ excesserint. Cum autẽ sit omnis excessus fugiendus, maximè hunc fugere expedit: ex quo nõ corpori modo, verumetiã animo dãnum accedit. Gal. li. 1. c. 15. de sanitate tuẽda. Secunda, vt seni detur, quantũ circa dispẽdium valetudinis ferre queat, hoc est, quãtum appetit genuina ac regularis appetẽtia. Quẽadmodum. n. ocreæ veteres, aridæ, & corrugatæ oleo, ita corpora senum vino electo, quale est Bellouacense, reficiuntur ac renouantur. Senibus enim, cum exãgues & frigidi sint, vnum illud ma-

ximum commodum ex vino accedit, quod ætatis frigiditatem ad symmetriam & mediocritatem caloris reduçat, tristitiam & melancholiam, quibus abundant, expellat, & soporem, quo fere destituuntur, reuocet, obstructiones item, quib. ijdē obnoxij sunt, tollat. Sane vinū sicuti pueris alienissimum, ita senibus aptissimum est. Galenus libro 5. de sanitate tuenda, cap. 7. Tertia, vt iuuenibus non exhibeatur, nisi temperate. Nam vt Galenus inquit lib. 1. de sanitate tuenda cap. 15. neque iam adultis vinum, nisi modice sumptum, existimandum est vtile esse. quod videlicet & ad iram & ad libidinem præcipites facit, & partem animi rationalem heberem turbidamq; reddit. Cæterum his ipsis ad bilis excrementa vel mitiganda vel expellēda est sane non inutile: corpus corroborat, & ingeniū ob subtilium & tenuium spirituum copiā exacuit. Plura Plato li. 2. de Legibus, Senec. lib. 2. cap. 20. de Ira, & Gal. in lib. Quod animi mores corporis temperaturam sequantur, cap. 10.

Vinū lac senum.

DE CERVISIA.

CAPVT XVII.

Non acidum sapiat ceruisia, sit bene clara
Ex granis sit cocta bonis, satis ac veterata.

Hic quinque traduntur notæ, eligendæ ceruisiæ.

Prima, vt non sit acida: hæc enim ventriculo inimica est. Acetum namque quemadmodum coment. 39. lib. 3. de vict. rat. in morb. acut. Galenus docet, suapte natura neruos offendit, idq; sane experimentum testatur, & demonstrat ratio: nempe exangues sunt, & ideo frigidi, facileque ab ijs, quæ refrigerant simul & tenues habent partes, afficiuntur medicamentis. Læduntur præterea & à reliquis perfrigerantibus omnibus: sed

ſed ſubſtantia aceti, quod tenuium eſt partium, in eorum mergitur profundum, atq; in omnes ita irrumpit patres, vt ne minimum quidem ex eis illæſum maneat. Sic igitur acetum neruoſas offendit partes. Ventriculus autem neruoſus eſt. Ergo, &c.

Secunda, vt ſit clara: turbida enim impinguat quidem, ſed vrinarum meatus obſtruit, atq; ob id calculoſis plurimum nocet, flatus gignit, difficilem atq; breuem ſpirationem efficit, & pituitam auget.

Tertia, vt ſit cocta ex bonis, ac validis, & minimè corruptis granis, nempe ex optimo hordeo, tritico, vel auena: quanto enim grana meliora fuerint, tanto & meliorem inde humorem gigni par eſt.

Quarta, vt ſit bene ac perfecte cocta. Hæc enim melius concoquitur, & naturæ conuenientior exiſtit: Male verò cocta ventris inflationes, tormina, & colicos cruciatus generat.

Quinta, vt ſit vetus & à fæcibus repurgata. Recens enim præterquam quod iiſdem malis, quib. male cocta, obnoxia eſt, ſtranguriam etiam facit. Plura infra c. 46.

DE VSV CERVISIÆ.
CAPVT XVIII.

D*E qua potetur, ſtomachus non inde grauetur.*

Hic vnicum de Ceruiſiæ vſu præceptum traditur, nempe vt modice ſumatur, neque ea ſtomachus prægrauetur, vel ebrietas concilietur. Ebrietas enim ex ceruiſia, quam vino, deterior eſt, & diutius perdurat, quod craſſior, concoctuque difficilior ſit, quam vinum. Fumi namque craſſiores inde ad caput eleuantur, quam ex vino: quare tardius etiam diſcutiuntur. Ex quo ſane loco ſequitur etiam, in principio prādij vel cœnæ potū à ceruiſia vtilius, quam à vino inchoari. Ventriculus enim ante cibi ſumptionem vacuus &

nutrimenti indigens è proximis haud dubie visceribus attraxit. Illa vero, vt copiose admodũ li. 3: de facu. nat. c. 13. Gal. docet nihil præter superfluitates & excrementa retribuisse certũ est: quo fit, vt superfluitatibus iam atq; excrementis abũdet. Quæ certe potissima causa est, cur in maxima fame Medici consulant vt ante cibi sumptionem vomitus eijciatur. quo nimirũ superfluitates illæ à ventriculo attractæ euacuẽtur prius, minimeq; cum χυλῷ misceantur. Si igitur in principio mẽsæ biberetur vinum, quo natura præcipue delectatur, quodq; auidissime ab ea, quæ visceribus inest, trahendi vi rapitur: superfluitates à ventriculo attractę vna cũ vino in omnia statim corporis membra, non sine sanitatis dispendio distraherentur. Atq; ob hoc fortassis, Ioañes Matthæus de Grad. consilio 90. non in principio solũ mẽsæ, sed in maxima quoq; siti, & post quamlibet actionem fortem ac vehementem à vino abstinendũ censet: quippe quod ita sumptum inconcoctum anhuc ac crudum ad neruos facile penetret, atq; inibi in acetum cõmutetur. Ceruisia verò, vt potè crassior & ad concoctionem pertinacior, non tam auide rapitur, quare ab ea potus in principio prandii vel cœnæ vtilius inchoatur. Ceruisia humores etiã orificio stomachi insidentes abluit, & sitim, quæ ex nimia vini potatione timetur, prę-terea quãlibet aliã mẽdosam coercet ac reprimit

QVÆ VICTVS RATIO QVOlibet anni tempore sit vtilis.

CAPVT XIX.

Temporibus veris modicum prandere iuberis
Sed calor æstatis dapibus nocet immoderatis,
Autumni fructus caueas, ne sint tibi luctus,
De mensa sume quantum vis tempore Brumæ.

Hic pro singulis anni temporibus conueniens instituitur victus ratio. Et primò quidem de Vere

re agitur. Verno siquidem tempore modice pran-dendum est, id est, paulum cibo demendum, adijciendumq; potioni. Cornelio Celso lib.1.c.3.& Auicenna 2.1.doctr.2.capite 6.testibus. Hyeme enim ob temporis gulositatem, exercitij paruitatem, & resolutionis prohibitionem, humores crudi, maximeq; phlegmatici, ex temporis proportione generati in interiorib.corporis, ob ambientis aeris frigiditatem, siue ἀντιπερίστασιν adunantur. Ver autē superueniens illos eliquat, & per totum corpus diffundit. Quare natura per id tempus plurimum circa illorum cōcoctionem occupata est. Si itaq; in Vere magna daretur cibi copia, natura impedita à prædictorum humorū concoctione diuerteretur, vtpote humoribus & magna ciborum copia plus æquo grauata: vnde relicti in corpore humores crudi & inconcocti facile in membrum aliquod decumbentes, ægritudinem inducerent. Quare summopere cauendum est, vt id temporis cibo nonnihil dematur. Ciborum enim diminutio ab ægritudinibus Veris maxime præseruat, Auicenna ibidem teste. Et hoc quidem de adulto & extremo Vere intelligendum. Nouum enim hyemi adsimulatur, vnde & hyemis ritu per id tempus cibus administrandus est. Intelligendum item de corpore crudis & phlegmaticis humoribus referto. Corpori namq; in humoribus temperato, cibus iuxta caloris iñati, atq; eius quæ à corpore fit resolutionis, proportionem exhibendus est: ablati enim causa est diminutionis cibi. Vnde Hippocrates li.2.aphor. 15. Ventres hyeme & vere natura calidissimi sunt & somni longissimi: quare per ea tempora alim. copiosiora sunt exhibenda. Etenim tunc calor innatus plurimus est, vnde & pluribus egent alimentis.

Secundo, de æstate: nempe quod immoderata cibi sumptio æstate noceat. Siquidē virtus cōcoctrix tunc debilis existit. Calor enim iñatus, qui

omnium operum naturalium causa est, propter extrinsecus circumstãtis caloris excessum, ad sibi affinem extra protenditur, atq; ita contingit dissolui ac dissipari eius substantiam: ob hoc igitur debilior redditur quam vt multum cibum conficere queat, Galeno comment. 15. li. 1. aphor. teste, Vbi minime tamen silentio prætereũdem est, ob maximam humiditatum corporis tam substantialium, quam nutrimentalium, quæ per ęstatem fieri solet, difflationem, plurimum quidem ac crassius alimentum exhibendum esse, si virtus cõcoctioni sufficeret. Verum cum vno eodemque tempore multum conficere non sufficiat, parum de eo ac sæpius exhibendum est. Id quod cõmen. 17. lib. 1. aphor. Galenus his significauit verbis: Æstiuo quidem tempore, quantum ad temporis rationem attinet, sæpius pauca danda sunt, quoniam & pluri egent adiectione, vt qui sint dissoluti, & vires habeant imbecilles. Idem Cornelius Celsus li. 1. c. 3. sic scribens confirmat: Æstate vt sæpius cibo vtendum, sic exiguo est. Quanquam verò cibo nonnihil per æstatem demendum est, potioni tamen adijciendum videtur, maxima siquidem tum fit difflatio & exsiccatio corporis, & calor humidum longè exuperat, vnde maior etiã sitis exoritur. Elixis itaque frigidisq; cibis, ac potione tum multa, tum diluta vtendum. Vinũ verò purum ac vinosum, vt quod facile inflammetur, & violento ęstu vehementem calorem incendat vitandum.

Tertio, de Autumno: vt scilicet in eo à pomis ac cæteris autumnalibus fructibus, nimirum vuis persicis, ficubus, & similibus abstineatur, vel parce saltẽ de ipsis assumatur: ob ebullitionẽ enim quam in corpore & humoribus faciunt, sanguinem nimis fluidum, & putrefactioni accomodũ generant, idq; maximè in ventriculo impuro, & corporibus κακοχύμοις, qualia per Autum-

num

num sæpius occurrunt, quæ ob id etiã malis corripiuntur ęgritudinibus, cuiusmodi habentur inprimis variolæ, morbilli, & pestilentia. Quod palam etiam Paulus Ægineta l.1.ca.53. ita scribens attestatur. Poma in Autumno affatim assumere noxium est, vt quæ non copia tantum obsint, verum etiam vitiosos procreent humores & inflationes. Etenim præstantissima, nempe ficus & vuæ, flatus pariunt, corrumpuntq; cibos, nisi ante alios præsumantur: ita vero neque inflant, neque corrumpunt. Cæterum quo exactior victus ratio per Autumnum habeatur, vnicè hoc omnibus, qui sanitatis tuendæ curam susceperint, canendum est, quemadmodum libro 4. ad Almans. cap. 26. Rhazes præcipit, ne famem vel sitim patiantur, vel cibo vna hora repleantur, vel aqua. Vinum autem bibendum est paulò liberius, non tamen immodice, ceu in æstate, dilutum: nempe vt corpus humectet, & calorem reprimat. Quod enim aqua immodice temperatum est, calorem obtundit, inflationes, ac inde colicos cruciatus procreat: Minus etiam eius quam per ęstatem fiuendum est. Siquidem natura tunc imbecillior existit, quam vt magnam vini copiã concoquere queat. Sunt apud Galenum in libro de cibis boni & mali succi, capite 3. pulcherrima quædam ac vtilissima de horæis fructibus pręcepta. quem sane locum, quia valde eruditus est, hic integrum subijcere placuit. Pater meus, inquit, geometriæ, architectoriæ, astronomię, arithmeticę, logistices studijs plurimum valuit: maximeque omnibus, quibus erat notus, ob ipsius iustitiam, modestiam, bonitatem, vt quibus ex Philosophis, admirationi fuit. Is cum puer ipse adhuc essem, eam mihi victus rationem instituit, vt nullis per id tempus obnoxius morbis vixerim. Vbi verò adolescentiam sum ingressus, ille in agrum rei rusticæ studiosus concessit, ego vero doctrinæ studijs ardentius, quam cæteri condiscipuli die

noctuq; operam dabam. Sed cum per totum id tempus, quod ὀπώραν vocant, horæis, hoc est, temporarijs vel fugacibus fructibus vna cum æqualibus meis vberius vsus essem, adueniente Autumno acuto morbo correptus sum, venamq; incidere opus fuit. Cum ergo in vrbem pater reuerteretur, ad me obiurgandum se conuertit eiusq; generis victus admonuit. quo eodem suadente, vsus antea fueram, vtque ab illo in posterū minime discederem: vitaremque sodalium incontinentium consuetudinem præcepit. Tum sequēti etiam anno operam curamque adhibuit vt sobrie viuerem, atque horæos fructus cū moderatione gustarem. Atq; ita in eo anno, qui erat ætatis meæ vndeuicesimus, incolumis vixi. Sed cum altero deinde añō pater excessisset è vita, ipseq; vna cum eiusdem ætatis amicis oporæ fructus ad satietatem sumerem, in ægritudinē superiori consimilē incidi, vt tunc quoque sanguinis missione opus esset. Deinde verò vel singulis annis, vel alternis nonnunquam ad octauum vsq; & vicesimum annum morbo aliquo laborabam. Cumque tunc temporis periculum esset, ne ea pars mihi, qua iecur septo transuerso annexum est, abscessu corriperetur, ab esu horæorum omnium mihi penitus abstinēdum proposui, exceptis ficubus vuisq; omnino maturis, quas neque intemperanter, vt antea, sed cum moderatione, sumebam. Quam sane victus rationem, cum quidam ex sodalibus natu me duobus aunis maior comprobaret, curam ambo adhibuimus, vt exerceremur, cruditatesque omnino vitaremus, ob idque ad hanc vsque diem multos iam annos incolumes viximus. Reliqui quoq; ex amicis, qui me hortāte exercitatione vsi sunt, moderateq; cibum sumpserunt, recte omnes semper valuerunt: sed alij quidem à quinto iam & vicesimo, alij ab aliquanto paucioribus annis, vt cuique scilicet persuasum fuit, horæos fructus cibosq; alios mali

li ſucci vitari oportere. Hæc ille.

Quarto, de hyeme: Hyberno ſiquidem tempore, Auicenna 2.1. doct.2.c.6. teſte, quantum volumus hoc eſt, plus quam cæteris temporibus edendum eſt. Quod Galeni etiam teſtimonio confirmatur, qui comment 17. lib.1. aphor. in hunc ſcribit modum: Hyberno tempore multa quidem danda ſunt propter robur virium, ſed raro, quia nō valde multa indigent adiectione laborantes, vt quibus non multa fiat euacuatio. Et ratio quidē eſt, quia calor innatus hyeme intenſior eſt, tum quia vnitus, tum quia corroboratus διὰ τὴν ἀντιπερίστασιν, id eſt, iuxta poſitionem ſui contrarij, nempe aeris frigidi corpora ambientis. De qua plura Ariſtoteles libro 1. cap. 12. μετεωρολογικῶν. Sed hoc veritatem habet in robuſtis & corpulentis, non tamen in raris & debilibus. In his enim intenſum hybernum frigus nō modo nō corroborat calorem iñatum, ſed magis debilitat. Quod verò hyberno tempore calor plurimus ſit, innuit Hippocrates aphor.15. lib.1. ventres hyeme & vere natura calidiſſimi ſunt, & ſomni longiſſimi. quare per ea tempora alimenta copioſiora ſunt exhibenda. Etenim tunc calor innatus plurimus eſt, vnde & pluribus egent alimentis. Quæ quidem & craſſiora & concoctu difficiliora exhibere licet, eo quod calor intenſior ſit. Vino autem vtēdum eſt tum meraciore, tum rubicundiore. Quanquam verò in hyeme, ob robur caloris innati & fortitudinem virtutis concoctricis, cibi craſſiores ac denſiores conueniunt: quia tamen tunc temporis ob phlegmatis abundantiā corpora facillime replentur & obſtruuntur, & parua fit à continente reſolutio, tutius eſt vti cibis inter ſolidum & rarum medijs: qualis eſt caro hœdina, vitulina, veruecina, luciorum, percarum & cancrorum. Craſſioribus verò, vt bouina, ceruina, percina, concharum, oſtreorum, car-

pionum,&similium abstinendum.aut certe cum moderatione vtendum: adhibitis semper rebus apertiuis & diureticis,nimirum petroselino,nasturtio,apio,& exercitio forti. Cæterum circa victus rationem pro singulis anni temporibus conuenientem hoc etiam notandum venit. Quod autumno quidem melancholicis cibis ac siccantibus abstinere oporteat,hyeme verò eis vti,quēadmodum sane æstate humectantibus & refrigerātibus: Vere autem,quod medij sit temperamēti,mediæ facultatis cibos edere,quemadmodum lib 1.capite 25.de aliment.facult. Galenus attestatur.

DE PRAVO POTV corrigendo.

CAPVT XX.

Saluia cum ruta faciunt tibi pocula tuta,
Adde rosæ florem,minuuntq́; potenter amorem.

Duo traduntur hoc loco praui potus remedia.

Saluia. Primum,Saluia:cuius folia potibus immersa vitia eorum proprietate quadam tollunt. Peculiarem præterea habent gratiam roborandi cerebrum ac neruos: ijs verò roboratis, malis fumis ex prauo potu procedentibus melius resistitur.

Ruta. Secundum,Ruta:Huius namque folia integra ac citra contritionem vllam potioni imposita, auxiliarem vim contra perniciem potus præstāt. Etenim caliditate & proprietate sua potus vitia emendant. De Ruta quomodo aduersus venena conferat,satis dictum est sup.c.13.

Additur in posteriore versu,quod flos rosæ superioribus adiunctus non modo dictam illarum vim augeat,sed Veneris insuper appetitum cohibeat atq; tollat. Quod sane de rosis potissimum intel-

intelligendum est, quæ puniceo colore rubent: hę namq; fragrantia ac styptico suo sapore potus nocumentum remouent.

DE NAVSEA MARINA. CAPVT XXI.

Nausea non poterit hac quem vexare, marinam
Vndam cum vino mixtam qui sumpserit ante.

Cum plerisque necessitas incidat nauigio per mare proficiscendi, hic etiam remedia quædam aduersus nauseas & vomitiones, quibus premi solent, qui nauium insueti primum iam nauigare incipiunt, enumerare placuit. Nempe, si diuites illi fuerint, vt per dies aliquot antequam nauem conscendant, vinum suum aqua marina tẽperent. si pauperes, aquam marinam absque mistione bibant. Sic enim fiet, vt nauseas citra vllũ negocium euitent. Nam vinum & præcipue aquosum, quod Paulo Aeginetæ οἰνάριον Gręce dicitur, stomacho vomitionib. turbato maximè conuenit. Aqua verò marina, salsa & adstrictoria sua vi os ventriculi claudens, vomitiones præcidit atque impedit. Porro vomitionibus primum iam oborientibus, nec facile, nec vtiliter resistitur: vt quæ omnino magna ex parte præsidio esse soleãt contra magnas & vehemẽtes ægritudines, nimirum elephantiasin, aquã intercutem, apoplexiam, & stomachi tum frigiditatem, tum inflationem. Siquidem ab his non solũ præseruant, sed easdẽ etiam iam obortas vel curant, vel certe leuant. At si diutius crebriusq; vrgeant, adeo vt nauigantes vehementer debilitẽtur, comestione stypticorum & acidorum fructuum (cuiusmodi sunt mala cydonia, mala Mariana, hoc est, vt interpretatur Iacobus Syluius,

poma syluestria, vt vero Ianus Cornarius, poma Arantia, & nostra oricularia & curtipendula poma, quæ Epyroticis malis respondere putantur, vulgo Capēduta: siue pomes de Capentus Gallice vocantur, & punica siue granata acida,) restringendæ sunt. Hæc.n. os ventriculi corroborant, & humorē sursum repentē deorsum reuellūt, ac inferne per ventrem euacuant, fluentemq; stomachum sistunt. Quin & ipse stomachus ab hisce roboratus fructib. humores ad se vndarum exagitatione confluentes reprimit. Apij quoq; semē torrefactum, ac in vino potum confert. Absinthium quoq; tam in cibo, quam in potu sumptum nauseas tollit. Panis item assatus si ex vino aquoso & odoro maceratus ingeratur, prodest. In summa tota victus ratio, tum ex acidis & ventriculū roborantibus, tū vapores etiam siue fumos ad caput ascendere prohibentibus, constituēda est: in quorum numero & lenticulæ cumprimis in aceto vel succo vuæ acerbæ incoctæ reponendæ sunt. Plura Paulus Ægineta l.1.c.56. & Auicēna 3.1.doct 5.c.7.

Vapores stomachi prohibēt.

DE GENERALI CONDIMENTO.

CAPVT XXII.

Saluia, sal, vinum, piper, allia, petroselinum,
Ex his fac salsam, ne sit commixtio salsa,

Communes recensentur hoc loco materiæ, ex quibus in mensa ἐμβάμματα, hoc est, intinctus, condimēta, siue salsamenta ex tempore parari possint, si specialia defuerint. Sunt autem eæ rari possint, si specialia defuerint. Sunt autem eæ numero sex. Et prima quidem Saluia est. Ex hac enim fit condimentum in assatione siue coctura anserum & porcellorum. Hi namq Saluia persæpe farciri solent, antequam assentur: vt nimirū superfluis ac glutinosis ipsorum humiditatib. resolu-

Salsamēta varia.

solutis atque dissipatis, Saluiæ penitus sibi cum odorem, tum saporem induant. Saluia tamē post assationem reijcienda, & non comedenda est. Quin etiam ruricolæ & plebeij homines condimentum ex Saluia concisiunt, quo in anserum esu vtuntur. Allium enim cum Saluia cōtundunt, vt acrimoniam deponat, & vino commiscent. Secunda, Sal: de quo infra capite 12. Tertia, Vinū: Quod sane extemporale diuitum vel nobilium condimētum est: Nam in sinapeos aut omphacij defectu vinum cum sale temperatum pro salsamento ingerunt. Quarta, Piper: Estque rusticorū & agrestium hominū salsamentum: quippe quibus fabæ atq; pisa pipere condita in quotidiano sint vsu. Quin etiā ex pane tosto cum ceruisia, siue vino ius nigrum pipere conditum pultis instar conficitur, quod ob id vulgato iam ferevbiq; nomine piperatū etiā appellatur. Hoc super carnes aut pisces effusum in delicijs habetur: Quinta Allium: hinc quoq; salsamētum Rustici conficiunt quod cum omnibus prope cibis suis, siue assi illi fuerint, siue elixi, siue dulces, siue salsi, imò verò & cum induratis ouis esitant. Allium namq; tritum cum molli caseo ac lacte commiscent, atque epulis deinde apponūt. Sexta, petroselinū: Siquidem ex folijs eius contusis, cumq; omphacio vel vino albo commistis fit salsa viridis, quæ cum assis fere manditur. Cæterum silentio minime prætereūndum hoc loco, quod pro ratione temporum sibi inuicem succedentium, ac cibariorum etiam, quibuscum apponuntur, salsamenta variari conueniat. Calidis siquidem temporib. frigida, aut minima certe caliditate participantia: è contrario vero frigidis calida conferunt. Salsamentorum igitur statuenda materia est, in æstate omphacium, turiones vitis, acetū, succus malorū limoniorum, vel citrangulorum, vel punicorum siue granatorum cum saccharo, stillatitio rosarū liquore, qui ῥοδόσαγμα Græce dicitur &

amy-

amygdalis: quibus tamē interdum ſerpylli non-nihil ac petroſelini ad frigiditatis cōmoderatio-nem addi poteſt. Temporibus frigidis aptiſſima conſtituetur ſalſamētorum materia, ſinapi, eruca, zingiber, piper, cinnamomum, caryophillon, allium, ſaluia, ſerpyllum, mentha, petroſelinum, iuſcula carnium, vinum & acetum, idque non acre nimis, ſed vini naturæ propinquū. Tēperatis autem temporibus inter caliditatem & frigiditatem media magis congruent. Porro quod ad cibaria ipſa attinet, alia alijs, quēadmodum ſane coqui non ignorant, egent condimentis. Carni nāq; veruecinæ, ſimiliter & vitulinæ atq; hœdinæ apponi ſolet, in æſtate quidē ex aceto & omphacio cū paucis ſpeciebus cum petroſelino, zingibere albo, omphacio & pane toſto in aceto vel agreſta macerato, ſine allij admiſtione: In hyeme vero eadē, ſed cum largiore ſpecierum copia, pauco allio, optimo vino & pauca agreſta apponitur. Nonnunquā verò ſinapi & eruca ſufficiunt. Carnibus bubulis elixatis perquam vtile pro condimento eſt, duntaxat ad vſus eorum qui recte valent, iuſculū nigrum ex pane toſto, cum iure carnium, pauco omphacio & pipere coctū, quod piperatum etiā appellari diximus. Hoc idem & pro ſuillis nō inutile hyberno tempore fuerit. Nihil porrò vetat in primo cibo per ęſtatem carnes ſuillas etiam frigidas cum aceto ac petroſelino mādi. Quod ſi tamen eædem carnes, nempe bouina atq; ſuilla fuerint, hyeme quidē cępe atq; allium cum exiguo ſpecierum dulcium pondere: æſtate vero ὀμφάκιον ſine cępis, aut paruulas cępas, ſed minuta plane copia aſſumere alienum nō eſt. Sin verò ex conciſis carnibus minutal paretur, repudiato per æſtatem cæparum vſu, lac amygdalarum cum omphacio & exiguo ſpecierum dulcium puluere apponendum eſt. Ouum etiam conquaſſatum cum omphacio in fine cōceditur. Hyeme verò vinū in omphacij locū ſufficere, adeoq;
ſpeci-

ſpecies augere operæ pretium erit. Cuniculorum & pullorum aſſaturæ conuenit condimentum ex cinnamomo & mica panis, æſtate quidem cum omphacio, ſed hyeme cum vino. Suillæ carni aſſatæ per hyemem conueniet liquor, qui in deaſſando diſtillauerit, cũ cæpis contuſis & optimo vino temperatus: per æſtatẽ verò ſalſa viridis, cuius ſupra mentionem fecimus, ex vſu magis erit, Phaſianorum, perdicum & turturũ aſſaturæ præter ſalem aliud non requirunt condimẽtum. Caponibus verò & gallinis elixatis non inutile cõdimentum eſt per hyemem, proprium decoctionis earundẽ ius, cum pauco ſpecierum dulcium puluere: & maxime quidem ſi ſaluia, hyſſopus ac petroſelinũ iuri ſimul incocta fuerint: æſtate ius ipſum per ſe cum momento croci & ſucco turionum vitis ſufficit. Cæterum pro caponum & gallinarum pinguium paſtilatarum condimẽto, preter exiguam ſpecierum dulcium copiã nihil penitus apponendũ eſt, idq; in fine tantum, per æſtatem quidem cum omphacio, per hyemem vero cum optimo vino. Piſces vero tanto calidioribus atq; acrioribus opus habent condimentis, quanto craſſiore magiſque excrementitia carne & humidiore natura conſtiterint, concoctuq; pertinaciores fuerint. Eadem in carnibus quoq; habẽda eſt ratio. Plura Magninus de conſeruanda ſanitate, part. 3. c. 20. & 21.

DE VTILITATE LOTIONIS manuum.

CAPVT XXIII.

Lotio poſt menſam tibi confert munera bina,
Mundificat palmas, & lumina reddit acuta.
Si fore vis ſanus, ablue ſæpe manus.

Duæ hic referuntur commoditates ex lotione

manuum à ſumpto cibo. Primò namq; manus ipſas puras atq; mundas efficit. Deinde verò lumina etiam reddit acuta, id eſt, viſus aciem excitat: & hoc quidem non per ſe, ſed ex accidenti: Manus enim inſtrumēta ſunt, quibus purgantur oculi. Quare puras eas atq; mundas eſſe conuenit. Sed de hoc abunde ſup. c. 2.

DE PANE.

CAPVT XXIV.

Panis non calidus, nec ſit nimis inueteratus,
Sed fermentatusque, oculatus, ſit bene coctus,
Et ſalſus modice ex granis validis electus,
Non comedas cruſtam, choleram quia gignit aduſtam,
Et panis ſalſus, fermentatus, bene coctus
Purus ſit ſanus, non talis ſit tibi vanus.

Duo circa Panis electionem tenenda eſſe hoc loco præcipitur. Primum, ne actu calidus ingeratur: talis autem exiſtit recentior, & iam primum è furno extractus. Nam cum lentorem quendam adhuc retineat, vehementer inflet, viſceraq; obſtruat, neceſſe eſt: eoq; ad ſanitatem inutilis habetur: quod 2. Can. tract. 2. cap. 572. in hunc prope modum ſcribens Auicenna innuere etiam voluit. Non comedatur calidus, ſicut eſt quando videlicet è furno extrahitur, huius enim, quemadmodum & reliquorū ſimilium vſus, propterea quod inflet, & immodice viſcera obſepiat atque obſtruat, naturæ aduerſus, infenſusq; eſt. Hic idem, vt libr. 2. de vict. ratione in morbus. acut. aphoriſ. 34. Hippocrates ſcriptum reliquit, & loco citato Auicenna confirmat, manifeſta caliditate & recenti fuligine ſitim facit, celeriterque vaporoſa humiditate ſatiat, ſed ſupra ſuſpenditur, & tarde deſcendit. Vetere tamen (reliquis acciden-

tibus

bus circumcisis) facilius concoquitur, quippe cũ sit humidior: idque duobus potissimum modis cognoscitur. Primum ex pueris: fere enim ij maxime eo delectantur, vt pote simili. Alterum testimonium ab ætate sumitur. Nam si vetus est siccissimus, eum qui recentissimus est, humidissimum esse oportet. Attamen hic etsi victus salubris rationi vt alimentum minus congruit, odoratu tamen præstantissimus habetur. Valenti enim ac suaueolenti vino imbutus & naribus admotus cor ipsum mirum in modum recreat ac roborat: atq; hac sane ratione syncope correptis vtilissime adhibetur. Imò verò & solo eius olfactu vitam prorogari nonnulli memoriç prodiderunt. Quod proinde à Democrito factum esse Diogenes Laertius lib. 9. in eius vita his testatur verbis: Cum iam ex senio deficeret, & propinquus videretur morti, mœrentem sororem, quod ille in celebritate Cereris moriturus ipsa Deæ vota exoluere nequiret, bono animo esse iussit, panesq; calidos sibi quotidie afferre: eos igitur naribus quum admouisset, viuum se, dum ea celebritas transiret, seruauit. Vbi vero dies illi trãsierunt (tres autẽ erãt) quietissime ac minimo dolore cõclusit vitam 109. ætatis anno. Extat super hac re Grçcum eiusdem Laertij Epigramma, sic Latine conuersum.

Quisnam tam sapiens visus, qui tale patrarit
Vnquam, quale sciens omnia Democritus?
Qui per tres tenuit præsentia fata dies, &
Illa recens cocti panis odore aluit.

Plura hac de re Cçnciliator differentia. 155. & Manardus lib. 18. epistol. 6. Secundum, ne vetustate induratus siue nucidus edatur. Natureç enim humanæ, propterea quod nimium exsiccet, melancholicumq; succum; generet, pro alimento non conuenit.

Secun-

Secundo loco quinq; enumerantur panis electi conditiones. Prima, vt ſit bene fermentatus: Siquidem concoctu inter panes, vt lib. 1. de ali. facult. capite 9. Galenus atteſtatur, ſunt facillimi qui plurimum ſunt fermentati & pulcherrime ſubacti, quique in clibano igne moderato fuerunt affati. Porrò qui fermento omnino caret, nemini prorſus eſt accommodus. Qui vero parũ habet fermenti, hic iuxta Auicennæ ſententiam vbertim quidem nutrit, ſed niſi multo exercitio ac labore fatigetur qui eo vtitur prompte læditur. Iecoris enim meatus, per quos fertur alimẽtum, obſtruit, lienis imbecillitatem auget, calculos deniq; in renibus gignit. Secunda, vt ſit oculatus, id eſt, rarus, poroſus, & minimum ponderis magna mole nobis præſtans: huic enim viſcoſitatem omnem ſublatam eſſe perſpicuum eſt. Parum tamen, ſi Auicennæ credimus, alit, vẽtrem excrementis implet, & facile per inteſtina deſcendit, quemadmodum ille quoq; qui, quod ex farina à furfure non ſeparata & furfure à pura farina nõ ſeparato fiat, ἀυτόπυρος, ſiue, συγκομιστὸς à Græcis, à Galeno vero πιτυρίας id eſt, furfuraceus, & à Cicerone cibarius appellatur. Furfur enim cum nonnihil facultatis habeat abſterſoriæ, merito inteſtinis irritatis velox fit eius deiectio. Iis autem contrarij quidem ſunt panes puriſsimi, plurimũ ponderis exigua mole habentes: omnium verò panum tardiſſime deijciuntur. Tertia, vt plurimum ab artifice ſit ſubactus, & in clibano mediocriter calido belle percoctus: male namque coctus cum ægre conficitur, tum ventriculum etiam grauat. Quod Auicennæ etiam teſtimonio cõfirmatur, qui loco citato ita fere inquit: Panis qui nõ probe percoquitur, plurimum quidem nutrit, ſed ſi quis priuatus & ab exercitatione alienus eo vti voluerit, celerrime in obſtructionis periculũ incurret. Huius etiã generis eſt

in patella coctus. Nã partes ipsius intimæ minus belle elaborantur. Sed de hac conditione abunde sup. c. 9. in Tritico dictum est. Quarta, Vt mediocri sit sale conditus: dulcior enim obstruit, salsior exsiccat: qui vero in vtriusque excessus medio consistit, si ipsi cætera omnia ante pariter adfuerint, optimum præbet alimentum. Modus vero salis gustu iudicandus est: qui namq; in longiori huius mistura offẽderit, prauus existit. Quatenus igitur gustus nullum adhuc sensum tristem ex ea mistura percipit, eatenus ipsius copiam augere præstiterit. Quinta, vt ex optimis granis, laudatissimo nimirum tritico sit confectus: de quo satis superque dictum est cap. 9. Tertio demum loco præcipitur, vt ab esu crustæ panis, propterea quod choleram adustam atq; succos melancholicos generet, abstineamus: quatenus enim ipsa adusta & sicca est, succum etiam inde genitum adustum & siccum esse oportet. Quod Gal. test. cõfirmatur, qui in 4. Hip. l. de vict. ratione in morbis acut. cõ. 103. ita scriptum reliquit: Ob assationẽ ambusta, tũ ad succi bonitatẽ, tum ad concoctionẽ sunt inhabilia, choleramque pariunt, propter eam quæ his accidit, acrimoniam. Merito igitur, nobiles, qui natura biliosi sunt, vtramque sibi crustam, tã superiorem, quam inferiorem auferri à pane curant: quos præcellentes Ecclesiarum proceres atque delicatiores obsonatricis speculationis magistri imitantur. Deligenda itaq; è pane medulla est: quippe quæ melius, firmius atque velocius, quam crusta præstet alimentum. Iis tamen qui sani adhuc sunt, sed ventriculum habent humidiorem, quique extenuari cupiunt, crusta nonnunquam post alios cibos vesci conceditur: vt quæ præsumptos cibos deorsum subducat, & os ventriculi roboret. vltimi duo versus optimi ac saluberrimi panis quinq; notas continent: nempe, vt sit probe salitus & fermentatus, vt bene per-

coctus, vt purus ac ſanus, id eſt, confectus ex granis mundis & validis, ac bona meſſe coctis, quæ imbriũ multitudine vitiata non ſint. Quod Auiceña loco citato his fere verbis innuere etiam voluit: Oportet, inquit, vt panis ſit mundus, ſalitus, belle ſubactus: fermentatus, probe coctus, & heſternus, hoc eſt, poſt biduum non repoſitus. Minime præterea ſilentio prætermittendum, quod maior panis portio ex cõparatione ſemper ſumẽda ſit ad piſces, herbas & fructus humidiores, quã ad carnes & oua: rurſus ad carnes maior, quam ad oua: & ad mollia oua copioſior, quam ad dura.

ADDITIO.

Tertium in ſcholis Medicorum eſt dictũ, Diſſertionem vtiq; omnem eſſe incõmodã: verum quæ ex pane fiat, peſſimam. Quod ſane deſumptũ eſt ex 3.1. doct. 2. c. 7. Auicennæ, vbi inter reliqua ſic ferme ſcribit: Panis impedimentum, vbi non percoquat venter, maximum cenſeri debet: carnis verò non ita. In ſtomacho quippe reſidet diu onere imprimis moleſto: quod ſi non concoctus ſatis tandem dilapſus fuerit, hepar præfarcit ac meſaraicas. Caro autem maiorem ducit cum humano corpore ſimilitudinem: proinde ex ea minus prouenit nocumenti, & hepatis aut meſaraicarũ præfartio leuior, accurationi minus minuſque obſiſtens, imbibentib. mẽbris longe procliuius ob cognationem quandam carnis ſuccum, quam panis. Hæc Cælius Rhodiginus lib. 5. ca. 36. lection. antiq. Sciendum præterea, quod panis ex farina cribro ſuccreta & à furfure repurgata maius ac purius præſtet alimentum: furfuraceus verò, id eſt, cui furfuris nonnihil cõmiſtum eſt, minimum quidem omnium nutriat, ſed facilius, vt antea quoq; diximus, per aluum ſubeat. De pane plura Gale. l. 1. c 9. & 10. de alim. fac. & li. 5. c. 8. de ſanitate tuenda.

DE

DE CARNE PORCINA CAPVT XXV.

Est porcina caro sine vino peior ouina:
Si tribuas vinum, fuerit cibus ac medicina.

Priore versu carnis porcinæ instituitur cum ouilla comparatio, nempe quod porcina absque vino sumpta, quam ouilla peior habeatur. Porrò quod praua sit ouilla, Galenus lib.3. de aliment. facult. cap.1. his confirmat verbis: Agni carnem habent humidissimam ac pituitosam. ouium verò excrementosior est, ac succi deterioris. Hac ipsa tamẽ suilla, quæ bonum alioqui succum generat, peiorẽ esse, si absq; vino edatur, hoc loco asseritur. Idque non aliam certe ob causam, nisi ꝙ & ipsa pituitosam habeat substantiam: quæ quidem vino corrigitur, & ad συμμετρίαν perducitur. Altero deinde versu innuitur, eãdẽ cum vino sumptam, supra quam quod valẽtissime nutrit, facultatem etiam habere ceu medicamenti, vt quæ humectando corpus inalteret. Id quod de porcellis assis potissimum atq; apris pulcherrime apparatis intelligendum est. Cæterum carnes porcinæ, quæ sale condiuntur, ac Sole deinde vel fumo exciccantur (quemadmodum apud nos in annum reponendæ à rusticis ac plebeijs hominibus apparãtur) ouillis nihilo meliores censendæ sunt, siue cum vino, siue absque vino mandantur. Quare de assatis porcellorum carnibus, siue aprugnis hoc ipsum quod hic traditur, eo videlicet quo diximus modo, accipiendum est:

Ilia porcorum bona sunt, mala sunt reliquorum.

Ilia siue omasa, id est, pinguiora porcorum intesti-

testina cum reliquorum animalium intestinis hoc versiculo conferuntur: quantumq; ad victus salubris rationem attinet, aliorum animalium intestinis natura multo cum præstantiora, tum suauiora sunt: testis est cap. 11. lib. 3. de aliment. facult. Galenus. Neque vllius etiam animalis intestinis libentius, quam eorum quæ sanguine referta, vel pinguia admodum sunt, vescimur. Eiusmodi autem porci cumprimis habentur. Iam vero & sanguis suillus humidus est & minus calidus, humano maximè temperie similis: siquidem & carnes suillæ humanis sunt similes. Cum itaque porcorum intestina sanguine plena sint, nec aliud animal ex brutis facilius tum saginetur, tum pinguescat, non abs re intestinis eius libentius vescimur. De carne suilla abunde sup. cap. 7.

DE MVSTO. CAPVT XXVI.

Impedit Vrinam mustum, soluit cito ventrem.
Hepatis ἐμφράξιν, splenis generat, lapidemque.

Quinque referuntur hoc loco incommoda, quæ vini recentis siue musti potum sæpius excipiunt.

Primum quidem, reddendæ vrinæ impedimẽtum est, quod dupliciter sane intelligendum est. Vel enim crassitudine, quam ex multa terrenæ fecis admistione obtinuit, vsque eo hepar adeoq; renes ipsos obsepit atque obstruit, vt vrina penitus supprimatur: vel certe consuetum eius reddendæ morem ac ordinem immutat. Id quod de mustis nonnullis Rhenensibus, ac alijs quibusdam subtilioribus nemini dubium est. Siquidem fæces eorum terrena & nitrosa qualitate præditæ sunt, atque eam ob rem, vbi in vesicam descenderint

derint, ipsam mordicant, vrinamq; inordinate ac præter morem consuetum profundere cogunt.

Secundum, facilis ac cita ventris solutio: viscera enim nitrosa siue salsa fæcis suæ qualitate abstergens ad deiectionem incitat: idque præstat, primo quidem fæcis acrimonia, deinde flatuum etiam quos progignit multitudine, tertio vero propterea quod ad coquendum sit difficile, ac stomachum grauet, cito deorsum subit, inferioremque ventriculi meatum, Græcis πυλωρὺς, nobis autem Ianitor & inferius os ventriculi, Barbaris portonarius appellatur, compressum arctissimeque coactum & contractum aperit & relaxat: qua de causa etiam promptius aluum subducit: sed potior tamen ea est, quod nitrosum quippiam ipsi insit, ac tergendi facultate præditum sit.

Tertium, bonæ hepatis temperaturæ noxa, Hepar. n. quẽadmodum 3.1. doct.2.c.8. Auiceña confirmat, plurima fæcis cõmistione obstruit, flatuũ multitudine debilitat, & dysenteriam hepaticã inducit. Pari modo & καχεξίαν, ac reliquas prauas hepatis ægritudines, diuersas nimirum hydropis species generat.

Quartum, Splenis ac constitutionis eiusdẽ offensio: Siquidem hoc viscus æque obstruitur musto atq; hepar: imo vero & duro insuper tumore, quem σπίῤῥον, Greci dicunt, haud raro corripitur.

Quintum, Calculi generatio, & potissimũ in renibus: qui colore ruber est, & friabilis. Hunc eam maxime ob causam mustũ generare dicitur, quod substãtia cõstet crassiore, adeoq; crassitudine renes offerciat. Et hoc vere quidẽ de musto dulcioris vini, cui nitrosę ac mordicantes fęces admistę non sunt, intelligitur. Nam cui eæ admistæ sunt, tãtum abest à generatione calculi, vt nihil ei magis possit esse contrarium: quippe quod vrinã vehemen-

hemen-

hemẽter moueat ac prouocet. Eiusmodi vero nõnulla ex Rhenensibus inuenias, quæ non modo arenulas secum per vrinam agant, sed meiere etiam frequentius cogant. Frequens porro mictio arenulas iam adhęrescentes motu suo abstergit & aufert. Quare &c. Plura inf. c. 45.

DE AQVÆ POTV. CAPVT XXVII.

Potus aquæ sumptus comedenti incommoda præstat:
Hinc friget stomachus, crudus & inde cibus.

Aquæ potus noxius Duplex noxæ genus inter edendum aquæ potum consequi hoc loco asseritur. Primo namque ventriculum infrigidat & relaxat, maximeque omnium cibi appetentiã deijcit. Deinde cõcoctionẽ interrumpens cruditatẽ generat. Pẽdent autem ea potissimum, vt testis est li. 7. method. meden. c. 6. Galen ex eius frigiditate omnia, cuius culpa & in præcordijs diutissime moratur, & fluctuationes excitat, & in flatum mutatur, & corrũpitur, & ita ventriculi resoluit robur, vt deterius ob id cõcoquat. Proinde eodẽ in loco Galenus etiam præcipit, ne illico post cibũ largius bibatur, videlicet antequam cibus fuerit cõcoctus. Siquidem innatant cibi, si bibatur, ita vt eos vẽtriculi corpus propter interpositum humorem non contingat. Quod innuere etiam 3. 2. doct. 2. cap. 7. his fere verbis Auicenna voluit: Neque post cibum multa bibenda est aqua, quæ inter ipsum, videlicet cibum, & ventriculi corpus separationem faciat, & fluctuationis sensum inuehat. Hoc idem sequente etiam capite, nempe octauo, in hunc prope modum scribens attestatur: Cum à comestione natura concoctioni studet, si tantum aquæ exhaustum prius fuerit, quantum commodæ

cibo-

ciborum permistioni sufficit, tum ea quę succedit aquæ potio inchoatam concoctionem turbat atque impedit. Idem in Canticis sectio. 2. aphoris. 29. & 30. Aquæ potu in mensa vtendum non est, nisi ratione adhærentiæ & tardioris descensus buccellæ. Aqua enim cum cibo sumenda non est. Quem locum Auerrhoes exponens inquit: Causa quidem huius est, quoniam aqua quæ statim à comestione bibitur, antequam ingestus cibus à ventriculo incalescat, infrigidat, concoctionem impedit, & cruditatem parit: Eadem etiam causa est, cur ingestus cibus ventriculo innatet, neque eidem adhæreat, nec vniatur, vt ipsum, sicuti par est, conterat. Actio namque ventriculi in sumptũ cibum fit conterendo simul & coquendo. Vnde simile quiddam succedit, quale solet cum multum aquæ in lebetem feruentem infundimus: nam tum caloris vis in elixando hebetatur. Ita & in ventriculo contingit. Nam & cibi in corpore concoctio elixationi similis est, vt diserte admodum docet Aristot. lib. 4. Meteorolo cap. 3. & post eum Galen lib. 2 de facult. natur. cap. 7. Exigua tamen aquæ potio, quæ paulatim & quasi sugendo sumitur, ante cibi descensum concedi potest, nempe vt per eam cibi promptius ventrem permeent, & ad inferiora descendant, idque magis adhuc, si sitis etiam molestans ad bibendum vrgeat. Exigua enim frigidæ potio eo, quo diximus, modo sumpta, ventriculum alleuat ac colligit. Alleuat quidem, quia sitim extinguit, & cibi descẽsum promouet. Colligit verò, quia partes eius in vnum cogit. Et hoc ex locis Auicennæ iã citatis satis liquet. Cæterum notandum, quod quamuis in depulsione sitis, aquæ quam vini potus magis cõueniat, omnibus tamen quæ valetudini tuendæ sunt, cõsideratis, vinum haud dubie præferendum est. Nam dato ac concesso, quod in sitis extinctione (quæ ex Aristotelis & Galeni sentẽtia, est appetitus frigĩdi simul & humidi aut

alte-

alterutrius) aqua in vniuersum sit melior, quia frigida & humida: naturaliter tamen in cibi permistione & eiusdem ad omnes corporis partes delatione, vinum præstantius habetur. Siquidem facilius cum propter substantiæ tenuitatem, tum actionis celeritatem cibis permiscetur. Quinetiā natura eo magis delectatur, adeoque citius attrahit, & alijs cibis permiscet: idque eo excellentius etiam, quod hæc mistio per modum quendā fiat ebullitionis, quam vinum vtique, cum sit potestate calidum, adiuuat: aqua vero ob innatam frigiditatem turbat atque īmpedit Et sic omnib. perspicuum fit, vinum in ciborum tum permistione, tum delatione aquæ præferendum esse: quippe substantiæ tenuitate & genuina caliditate prompte permeat & penetrat. Nam quæ calida simul & tenuia sunt, facile penetrant: quo fit, vt vinum etiam, quam aqua magis ad omnes corporis partes deducatur. Aquæ nihil inest potestate calidi, nihil substantiæ aerię, nihil igneæ, vnde tardiuscula sit, & plurimum temporis moretur, adeoque omnem cursum impediat necesse est. Assignatur præterea & alia ratio, cur aqua vino, in potu sit postponenda: nempe hæc, quod aqua cum per se neque concoquat, neq; nutriat, alimenti tamē nutritionem vel maxime impediat. Atque inde sane cibi omnes quanto aqueæ naturæ magis participes sunt, tanto minus nutriunt, Vinum igitur commodius cū cibo bibitur, quippe quod non solum non impediat nutritionem, sed multum etiam iuuet. Maxime enim celerrimeq; tum nutrit, tum instaurat; quemadmodum supra capite 8. & 11. abunde ostendimus. Insuper & hoc notandum, quod aquæ potio, Auicenna 3.1.doct.2.cap.8.teste, non inter edendum modo, sed in alijs quoq; certis quibusdam vitæ studijs noxia existit. Et primo quidem, si ieiuno stomacho sumatur, tunc enim libere ceu nullo

retina-

retinaculo præpedita ad principaliora membra penetrans, insita sua frigiditate calorem innatum aut extinguit aut certe debilitat; & hoc potissimum in homine vere ieiuno: nam ebrio maximum quandoque leuamen adfert, neq; ipse quicquã inde læsionis percipit, si ieiunus aquam bibat; idq; eã maximè ob rẽ, quod ieiunus ebrius nõ sit omnino ieiunus, aut stomacho vacuo, sed nonnullas etiam tum retineat hesternæ crapulæ reliquias. Eas igitur, cum nitrosa qualitate præditæ, ac ob id perquam molestæ sint, aqua contẽperans stomacho abstergit, quin etiam vapores ad caput tendentes deorsũ reuellit, ac totũ ventriculi habitum in pristinum quodammodo statũ reponit corroboratq;, ita vt alimentum rursus appetat, cõtineat, & cõcoquat. Secũdo, si ab exercitatione vehemẽtiore, aut statim à coitu sumatur, tunc enim pori corporis aperti, ac robur nõnihil dissolutũ est: aqua igitur in profundum penetrans calorem innatũ aut extinguit, aut certe deteriorem reddit. Tertio, si mox à balneo sumatur: idque eis potissimum qui vacuo ventre loti fuerint. Siquidem cutis ipsorũ laxata iã, & meatus immodice aperti sunt: quare aqua, vt dictum est, libere ac citra vllum obstaculũ penetrans in summum vitę discrimen perducit. Hinc est quod Auicenna 6.4. Tract.1. Sum.1. capite 12. ita fere scriptũ reliquit. Ex aqua frigida, quæ ieiuno stomacho, aut illico post balneũ siue coitũ bibitur, bonæ temperaturæ corruptio, & ὕδρωψ timenda est. Quarto, si deprauatæ sitis, quæ ebrijs sæpe, ac alijs quibusdam ventri ac gulæ seruiẽtibus media nocte, aut summo mane oboritur, depellendæ gratia sumatur. Frigidæ enim potu tum concoctio impeditur, tum resolutio ac dissipatio vini potentis, vel salsi aut biliosi humoris in ore ventriculi contenti prohibetur. Quo fit vt sitis ęque vehemens statim vrgeat, & temporis spacio magis augeatur. Proinde hæc sitis somno tutius

Aquæ crapula confert.

Diosc. l. de lethalibus medic. cap. 38. Aetius l. 13. c. 45. & 83. & Paulus l. 5. cap. 65.

placabitur: per hunc enim humores prædictis ſitim excitantes concoquuntur & deſcendunt, idcoque vt ſubinde ceſſet ſitis neceſſe eſt. Quod ſi vero ſit vehementior fuerit, quã vt frigidi aeris inſpiratu, aut oris collutione ſedari poſſit, aquæ frigidæ potu reſtinguẽda eſt: nam melius eſt concoctionem aliquantiſper impediri, quam multa ſiti ventriculum accendi, præſertim ex meracio re vino. Aqua igitur frigida ex vaſe ſtricti orificij ſiue gracilis colli bibenda eſt, vt plurimũ tẽporis moretur in orificio ſtomachi, valentiuſq; ſitim mitiget ac de ea ſæpius etiã, ſed paululum ſumendum eſt, ne concoctio penitus excludatur. Quinto generaliter ac communi ratione ſanis obeſt, ſi multum aquæ frigidæ bibant: calorem enim innatum extinguit, pectus offendit, ciborũ appetentiam deijcit, & neruoſis omnibus aduerſatur partibus, vt teſtis l.5. apho.13. & 14. Hippocrates. Prudentiſſime igitur monuiſſe videtur, quiſquis ille fuerit, qui ita cecinit.

Vina bibant homines, animãtia cætera fõtes.
Abſit ab humano pectore potus aqua.

Veruntamen aqua temperate frigida appetentiam amiſſam reuocat nonnunquam, non per ſe quidem, ſed ex accidenti. Ventriculum namque ac vna villos eius in vnum cogendo firmat ac roborat.

DE CARNE VITVLINA.
CAPVT XXVIII.

SVnt nutritiuæ multum carnes vitulinæ.

Laudibus hic efferuntur carnes vitulinæ, eo quod alimentum corpori ſuggerant, nõ mediocre, & hoc ſatis ex Auicen. conſtat. Nam 3.1. doct. 2. cap. 7. inter cætera præcipit, vt cibus ſanitatis tutelæ conueniens, ſit talis, quales ſunt carnes, & proprie hœdorum & vitulorũ lactentiũ paruorũ, & agnorum anniculorum, vt quæ conſimilis fere

ſint naturæ, & facile in ſanguinem commutetur. Galenus quoque lib. 3. cap. 1. de aliment. facult. Carnes vituli lactentis ſex vel octo hebdomadarum aſſatas, vt optimas tum ad coquendum tum ad ſuccum bonum generandum, tum ad nutriendum commendat. Sed de his abunde dictum eſt ſupra cap. 7. Ideo non eſt, cur hic plura referantur.

DE AVIBVS ESVI APTIS.

CAPVT XXIX.

SVnt bonæ gallina, & capo, turtur, ſturna, columba.
Quiſcula, phaſiades, merula ſimul ortygometra,
*Perdix, frigellusq;, * ω̃τις, tremulusq;, amarellus.*

Agitur hoc loco de præſtantia alimenti, quod ab auium genere ſumitur. Enumerantur autem quatuordecim, ſed ita quidem, vt inde & reliquarum iudicia facile colligas,

Primum, Gallina eſt: quo nomine non ſolum gallinæ iuuenes mediocriter pingues, ſed galli etiã gallinacei hoc loco intelligẽdi veniunt. Siquidem horum omniũ caro (vt copioſe admodum differentia 63. Conciliator ex Haly, Auenzoaris, Auerrhois & Meſuæ ſententia probat) alimenti eſt inter aues optimi: quia facile in ſanguinẽ vertitur, & parum excrementoſo eſt. Caro autẽ gallinarum eſt melior quã gallorũ niſi ſint caſtrati. Nigraram quoq;, & quæ nondũ pepererunt, eſt melior & leuior, vt gallorum qui nondũ coierunt. Mirã in corpore obtinet cum ipſius tẽperamenti, tum humorum æquandorum facultatem. Iis maxime conuenit, qui vitam in otio ac quiete degunt, quiq; leuiori ingenio ac mẽte ſunt. Colorem viuidum comparat, vocem clarificat, genitali ſemini adijcit, & cerebri ſubſtantiã auget. Iuſculum eorũ optima leptoſis medicina eſt. Ad hæc gallorum cum gallinis nõdum coeũ-

tiun\testes, deperditas in morbis vires mirifice restituunt: quam ob causam hecticis & marasmo laborantibus; morborumq; diuturnitate macrefactis vtiliter exhibentur. Insuper & semẽ prolificum suppeditant, & venereas roborant vires: Decrepitorũ autem præcipue gallorũ caro nitrosa & salsa, cibo inepta, medicamentosa est iure suo maxime, potissimum vero gallorum russorũ, qui ad motum sint alacres, ad coitum ardentes, ad dimicandum fortes, obesorum ac macrorũ medij, quoque vetustiores, eo magis sunt medicamentosi. Plura Mesues l.2. de medicam. simpl. purgant. dist. 1. cap. 23. Simeon Sethi in Syntagmat. & Auicenna 2.c.296.

Capus. Secunda, Capo, siue Capus, hoc nomine seminarem gallum vocant, quum fuerit castratus, sicuti à M. Varrone lib.2. capite 9 & Columella libro 8. cap.2. de Re rustica traditur. Hic enim in cibis gratior est, vtpote remoto Veneris vsu pinguior atque salubrioris alimenti redditus. Quare cum voluptate assumitur à ventriculo, ac facilius concoquitur.

Turtur: Tertia, Turtur: huius quoque caro cibis annumeranda est nulla omnino ex parte damnandis, qui neque tenues, neq; crassi sunt, sed veluti in συμμετρία, omnisq; excessus mediocritate consistunt. De ea Galenus cap. 7. lib. de attenuante diæta, in hunc scribit modum: Qui non exercetur, mandendæ ei erunt modice non modo gallinæ, sed columbæ etiam, ac turtures, tametsi turtur temperamento est sicco, & potissimũ quæ in montibus degit. itaque vesci quis poterit eis innoxie: recens tamen turtur non modo non est mandenda, sed nec perdix, nec alia omnia quæ carnem habent moderate siccam: sed vbi vnum diem ad minus suspenderis, ita demum mandas licet. Porro palumbes præterquam quod carnem habent columbis & perdicibus & turturibus duriorẽ, difficilem etiã ad coquendum & excre-

crementitiam habent. Perdices vero ac turtures neque durissimas habent carnes, neque concoctu difficiles, neque prauo succo vitiosas: sed & ipsarum durities, si mortuæ vno die asseruentur, facile vincitur, fiuntq; friabiles omnino atque inculpatæ: Alimentũ enim corpori dant laudabile, sanguinẽq; minime viscosum generant, & crassi ac tenuis medium. Proinde quibus salubris cibus curæ est, eos vt arbitror, his vti conuenit. Hæc ille. Plura Galenus in libro de cibis boni & mali succi. c. 5. & Rhazes aphor. lib. 3. aphor. 17.

Quarta, quorundam opinione, Sturnus est, quem ψάρον Græci vocant: auis nigra, albis maculis distincta, magnitudine Merulæ. Eius generi proprium cateruatim volare, & quodam pilæ orbe circumagi, omnibus in medium agmen tendentibus, sicuti ab Aristotele libro 9. c. 26. de historia animalium, & à Plinio lib. 10. c. 24. traditur. Galenus l. 6. c. 10. de sanitate tuenda, inter perdices, attagenas, merulas & turdos, quæ quidem boni succi esse ab omnibus existimantur, sturnos etiam cõmemorat: cum tamen à multis illaudabilis esse alimenti iudicẽtur: quippe qui melancholicum atque vitiosum generent succũ, & cicuta, quæ venenum esse ab omnibus statuitur, vescantur, vt est apud Galenum lib. 1. cap. 2, & li. 3. cap. 37. de simpl. med. fac. Huic obiectioni Aloysius Mundella sic occurrendum putat. Nẽpe Galenum in 6. de sanitate tuenda in calculi renũ vitio sturnos tanquã tenuis alimẽti approbasse, itemque palumbes & passerculos, qui in turribus nidificant, πυργίτας Græci vocant. Vel Sturnos non ita fortasse improbi succi esse, pręsertim iuuenculos, vt vulgus putat: quędam namq; sunt animalia, quæ adhuc in tenella ætate existentia boni sunt succi, vt vituli & hœdi: si vero annosa fiant praui. Hæc enim, vt ait Galenus l. 3. de alim. facult cap. 1. & concoctionis, & boni succi, & nutri-

Sturnus.

tritionis laude carent. Multo autẽ magis Galeno credendum est, quam vulgo ita inconsulte aliquã generalem proferenti sententiã. Neq; etiam quod veneno pascantur, ab horum esu abstinendum est. Nonnulla enim animalia sunt, quæ licet venenis quandoque nutriãtur, boni tamen sunt succi: quemadmodum de sturnis iam commemoratis constat. His enim cicuta nutrimentum est, homini medicamentum, imo etiam venenum. Siquidem sturnorum natura cicutam in substantiam suã vertere potest, quod hominum non potest. Sunt tamen quibus starna hoc loco magis arrideat, vt per eam auis accipiatur grandiuscula, magnitudine anseris, colore cinereo, cujus caro succi sit laudabilis, præsertim iuuenculæ. Atque ita sane Rhazes libro 3. ad Almans. c. 10. intellexisse videtur, vbi hãc reliquo auium generi præferẽs. In hunc prope modum scriptum reliquit: Starnæ caro inter aues leuissima, atque his qui attenuante victus ratione delectantur, conuenientissima inuenitur. Vel per starnã auis forma & magnitudine pusillæ perdicis intelligenda est. Sic Rabbi Moses accepisse videtur, ita ad Iudæos inquiens. Pari modo nec starnę domino nostro conuenire putandæ sunt: quia ventrem constringunt. Sed hanc proprietatem alij ipsis perdicibus adscribunt. Nam carnes earum sicuti à Simeone Sethi, & Rhaze loco paulo ante citato asseritur, ventrem sistunt. Quinetiam Baldachus quidam non contemnendus autor starnas mirifice commendans, tabula 11. de rebus non naturalibus, ita fere scribit: Starnæ, phasianorum, ac perdicum naturæ propinquæ sunt, & secundum ordinem sese in temperamento & subtilitate habent. Præstantissimæ enim sunt starnæ, mox phasiani, deinde perdices, vt quæ reliquis excellentius desiccent. Docet præterea Ioannes Michael Sauonarola, ab harum trium esu abstinen-
dum

dum esse, tum ijs qui quamlibet actionem fortem ac vehementem obeunt, tum sanis etiam: vt si quando morbus aliquis inciderit, habeant quod vltra consuetudinem ad edendum inuitet.

Quinta, Columba, auis vulgo nota, quæ cum biliosam admodum habeat carnem, sanguinem moderato crasſiorem & calidiorem necessario gignit: atque ob id febres nonnunquam facit. Quare in pastillis potius cum aceto aut omphacio & coriandro præparata, quam assa manda est: ita namque exuperantia caliditatis eius ad σομμίτρίαν, commoderationemque reducitur. Renes frigiditate dolentes iuuat, semini genitali & sanguini adijcit, sed caput atq; oculos lædit. Quinetiam leporina caro, si frequẽtius vsurpetur, generare fertur. Non minimum vero reliquis pulli eius volucres tum succi probitate tum concoctionis facilitate præstant. Inuolucres enim calidam ac humidã habent carnem, atque excrementitiam, & maxime domestici. Ex columbis enim, vt Oribasius tradit l. 4. ad Eustathium, c. 1. agrestes domesticis præstantiores sunt, & omnino agrestia domesticis præcellunt. Electiores quoque pulli sunt per Ver, & Autumnum, quam per Æstatem atq; Hyemem exclusi fotique. Porro antiquæ & annosæ non solum columbæ, verum & turtures, tum ob caliditatis & siccitatis excessum, tum vero & coctionis difficultatem vitandæ sunt. Plura Simeon Sethi, in Syntag. Rhazes l. 3. c. 10. ad Alman. Auicenna lib. 2. Cano. cap. 132. & Auerrhoes lib. 5. Collect. cap. 31. *Columb.*

Sexta, Quiscula: vulgare nomẽ à sono fictum Neoterici Qualeã vocant. Latinis (vt Festus ait) dicta est Coturnix, itidem à voce, à qua multis auibus nomina indita sunt, ὄρτυξ à Græcis appellatur. Caro eius, iuxta Auerrhois sentẽtiam *Quiscula* *Coturn.*

temperata est, ad caliditatem tamen paulo propensior, ac tenuis substantiæ optimiq; succi: quare sanis, ac ijs qui conualescunt, alimentum est ad bonam valetudinem accommodatissimum. Verum Psello, Isaaco, atque alijs quibusdam nō aspernandis Medicinæ scriptoribus, Coturnix auis est tum ad concoctionem, tum ad succi bonitatem inhabilis, vt quæ & Veratrum comedat, & morbo comitiali corripiatur. Vnde Auicenna 2. Canon, c.153. ab eius esu suadet abstinendū, quippe quæ tetanum & spasmum inducat. Vbi notandū tamen Auicennā non ob id solum coturnicis cibum improbare, quod helleboro nutriatur, sed etiam quod talis facultas, spasmum ac tetanum generandi, illius insit substantiæ. Hac ratione igitur Galli coturnices cum molli ac pingui caseo pastillatas edere consueuerunt. Potest etiam per coturnicē intelligi alia quædā auis, perdice aliquantulum maior, genis, rostro & pedibus rubenti colore, reliqua vero pennarū facie ad leucophæum vergente, quæ Italorum vulgo Coturnix appellatur: estq; de Alpinarū volucrū genere, & in syluestribus & frigidis locis montibusque versatur & degit, neq; ab Italicis regionibus vnquam recedit. Cuius auium speciei apud veteres fuerit, nondum satis compertum habetur: sed ex gustu, & odoratu, & loci natura, in quo continue commoratur, & ex ijs quibus pascitur (nam illa grati admodum sunt odoris) boni & laudabilis esse alimenti iudicanda est, & propterea in cibis merito expetenba. Quo sane modo Rhazes etiā lib.3.cap.10. Ad Almans. coturnicem accepisse videtur, cum ei secundum post starnam bonitatis locum tribuit. De vtraque coturnice cum plurima, tum cognitu pulcherrima habet Aloysius Mundella epist.6.

Phasian. Septima, Phasianus: quem à Phaside amne apud Colchos, vbi primum cognitus est, ita nūcuparunt. Hæc est decantata omniū libris auis, quā pri-

primam fere in mensis esse iudicāt, propter carnis bonitatem, à qua Medicinæ professores veluti à scopo, de temperamentis ciborum iudicia auspicantur: succi enim probitate & iucunditate longè cæteris antecellit, neq; solum ad victus salubris rationem, verum ad robur quoque conciliandum accommodatissima est. Caro enim iuuenculi ac pinguis conualescentibus & morborum diuturnitate macrefactis optimus cibus est. Sed ob nimiū atq; immensum precium Principū duntaxat atq; magnatū mensis dicata est. Meminit Phasiani Galenus libro 3. de aliment. facult. cap. 18. sic inquiens; Caro Phasianorum, quod ad concoctionem & nutrimentum attinet, gallinis est similis, voluptate tamē in edēdo superat: quin & sicciore constat temperamēto, vt qui in sicciore degat aere, & magis exerceatur. Lege plura de hoc apud Simeonem Sethi, & Rhazē aph. l. 3. aph. 13.

Octaua, Merula: quæ quidem auis est nigro pennarum colore, rostro rutilo, & sturni magnitudine Κόσσυφος à Græcis dicitur. Quanquā vero hæc à Galeno, Oribasio atque Ægineta inter optimi succi alimenta connumeratur, carnē tamen, quam perdicis & attagenis, duriorem obtinet. Quare & ipsa iuuencula ac pinguis mādenda est. Turdi quoque & reliquæ id genus auiculæ montanæ omnes in hanc classem referendæ sūt. *Merula.*

Nona ὀρτυγομήτρα: ea auis est turturis magnitudine, pennarum colore nequicquam à coturnice differens: rostrum longius est & acutius, crura pedesque satis etiam pro ratione corporis longos obtinet, quinetiam frugiuora est & aduena: antequam coturnices haud vspiam audias, neque coturnices te amplius visurum speres, vbi hæc audiri desijt. Vox mirifica est coaxantium ranarum clamori non absimilis, nisi quod subtilior multo & acutior est. Caro eius optimū gignit succum, vbi per diem suspenderis. Gilbertus Lō- *Ortygometra.*

golius in eruditissimo suo de Auibus Dialogo eandem esse putat cum νυχράμω, ὀρτυγομήτρα autem Græcis dicta est, quasi coturnicũ matrix, quod coturnicibus per maria terrasque aduolantibus dux & rex itineris esse soleat, ob ὄρτυξ, id est, coturnix, & μήτρα, id est, matrix. Plura Aristoteles libro 8. capite 12. de historia animal. Plinius libro 10. cap. 23. natural. histor. Solinus capite 18. & Athenæus lib. 9. deipnosophist.

Perdix. Decima, Perdix: huius quoque caro medij ferè temperamenti est, & concoctu facilis, probũque succum gignit, præsertim si non illico post occisionem, sed vnum ad minus diem suspensa comedatur. Sic enim quod durum in se continet, abijcit, & friabilis redditur; quemadmodum ex Galeno paulo ante ostensum est. Sanguinem copiosum ac tenuem generat, adeoq; crassiorem, si forte in corpore inuenerit, extenuat: idque alæ potissimum præstant: quæ vt in reliquo auium genere, ita in hoc quoq; facilius concoquuntur. Et vno verbo optimæ quidem alæ sunt auium iuuenum saginatarum, pessimæ vero macilentarum & antiquarum. Alimentum autem perdicũ optimum est ijs qui se non exercent, & qui vitam degunt otiosam, quiq; imbecilliores & inualidi sunt, tum etiam attenuanti victus rationi assuetis, & hydropicis, quique humido sunt ventriculo: vitiosos enim & corruptos ipsius humores consumit atq; abstergit: memoriam assidue mansa corroborat, impinguat, semen auget, & ventrem stimulat, sed eundẽ cohibet: vnde accommodatissimũ diarrhœa laborantibus fit edulium, si assa cum aceto ingeratur. Medulla cũ vino præsumpta ictericos sanat. Iecur comitiali morbo correptis auxilio est. Fel quoq; suffusionibus oculorũ à principio mirifice prodest: facit & ad ipsorũ hebetudinẽ. Si tempora singulis mensibus

bus eodem felle perungantur, memoriæ confert. Plura Galenus l.3. cap.18. de alim. facult. & l.8.c. 2. meth. medend. & Simeon Sethi in Syntag.

Vndecima: Frigellus: Ea ex turdorum genere auis est, cuius Aristoteles lib.9. capite 10. de historia animal. tres cōstituit species. Vna visciuora, quæ nisi visco & resina non vescitur, & magnitudine paulo minor quam pica est: altera pilaris, quæ sonum edit acutum, & magnitudine merulæ est. tertia. quam iliacam vocant nonnulli, minima inter has, minusq; maculis distincta, de qua sane intelligenda sunt, quæ de frigello hoc loco dicuntur. Hæc vtrinque iuxta oculos, & in pectore & in ipso alæ flexu, intus & foris maculas habet latiusculas, rubras. Primum genus non nisi hyeme apud nos cernitur, aut si videatur, rarum est. Secundum per totum annum apparet, maculoso valde pectore, & cantus sui gratia à multis in caueis alitur. Tertium per æstatem apud nos nusquā videtur, sed vindemiæ tempore atque instante hyeme primum cernitur, adeoque ob id frigellus, nempe quod aduentu suo frigus instare prænunciet nominatur. In vineis potissimum reperitur ac dulcium vuarum esu sæpius inebriatur, velociter volat: & optimi est succi: præsertim circa festum Omnium sanctorum. Lege Gulielmum Turnerum in libello de Auibus. *Frigellus.*

Duodecima, Otis: quæ & ipsa in cibis gratissima atque optimi succi est, nempe ex syluestrium gallinarum genere, Perdicum similis: sed obesitate corporisque pondere parum se alis attollit: quapropter canibus se obnoxiam quodammodo cognoscens, ad eorum latratum extemplo proripit sese latitans inter frutices. Lege Ælianum & Oppianum. Gilbertus Len. eam esse adserit, quā bonosam vulgo nuncupant: de qua Galenus li.3. de alim. facult. c. 19. & Athenæus li. 9. deipnoso. Sunt tamen quibus orex hoc loco magis placeat, vt gallina phasiani per eam accipiatur. Alij vero *Tremuli.*

gallinam aquaticam interpretantur. Siue igitur gallina sit aquatica, siue phasiani, caro eius bonum gignit succum.

Decimatertia, Tremulus quæ quidem auis est fusco pennarum colore, magnitudine quam gallina minor, velocissimi volatus, alte vociferãs ac clamosa, in cuius capite crista plumea, ex earum auium genere quas σεισοπυγίδας Græci vocant: caudam enim, cum pedibus incedit, assidue quatit, & ob id tremulus vocatur. semper ferè iuxta maria versatur: ne quis paruam illam auiculam longæ caudæ, quæ codatremula vulgo siue motacilla dicitur, per tremulum hoc loco intelligendum putet. Huc etiam referri posset (si non eadem est) auis quædam cornice minor, plumis fere viridibus & nigris per totum dorsum, caput & collum: ventre albo, longa & semper erecta in capite crista plumea, alis obtusioribus & inter volandum magnum strepitum edentibus, vnde & vanellus à barbaris dicitur, clamosa admodum & querula: quæ aquis vermium gratia, quibus solis victitat, appropinquat, sed ipsas non ingreditur, in planis & locis circa consitis plurimum degit.

Amarel. Decima quarta, Amarellus auis aquatica, forma perinde ac anas, sed minor, ab Aristotele libro 8. cap. 3. de histor. animal. βόσκα appellatur. Illud porro nosse in vniuersum expedit, quod præstantius alimentũ ab ijs sumatur auibus, quæ volatu magis nituntur, celeriusque volant. Et quemadmodũ prædictarum auium caro concoctu facilis & ad bonam valetudinem accõmodatissima, sic è diuerso quarundam excremẽtitia est ac mali succi, multoque ad coquendum difficilior atque inæqualis temperamenti: eiusmodi in primis existit pauonum, anserum, gruum, ardearũ, & quotquot oblongum habent collum ac rostrum,

ſtrum, inque paludibus nutriuntur. Huc, quod ad ſucci prauitatem attinet, paſſeres etiam referēdi ſunt, qui in turribus nidificant, pyrgitæ appellati: nam & calidiſſimi ſunt, & lōgius à temperamento recedunt, ac durius alimentum dant, Veneremq; impenſius ſtimulant. Circa electionem verò alimenti, quod ab auium genere ſumitur, ſciēdum eſt, iuxta diuerſas præſtantioris alimenti proprietates (ſi eius quod nutritur ſanitatem vel robur ſpectes) carnes varie laudari. Sic Galenus ad facilem concoctionem & ſubtilitatē reſpiciens, bonitatis palmam perdicibus attribuit. Rhazes & Iſaacus ob leuitatem & ſubtilitatem ſtarnam prętulerunt. Idem quoq; Iſaacus diuerſa ductus ratione diuerſarum auium carnes laudauit. Auicenna turturis carnem, quod mentis aciem atque intellectum roboret, mirifice commēdat. Auium porro omnium volucriū genus pauciſſimum prętat alimentū, ſi ad genus greſsilium conferatur, potiſſimum ſi ad ſuillam, qua nō aliud inuenias quod copioſioris ſit nutrimenti: volucrium tamen caro ad coquendum eſt facilior: quare ijs, qui neglecto corporis exercitio, conſilijs potiſſimum & ſtudijs ac contemplationi vacant, conuenientiſſima eſt, præcipue perdicis, attagenis, columbæ, galli gallinacei & gallinę, quēadmodum lib.3. de aliment. facult. ca.18. Gal. teſtatur. Sanguinem enim procreat clarum atque mundum, & ſpiritum generationi ac mentis exercitijs & intellectui aptiſſimum. Siccius namq; alimentum, quale dictarum auium eſt, ſtudio contemplationiq; intentis conuenit. Siccitas enim prudentiæ familiaris eſt, ſicuti luculenter & perſpicue docuit Galenus in libro, cui titulus, Quod animi mores corporis temperaturam ſequantur, cap.5. Lege plura apud eundem lib.8. ca. 2. method. medendi, & in libro de attenuante diæta, capite 6. De Attagene pulcherrima quædā

& scitu dignissima Gilbertus Longolius in Dialogo de auibus prodidit.

DE PISCIBVS.

CAPVT XXX.

SI pisces molles sunt, magno corpore tolles:
Si pisces duri, parui sunt plus valituri.

Hic duæ traduntur laudabilium pisciũ notæ. Pisces enim aut dura carne suapte natura sunt, aut molli. Ex his igitur qui molles sunt, vetuli iunioribus præstant. Carnis namq; mollities pro modo humiditatis respondet, quę crudior in nouello pisce, in vetulo vero concoctior existit. Quare nouelli pisces lento ac pituitoso succo magis quam vetuli abundant. Atq; hac ratione nonnulli anguillam etiam vetulam iuniori præferunt. Ex ijs vero qui dura carne præditi sunt, iuniores longe præstantiores & concoctu faciliores habentur. eiusmodi porro lucij cumprimis sunt & percæ. Carnis enim durities concoctioni resistit. Quæ sane sententia ex 2. Cano. capite 553. Auicennæ desumpta est, vbi sic ferme scriptum reliquit. Ex piscibus dura carne præditis eligendi sunt minores, ex molli vero maiores ad terminum aliquem. Plura Galenus li. 3. de alim. facult. c. 29. & 30.

Lucius & percæ, & saxatilis, albica, tencha,
Gornus, plagitia, & cum carpa galbio, truta.

Hic decem recensentur pisces, quorum alimentum hominum corporibus saluberrimum esse putatur.

Lucius. Primus, Lucius est, piscis vulgo notus, qui quod non modo in alterius, sed suæ etiam speciei pisces grassetur, tyranni appellationem vulgato versiculo sortitus est:

Lucius est piscis, rex atq; tyrannus aquarum,
Natatu velox ac duræ carnis est, sed omniũ Medicorũ iudicio εὔπεπτος, atq; optimi succi.

Secundus, Perca: qui branchijs subrufus est, dorso spinis armatus, vnde ἀκανθοστιφῆ εἶναι καὶ ποικιλόχροια ex Aristot. Athenæus scribit lib. δειπνοσοφ. 7. Duræ quoque carnis est, & vulgo cognitus. Porro alimentum quod ex eo sumitur, non modo ad coquendum est facile, sed gustui etiam gratum atq; hominum corporibus saluberrimum, vt quod sanguinem medium consistentia generet, supra cap. 9. Vnde maximo in precio hic piscis semper est habitus. Ausonius in Mosella sic de eo canit: *Perca.*

Nec te delicias mensarum Perca silebo,
Amnigenos inter pisces dignante marinis.

Quanquam certè τὸ πέρκη antiquissimis etiam Græcorum vsitatum sit, reperiuntur tamen quibus per ἀντίφρασιν, quod nulli piscium parcat, à parcendo sic dictus esse videatur: vt qui iratus alios pisces pinnis suis quas supra dorsum habet vulneret. Qua ratione à Lucio quoque immunis est; imo, vt Albertus refert, naturalis quędam lucio cum perca amicitia est. Læsus enim Lucius non tam facile à quouis alium piscium sanatur, quam à perca.

Solum igitur liquidis percam laceratus in vndis
Vestigat, lustrans, solum hunc medicamina poscit.

Qui sic inuentus vulnera eius tangendo lenit atque sanat.

Tertius, Saxatilis; quo quidem nomine piscis à nonnullis hoc loco accipitur ex eorum numero, qui parui perpetuo manent: cuius alimentum (licet squamis careat) ad voluptatem, coctionem simul ac distributionẽ, & succi bonita- *Saxatilis.*

tem

tem pręstantissimum est. Multos tamen inuenias quibus, Saxaulus potius, siue Saxaulis hic legendum esse videatur, vt hoc nomine ex planorum piscium genere eum intelligamus, qui βούγλωττος. καὶ βούγλωσσος à Græcis dictus hodie γλῶττα, nuncupatur: à Varrone & Plauto lingulaca, à linguæ figura, quæ Græcis est γλῶττα, cui βου particula addita est, vt magnitudinem potius, quam bubulæ linguæ figuram significet: à Plinio Solea, itemque ab Ouidio in Halientico.

Saxaulus

Fulgentes Solea candore, & concolor illis
Passer.

A figura soleæ, quæ solo pedis subijcitur. Hic vero inter marinos pisces alimenti est haudquaquam contemnendi. Galenus lib. 3. de facult. c. 29 similes quodammodo inter se esse Passerem & Soleam scribit, non tamen omnino eiusdem esse speciei: Soleam enim molliorem esse, ciboq; suauiorem, ac in totum Passere præstantiorem. Suauitate quidem, alimenti copia, succi bonitate solea præstantior est: ac carne duriore solidioreque esse experientia sensusque conuincunt. Plura Guliel. Rondeletius lib. 11. cap. 11. de piscibus marinis.

Albica.

Quartus, Albica, qui & ipse marinus, reponendus in numerum sale conditorum, & in fumo deinde vel in aere exsiccatorum, qui deinde baculo ante cocturam contunduntur. Albica autē ex eo dictus videtur, quod molli, humida atque candida admodum sit carne. Italis Mollo à carnis mollitie, Gallis merlus. Asellus est veterum vel ei omnino cognatus ex Gesneri sententia, & pro bono gratoq; cibo habetur.

Tencha.
Tinea.

Quintus, Tinea, vel tencha: piscis aquæ dulcis notus pelle lubrica, muccosa, ad nigredinem tēdente, ac carne dura: vnde ab his tribus, nempe lucio, perca & tinea post coctionem pellis auferri

solet

solet. Auso. in Mosell. vulgi solatium vocat, quod pauperibus tantum apponatur. Excrementitius est & totus lutosus.

Sextus, Gornus, gornatus, siue gurnadus: piscis marinus albus: atq; minimus, medij digiti longitudinem non excedens, vna cum capite ac spinis manditur. *Gornus.*

Septimus, Plagitia: piscis marinus planorũ generi subijciendus, rhombo figura similis, sed cõtractior, lingulaca latior. Hic piscis supina parte albicat, prona fuscus est & terrei coloris, instar passerum auium, vnde à Latinis passer etiam dicitur, à Græcis ψῆττα Gulielmus Rondeletius lib. 11. c. 7. *Plagitia.*

Octauus, Carpa, siuè Carpio: Cyprinus quorundã opinione: piscis fluuiatilis notus, squamosus. Huius caro excrementitia est ac muccosa, quare, à magnatibus in vino decoquitur, ita namque, multo quam antea præstantior euadit: quicquid enim muccosum aut virosum gustu refert, id totum deponit. *Carpa.*

Nonus, Galbio: piscis marinus notus, cartilagineus, corpore tenui & in amplissimas alas expanso, raia Latine dicitur, & à quibusdam rochetus, siue rochus, à Græcis βάτος κ, βατὶς. à rubi, quem βάτον vocant, similitudine. Quemadmodum enim spinosus est aculeatusque rubus, ita raia omnis aculeis aspera, non quidem toto corpore, sunt enim λειόβατοι, id est, leues raræ quib. nulli sunt in corpore aculei: sed siue læues sint raiæ, siue asperę, omnes vncos aculeos in cauda gestant, sicuti in rubro, cynosbato & rosis cernuntur. Piscis est duræ carnis, concoctu difficilis, sed alimenti firmi & sani. Vide Gulielmum Rõdeletium libro 12. cap. 3. Nonnulli Galbionẽ referunt baculo cõtundi in solidorum pisciũ classem, vt eum hoc nomine intelligamus, qui & ipse duræ carnis est ac sanus. Alij textus habent Gobio, *Galbio.*

bio, de quo Galenus li.3. de aliment. facult. c. 28. Gobio, inquit, littoralis est piscis, ex eorum numero, qui parui perpetuo manent, suauissimus ac concoctu facillimus, simulq; ad distributionem & succi bonitatem optime comparatus, Gallice Gonion.

Truta. Decimus, Truta: Hic omnium, qui in dulcibus aquis generantur piscium, æquali cunctarũ gentium iudicio longe nobilissimus habetur. Varius admodum est, purpureis guttis siue maculis totum dorsum speciosè pingentibus, carne interius rubra, quemadmodum in salmone etiam conspicitur, vt procul dubio is piscis sit, qui Ausonio in Mosella salar vocatur, cum dicit:

Purpureisq; Salar stellatus tergora guttis.

Celebratur apud homines, tanquam voluptate cibos reliquos superet: Carnem habet valde friabilem, vt in qua nihil neque lentoris neque pinguedinis insit: quo fit vt alimentum quod ex eo sumitur, hominum etiam corporibus saluberrimum esse censeatur. Huc quod ad succi bonitatem attinet, aschiæ etiam & auratæ referendi sunt. Porro Truta Gallicum est: nam vulgo Truitte vocant. verum hactenus singulatim de piscibus: nunc generatim etiam atque vniuersè nonnihil de præstantia ipsorum dicemus.

Piscium electio. Sciendum igitur imprimis, alimentum quod ex piscibus prouenit, quemadmodum id ipsum libro 3. capite 25. de aliment. facult. Galenus attestatur, sanguinem gignere consistentia tenuiorem, quam quod ex pedestribus animalibus sumitur, adeo vt non affluenter nutriat, & celerius discutiatur: magis tamen excremẽtitiũ est. Phlegmatici enim, id est, frigidioris humidiorisque temperamenti sunt pisces. Ob eandẽ tamen causam quidã ipsos concoctu difficiles esse ac tardi transitus censuerunt: quippe ratione frigiditatis lenti etiam sunt, atque diutius ob id ventriculo immorantur, & concoctioni repugnant: quo fit

vt sæpius corrumpantur, & putrescendo sitim generent. Carnium itaque laudabilium alimentum hoc nomine quam piscium salubrius est.

Secundo vero hoc etiam sciendum: nempe pelagicos, hoc est, marinos (modo cæteræ bonæ notæ consentiant) in victus salubris ratione, quam qui in aquis dulcibus nati sunt, esse meliores. Alimentum enim quod præstant, minus excremẽtitium est, & carnium naturæ propinquius. At vero cum pelagici (cæteris paribus) quam fluuiatiles sint carne duriore, consentaneum est eosdẽ difficilius etiam concoqui & resolui, ac magis nutrire, sanguinemque gignere puriorem. Ægris tamen ob concoctricis facultatis imbecillitatem fluuiatiles accommodatiores sunt.

Tertio, sciendum ex piscibus tam marinis, quã fluuiatilibus eligendos esse, qui carne sint minimum muccosa aut lenta; sed alba, suaui, subtili, friabili, odorata, quæ tarde putrescat: & qui non degunt in paludibus lacubusque atque id genus locis limosis ac sordidis, nec in aquis limosas herbas & mali succi radices habentibus. Pessimã enim habẽt carnem qui in eiusmodi locis degũt.

Eligendi vero non admodum iuuenes, neque prægrandes, neq; pinguedine multa respersi, sed vt in suo genere carnosi, ita & celerrimi cursus.

Ex marinis præstantiores habentur, qui in fluminibus longius à mari distantibus capiuntur vtique si cæteræ laudabilium piscium notæ non abfuerint. Iisdẽ quoq; notis cõsentientibus, quãto spinis adnatis ac squamis horridiores fuerint, tanto præstantiores etiam esse par est. Spinarum enim & squãmarum multitudo substantiæ puritatem arguit. Præterea optimi sunt ex pelagicis, qui viuunt in mari puro ac profundiore, ventorumq; procellis magis agitato, & quod fluuios multos & magnos excipit. Quare in mari Pontico & Balthico nutriti ijs præstant, qui in Mortuo siue Meridionali capiuntur.

Eorum autem qui in fluuijs gignūtur, salubriores sunt qui in ijs gignuntur, in quibus aqua rapide fluit, ac copiosa est. Ex quibus iam dictis liquido constat, qui piscium probi maliue censeri debeant.

Cetacei enim ac bestiales, cuiusmodi porcus & canis marinus, delphinus, & morhua potissimū habentur, cum laudabilium piscium notis, nimirum abledine, subtilitate, ac friabilitate careāt, in cibo sunt prorsus iniucundi, & ad coquēdum difficiles, exiguumque boni quidem alimenti, excrementi autem plurimum reddunt, & præsertim recentes. Quare mirum non est, si prauum succum in eorum corporibus, qui quotidie illis vescuntur, congerant. Attamē eos si quando meliorum non suppetēte copia, edere cogamur, magnopere cauendum, ne illico à captu ingerantur, sed seruandi sunt per dies aliquot, dum caro eorum mollescat, adeoq; citra substantiæ corruptionem tenerescat. Id quod fieri solet, vbi leuiter sale cōspersi fuerint: quomodo sapidiores etiam ac multo quam ante pręstantiores euadūt, libro 3. de alim. facult. c. 24. & 40. Gal. autor est. Quicquid enim muccosum aut virosum gustu referūt id totum deponunt.

Ex piscibus marinis Raia & Gornus in laudabilium classe censentur: carnem enim habent consistentia purissimam. Deinde vero Passer & Solea quorum tamen caro lentior est, minusq; tum alba, tum friabilis, & crassior, sapore etiam atq; odore minus commendabilis. Merlango tamen, siue merlano, quem ἀφύην Græci vocant, secūdus forte à raia deberetur locus; minore .n. participat crassitie ac lentore, quā passer & solea & substantia vtcunque friabilis est: sed si odorem, saporem, colorem, substantiæ puritatem & mollitiem spectes, bonitate nonnihil à gor-

orno ac raia deficere videbitur. Idem de harẽ-
o iudicium est·Morhua iuuenis, bonitate præ-
ictis satis propinquat, sed si diligentius ad præ-
criptas laudabilium,pisciũ notas exigatur, craſ-
ior multo atque lentior inuenietur. Salmones
utem rhõbi,(vulgo Gallorum turboti) scõbri,
ulgo maquerelli siue macrelli longe à reliquis
onitate deficiunt:sunt enim multo craſsiores,
nagisque lenti,& concoctu difficiliores, neque
ompetunt nisi vehementiore exercitio fatiga-
is;robustis ac iuuenibus, idque magis etiam si
uid salsedinis ipsis cõmisceatur,quo lẽtor,craſ-
ties,& frigiditas eorũ remittãtur ac cortigãtur.
Ex piscibus autem aquæ dulcis.Lucius & Perca
nediocres laudatiſſimi sunt,præsertim si præter
ictas bonitatis notas pinguedinis non omnino
xpertes fuerint Secundum post illos locũ obti-
et Vendosia:carnem tamen habet non perinde
lbam,subtilem,& friabilem,sæpiusque in stag-
is,quam fluuijs reperitur.

Illud porro summatim noſſe etiam expedit,
uod pisces fluuiatiles,modo cętera consentiant,
um ad bonos humores gignendos, tum etiam
d gustus ipsius voluptatem cæteris multo sint
rættantiores,si in aqua profunda,petrosa aut aſ-
era ad Boream spectante, ac rapide fluente de-
ant:præsertim si vrbis alicuius ampliſſimæ, la-
rinarum, balneorum,culinarumque loturæ &
urgamenta in illam non defluant, neque vestes
x alia eiusdem generis in ea abluantur. Multo
ero magis,si præterea & herbarum ac bonarum
adicum copia abundet. Cancri vero tam mari-
ni quam fluuitiales,sicuti lib.3. de aliment. fa-
ult.cap. 33. à Galeno traditur, dura in totum
arne constant, ideoque & ad coquendum sunt
ifficiles,& firmi alimenti, ægre tamen in ven-
riculo corrumpuntur.

In piscibus quoque id communiter memoria
enere oportet quod recentes valde nutriant, &
hume-

humectent, mammas lacte repleant, semen prolificum suppeditent, adeoque venerem excitent, & biliosis corporibus sint accômodatissimi. Cæterum abstinendum ab ipsorum esu post quamlibet actionem fortem ac vehementem: qui nãque id temporis ingeruntur, eos & male concoqui, & dũ in iecur ac venas distribuũtur, succum generare crudum, qui non facile in probum sanguinem mutetur, à ratione alienum nõ est. Præterea vero cum hæc ipsorum etiam natura sit, vt tardius pertranseant, cura nõ minima adhibenda est, ne in ventriculum incidant debilem aut prauis succis vitiatum: quippe qui tum non belle concoquantur, & facilius fere vna cum alijs in ventriculo existentibus corrumpantur. Neque item vna cum carnibus, aut lacticinijs, neque summo post alios cibos loco, si quid Auicennæ credimus, edendi sunt.

Postremo vero hoc etiã sciendum, quod crassioris succi pisces infra mediocritatem saliti, recentibus sunt præferendi. Verum recens saliti, Galeno l.3. de aliment. facult c.24. teste, iam diu salitis sunt meliores. Pisces etiam laudabiles exiguo sale conspersi atque moderate sumpti, appetentiam, si quis eis delectetur, reuocant, & roborant.

DE ANGVILLA, ET NONnihil etiam de Caseo.

CAPVT XXXI.

Vocibus anguillæ praua sunt, si comedantur.
Qui Physicen non ignorant hæc testificãtur.
Caseus, anguilla, nimis obsunt, si comedantur.
Ne tu sæpe bibas, & rebibendo bibas.

Anguill. Anguillam vocibus nocere hoc in loco traditur, idque rationibus tum medicis, tum philosophicis comprobatur. Limosus enim piscis est, crassique & lenti succi, obstructiones facit, longius-

giusque à memoratis paulo ante probi piscis indicijs recedit. quod Galenus etiam in libro de cibis boni & mali succi, cap. 15. in hunc modum scribens attestatur. Anguillæ nunquā boni succi sunt, tametsi puro in humore versentur, nedū in eo qui vrbium sordes & purgamēta in se recipit. Idem fere & in 1. de attenuante diæta, c. 6. confirmare videtur. Anguillæ, inquiens, & mollium pars maxima, tametsi carnē habent mollē, quod tamen succo lento & pituitoso abundant, ijs qui salubri victus ratione vti volunt, plurimum est noxia. Pari modo de mustellis quoque, quæ vulgato iā nomine lampetræ dicūtur, sentiendū est. Nam & ipsæ nihilo secius quam anguillæ plurimum crassi succi gignunt: tametsi paruulæ lampetræ nō perinde malæ & periculosæ sint. Minore enim, vt sensus ipse iudex est, crassitie & lentore participant. Quo fit vt hi pisces, licet non ingratum ori saporem offerant (quod salua tamen eorum reuerentia dictum velim, qui in eorum vsu diu perseuerant) admodum sint periculosi. Siquidem generatio eorum in aquis, serpentum generationi in terris respondet, non sine veneni suspicione. Vnde etiam M. Varroni l. 4. de lingua latina nomen habent, quod anguibus adsimilētur. Atque hac certe ratione capita & cauda, ac similiter interior spina, vt quæ venenum in se cōtineant, nullo modo edenda sunt. Conueniēs autem erit ob succi crassitiem ac lentorem vt in optimo vino immersæ necentur, atque cum iusculo deinde optimarum specierū, sicuti ab Apitianæ scholę sectatoribus solēt, pręparētur: ac primo quidē duabus ebullitionibus in vino & aqua præbulliant, illisq; reiectis tandem ad perfectionem coquantur. Vel gelu inde in patina fiat, vel pastillatura, vel assatura, idq; cum salsamēto cōpetente: in hyeme quidē cum salsamento viridi, fortibus speciebus, & vino: in æstate vero cū debilibus speciebus, omphacio & aceto. Cōmodius *Anguillæ coctio.*

tamen

tamen ab eiuſmodi piſcium eſu abſtinetur. Stomacho enim & renibus ſunt inimici: ſed præcipuũ ſentiunt nocumentum ex eorum obſonijs qui arenulas mingere conſueuerunt, quoniam illæ anguillari glutino in calculos cogi & adſtringi videãtur. Podagra quoq; laborãtibus manifeſte officiunt, nec vllis morbis medentur, ſic vt inique natura feciſſe videatur, quæ tã ſuauem refutandis expuendiſque piſcibus indiderit ſaporem. Medici omni ex loco omnique tempore, & præſertim circa ſolſtitiũ anguillas deteſtãtur.

Anguillæ eſus calculoſis noxius.

Sequitur deinde, caſeum atq; anguillas plurimũ nocere ſi comedantur: quod ſane de iis quæ magna mole ingeruntur, intelligendũ eſt. Cauſę quidem de caſeo ſupra cap. 7. de anguillis vero in præſenti capite habentur.

Poſtremo loco hoc etiam adſeritur, nẽpe prauitatem eorum vberiore ac frequẽtiore vini potu corrigi atque emendari: quod minime tamen de vino ſubtili ac penetrante, neque item de eo quod in potus delatiui vicem ſubſtituitur, intelligendum eſt. Tale namq; cum cibis mali ſucci bibendũ non eſt, quemadmodum 3.1. doct. 2. c. 8. Auicenna ſic ferme ſcribens diligenter admodũ monuit. Neq; vero cum cibis praui ſucci, nec antequã illi conficiantur, neq; ab eorundẽ concoctione vinũ protinus bibendum eſt: quippe quod mali chymi cibos in omnia ſtatim corporis exteriora mẽbra, quo fortaſſe citra vini adminiculũ minime penetraſſent, non ſine ſanitatis diſpẽdio ſecũ trahat. Intelligendum igitur de vino forti, non admodum penetrante, quod ſępius atq; modice commodæ ciborũ permiſtionis gratia ſumitur: Hoc enim prauitatem eorum corrigit, cõcoctoriam facultatem roborat, frigidoſque & phlegmaticos humores concoquendo benignos reddit: quo fit vt ad caſei atque anguillarum, quæ ægre admodum conficiuntur, concoctionem non parum proficiat.

Cæterum neque illud silentio hoc loco inuoluendum, nempe vinum non in anguillarum modò. sed quorumlibet etiam piscium esu exhibendum: quippe frigidioris humidiorisque temperamenti sunt omnes, adeoque difficilius ob id ipsum conficiuntur, tardiusque transeunt: vino igitur sæpius ac modicè sumpto facilè emendantur, adque συμμετρίαν perducuntur. Hinc nō temere hactenus hoc vsurpatum est. Ex piscibus viuos quidem aqua foueri, mortuos vero vino condiri oportere.

DE CIBI POTVSQVE IN prandio atque cœna permistione, siue alteratione,

CAPVT XXXII.

INter prandendum sit sæpè parumque bibendū.
Si sumas ouum molle sit atque nouum.

Hic duo traduntur præcepta.

Primum de cibi potusque in prandio atque cœna permistione siue alteratione. Inter prandēdum namque cœnandumue inuicem modò edēdum, modo bibendum est, ac ne id quidem large & copiose, sed sæpe potius & parce. Neque enim iumenta nobis in hoc imitanda sunt, quæ tum demum bibunt cum cibo exsaturata fuerint: sed potio subinde interponenda est, quoniam cibus permistione potionis mollior redditus per membra nutritioni deseruientia facilius peruehitur.

Atque hic notandum, triplicem à Medicis constitui potum: ac primum quidem permixtiuum vocari, quod vna nimirum cum cibis ingeratur; alterum delatiuum, quod concoctione in ventre iam confecta & absoluta, in hepate vero inchoata, vt cibi penetrationem adiuuet, exhibeatur: tertium vero sitis sedatiuum, quo in explenda siti vtimur. Quæ igitur de potu hoc loco traduntur ea de permixtiuo accipienda sunt. Hic enim interponi sæpius ac permisceri cibis debet

Potus triplex.

Permixtiuus.

neque ad finem prandij vel cœnæ, siue dum sitis vrgeat (saluo tamen aliorum iudicio) differendus est. Imo vero crebrius etiam ab illis assumi debet, qui cibis actu vel potentia siccioribus vescuntur, quique vehementius sese atque immoderatius exercendo siccum panem vorant, non tamen copiose, ne concoctio impediatur. Simile enim quiddam succederet, quale aquam in lebetem feruentem sæpius large & copiose infundentibus solet: quippe caloris vis in coquendo hebetaretur.

sedatiuus Sitis autem sedatiuus potus circa prandij vel cœnæ finem natura congruere magis videtur: tunc enim ob calidi siccique cibi æstuationem vera sitis vrget. Namque verisimile non est eodem ac breui temporis momento infestari naturam esurie sitique simul, eo quod hæc irritetur à calore, illa stimuletur à frigore interno. Estque hic potus augendus, vel minuendus prout ipsa sitis expostulat.

delatiuus. Atque delatiuus prima coctione iam peracta, atque etiam paulo ante quam aliud quippiam editur propinandus est: præsertim cum prius ingestus cibus consistentia fuerit crassior: neque differendus est, dum sitis oboriatuur. Ventriculum enim ad reliquum suscipiendũ cibum reddit expeditiorem, ac eorum etiam quæ in ventriculo continentur distributionem ad hepar plurimum iuuat. Non tamen immoderatius eo abutendum est, vt maturè concoqui possit. Siquidem inconcoctus ad hepar non transit. Quod verum vtique erit, si in delatiui locum non substituatur aqua. In illa enim necesse non est vt concoctio expectetur, priusquam ad hepar transmeet. Rationabiliter vero in potu delatiuo, ceu etiam in permixtiuo, non aqua, sed vinum propinari debet, aut aliud quidpiam, quod vino sit ἀνάλογον veluti ceruisia μελίκρατον, aut ex cerasis vel malis, aut simili quopiam fructus genere

con-

confectæ potiones: quibus tamen omnibus vinum est præferendum. Facilem enim efficit alimenti in omnia membra distributionē: vnde nō inepte ὄχημα τῆς τροφῆς ab Hippocrate nūcupatur, vt copiose admodum supra capite 15. & 27. ostendimus.

Sed quia de commoda cibi potusque permistione satis iam diximus, illud minime omittendum est, quod nonnullis vt rectum placere video, nempe vt iuxta crassiorem, ficciorem & frigidiorem cibum de vtroque potu tam delatiuo, quam permixtiuo largius assumamus: & vt rursus circa calidiorem, subtiliorem atque humidiorē, parcius. Et iterum vt vinum subtile valensque cum cibo natura crasso, duro ac frigido bibamus; & è diuerso calidioribus concoctionique magis parentibus cibis vinum debilius adiungamus. Quæ ratio si stabit, valentiore vino iuxta carnem vtemur bubulam, quam pullorum gallinaceorum: itemque iuxta pisces, quam carnes animalium terrestrium.

Secundum, præceptum de ouis erat, nempe vt recentia ac mollia ingeramus, cuius ratio reddita est supra, cap. 8.

DE PISIS
CAPVT XXXIII.

Pisum laudandum nunc sumpsimus ac reprobandum.
Est inflatiuum cum pellibus, atque nociuum.
Pellibus ablatis, sunt bona pisa satis.

Inquisitione dignum videtur, quod de pisis hoc loco traditur, nempe ipsa laudem mereri quandoque, nonnunquam vero & vituperium. Vbi scire ante omnia conuenit ipsa duas habere facultates, adstrictoriam nimirum, & purgatoriā: quarum hæc certe in ipsorum velut carne est, illa vero in corticibus. Laudātur igitur quę adempto

cortice manduntur: culpantur quæ non decorticata ingeruntur. Priore enim modo sumpta, vt in diætis vniuersalibus Isaacus id ipsum confirmat, ventrem subducunt: altero vero magis condensant & adstringunt, plurimumq; flatulenti spiritus pariunt, ita vt pugna quædam ac tormina in intestinis excitentur, purgatoria quidem facultate succum excernere volente, adstrictoria vero retinente: hincq; intus affligitur natura, ab vtroque horum diuexata. Porro si pisa cortice spoliata mandantur, tunc purgatoriæ actioni maxime cōferunt. Quod de pisis hic dicitur, idem de omnib. ferme leguminib., puta fabis, lentibus, phaseolis & si qua sunt similia, præcipue tamen corticem habentibus crassiorem, vt de fabis & ciceribus nigris, intelligendum est. Hac namque ratione legumina omnia, quemadmodum lib 4. de vict. rat. in morb acut. aphoris. 93. Hipocrates attestatur, flatuosa sunt, & cruda, & cocta, & fricta, & macerata, & viridia. Cortex præterea in omnibus peiorem generat succum, quam quæ ipsorum velut caro est. In pisorum genere reperiuntur quædam alba & rotunda, cortice tenui leui ac fragili, quæ tametsi vna cum corticibus innoxie mandi queant, præstat tamen vt decorticentur. Legumina viridia adhuc & nondum exacte matura valde tenuem habent corticem, ac minus ipsis discrimen inest, quoad corticem saltem & carnem, attinet, faciliusque concoquuntur: quare ea nonnulli sanis corporibus, quam matura atque exsiccata magis conuenire arbitrati sunt: quod tamen à veritate alienum videtur. Nam ea admodū esse excrementitiæ substantiæ & corruptioni magis obnoxiæ constat: quo fit vt à sanis non vsquequaque citra noxam sumi queant. Hoc tamen negari non potest, quod matura & exsiccata cum ab extimis corticibus purgata fuerint, ad victus salubris rationem, quam recentia non decorticata accommodatiora sint: & è diuerso viri-
dia

dia, quam exsiccata cortice non spoliata. Porro cum omnium leguminum substantia inflet, concoctioni renitatur, crassique & praui succi alimentum in corpus diffundat: merito à victus salubris ratione excluditur. Brodium tamen siue iusculum eorum, eo quod flatum cum omni & alimenti & concoctionis prauitate deponat, ventrem subducat, vrinam cieat, venarum atque viscerum obstructiones amoliatur, adeoque ad vasorum etiam, quæ colatoria vulgo vocantur, nempe hepatis, renum & vesicæ emundationem sit efficacissimũ, non parum commoditatis in victus salubris ratione habere dignoscitur. Cuius proinde vsum ieiuniorum tempore, quando crassis atque obstruentibus vtimur cibis, frequentiorem esse conuenit. Multiplex porro ac varius hominibus leguminum vsus esse solet: Nonnulli enim cum salsis carnibus esitant: quem modum Galenus lib. 1. cap. 25. de aliment. facultate non probat. Nam hæ quoque sanguinem crassiorem & melancholicum magis generant. Quapropter non est his copiosius vtendum, & maxime si cui corpus sit aut melancholicum, aut crasso vel prauo succo abundet. Pessime autem coci diuitibus legumina sapa apparant: quandoquidem legumina haudquaquam incrassantium mistionem postulant, sed humidiorem potius, & quæ ipsorum crassitiem incidant. Quibus vero sapa commiscetur, iecoris obstructiones solent gignere, viscerisque huius ac lienis inflammationes inaugent, nisi melle addito meliora fiant: perspicuum autem est, quod & schirrhosos visceris vtriusque affectus sapa exacerbat. Vt autem legumina esui accommodatiora fiant, magis nutriant, & crassum prauumque succum amittant, in hunc ferè modum coquenda veniunt. Sub noctem in aquã feruentem infundãtur, ac primo quidem manib. diutiuscule confricentur, vt à cortice separentur, deinde per totam noctem in eadem macerentur:

Pisorum coctio.

ſequenti vero die duabus vel tribus ebullitionibus in eodem liquore, dum tertia quarta ve aquę portio abſumatur, percoquantur. Aquam autem adhibere oportet leuiſsimam, ceu pluuialem. Nam & hac citius coquentur & molliora euadent, & concoctioni minus faceſſent negocij. Ius decocti colo tandem transfundendum, & ad vſus reſeruandum. De quo vbi & quantum cuique libuerit, accipiendum, cumque cinnamomo denuo & croco temperandum ad lentum ignem. Hoc enim pacto terream naturam magna ex parte deponet. Nonnulli duas partes zingiberis, vnam piperis, aliquantum etiam cymini adijciunt, quo facilius ſecedat: ad extremum aliquid aceti vinive, & butyri admiſcent, atque vnica iterum ebullitione coquunt ſpumam interea diligenter auferentes, quod quidem in principio refectionis potiſsimum ſumendum. Illud poſtremo minime prætereundum, quod brodium ſiue iuſculum cicerum & piſorum alborum multo ſit præſtantius, & humanæ naturæ accomodatius, quemadmodum & tota eorum ſubſtantia.

DE LACTE TABIDORVM.

CAPVT XXXIV.

*Lac φθιοικοῖς ſanum caprinum, *poſtq; cameli.*
Ac nutrimentum plus omnibus eſt Aſininum.
Plus nutritiuum vaccinum, ſic & ouinum.
Adſit ſi febris, caput & doleat fugiendum eſt.

Hic præcepta quædam traduntur de electiore lactis genere, quatenuus videlicet φθιοικοῖς hoc eſt, tabidis, emaciatis, hectica febre laborantibus & quomodocunque conſumptis ſit conducturum. Cibi enim his ipſis, quod calorem natiuum imbecillum obtineant, concoctu faciles conueniunt: boni item ac multi alimenti, vt corpus emaciatum inſtaurent: ſed liquidi & tenues

nues, vt vias, ob siccitatem contractus facilius subeant & penetrent: ob febrim quoque refrigerent nonnihil, & ob vlceris saniem, detergant, & ob solutionem continui, glutinent. Quas dotes omnes habet lac: facile enim coquitur, ac inter omnia quæ alimenti gratia sumimus, lac butyro & caseo multum nutrit, optimum optimi est succi, sero casei & butyri liquidum & subfrigidum est, vt lib. 5. cap. 20. & lib. 10. cap. 7. de simpl. medic. facult. terget sapore dulci butyrosæ substantiæ & acrimonia seri glutinat caseo, & eodem ac butyro est emplasticum. Quapropter nonnulli, Galeno in libro de cibis boni & mali succi cap. 9. teste, pulmonis vlceribus affectos potione tantum lactis curari putant, antea scilicet quam ea ipsa vlcera amplientur, callosaqae fiant.

Ac *primum* quidem Præceptum est de lacte caprino, quod vtile esse phtisicis, Auicenna libro 2. Cano, cap. 442. & 1. 4. tract. 3. cap. 6 confirmat. Neque id sane iniuria siquidem inter cætera lactis genera moderate se habet, cum non admodum pingue crassumque sit: ob id medium quoque esse censetur quod in corporibus nostris præstat. *Lac caprinum.*

Secundum, de camelino, quod illo, tenuius est, serosique humoris magis particeps: quo fit vt minus tum nutriat, tum emaciatis conferat, Hydropicis tamen, & quibus hepar male affectum est, non parum commoditatis adfert. præsertim si fuerit cameli nuperrime enixæ, Eo namque hepar, si quid. Auicennæ credimus, reficitur atq; instauratur. *2. Cano. ca. 442. & 14. 3 Tract. 4. cap. 5.*

Tertium, de asinino. Asinæ namque inter cætera brutorum genera lac præbent ad propositos affectus accommodatissimum: quippe cum tenuissimum sit, & minime coaguletur, & quoquo versus ocyssime in corpus digeratur, quemadmodum elegantissime libro 7. method. medendi capite 6. *Asininum.*

capite 6. à Galeno scribitur: Quod Auicenna quoque l. 4. tract. 3. cap. sexto confirmat: Non est, inquiens lac post muliebre, quod hecticis æque conferat ac asininum. Hecticam enim, siquidem curabilis fuerit, ad planum curat. Sed præ cæteris lac muliebre, tanquam naturæ eiusdem, & humano corpori familiarissimum, ab aliis Medicis, præcipueq; ab Herodoto & Euriphonte ad tabidos affectus celebratur. Quoniam enim cæteris est subtilius, frigidius & humidius, citius concoquitur, velocius penetrat, & melius nutrit. Sumendum autem quoduis horum mane ieiunis, horis tribus aut quatuor ante cibum vnc. quatuor primum; & has si recte confecerit, die sequenti quinque, deinde sex vncias, & sic diebus consequentibus auctum; si bene concoquat, vsq; ad libram vnam. Quatenus enim vires augeri cernimus, eatenus nos quoq; cibis adiiciemus. Sumat autem patiens ex mammilla, aut minimum diu extra propria conceptacula moratum (Illic enim & sanguis & semen promptissime corrumpitur) per se, aut cum pauco melle vel saccharo & sale, ne in vẽtriculo acescat. A lacte hausto non dormiat, ne corrumpatur, nec corpus exerceat motu ac frictione, ne crudum lac in corpus trahatur.

Cæterum silentio prætereundum hoc loco non est, quod non semper lac muliebre aut asininum phtisicis prosit: imo vero lac acidum siue ebutyratum ab ipsis in certis quibusdam casibus conuenientius adsumitur. Et primo quidem, quãdo cum phtisi fluxus ventris simul infestat. Deinde cum metus est, ne in ventriculo coaguletur, vel ardor adest vehementis febris aut ventriculus suapte natura biliosus existit, vt in quo lac nullo negotio in bilem transeat. Quinetiam quando phtisi febris coniungitur putrida, & multæ in inferioribus partibus sunt obstructiones. Lac enim acidum cohibet & adstringit al-

uum,

uum, neqne facile in bilem conuertitur: quippe cui butyrum, quo promptè accendi poterat adē- ptum sit: eadem ratione nec in putrida facile putrescit. Præterea cum immundus ac sordidus est ventriculus: in eiusmodi enim ventriculo lac promptissime corrumpitur. Postremo vero cum phtisicus lac integrum & dulce abominatur, ab acido autem siue ebutyrato, non omnino abhorret. Sed de his omnibus copiose admodum Hieronymus Cardanus lib. 2. Contradicentium. Tract. 4. Contradict. 1. & Conciliator differentia 194.

Lac vaccinum.

Quartum, de lacte vaccino: quod vt inter cætera lactis genera crassius ac pinguius inuenitur, ita alere etiam magis putandum est. Atque hinc sane Rhaces lib. 3. cap. 15. Ad Almanso. sic ferme de eo scriptum reliquit: Lac vaccinum quorumlibet aliorum animalium lacte crassius iudicatur, atque ob id corporis molem & obesitatem adipisci volentibus accommodatissimum habetur. His amplius Auicenna libro 2. Cano. capite 442. hoc quoque addendum putauit: Nempe lac cuiuslibet animalis, cuius fœtus eandem in vtero moram cum homine ducat, id est, per nouem menses, humano lacti esse maxime conforme: Illud vero quod sit animalis. cuius impregnatio quam mulieris diuturnior sit, esse deterius: quo fit vt cum vacca nouem mensibus vitulum ferat lac eius humano maxime conforme, atque ob id optimum quoque habeatur.

Quintum, de lacte ouino: hoc, quod ad consistentiam quidem & nutrimentum attinet, ad vaccinum qn̄odammodo accedit.

Sextum, de lacte vitando in febribus putridis, & dolore capitis cuius rei causæ adsignatæ sunt supra, cap. 7.

DE BVTYRO.
CAPVT XXXV.

Enit & humectat, ſoluit ſine febre butyrum. Tres butyri proprietates hic referuntur. Primo cum doloris ſedatione lenit & maturat. Siquidem temperatè calidum eſt, & natura pingue atque oleoſum, facultatiſque concoquentis paulum habens etiam digerendi potentiæ, in medijs nimirum corporibus ſecundum duritiem & mollitiem. Bubonas igitur & parotidas iuuat, gingiuas extenuat, & præſertim in infantibus dentientibus, item, humores in pectore ac pulmone fixos linctu concoquit.

Butyri proprietates.

Secundo humectat, ex molliore namque lactis eſſentia conſtat. Quemadmodum ergo lacti, vnde ſeiunctum eſt, humectandi vis ineſt, ita & butyro ineſſe oportet.

Tertio vero ſoluit, largius enim ſumptum, cum ob ſuæ ſubſtantiæ lubricitatem, tum ob communem omnium ciborum humidorum rationem qui ſcilicet citra adſtrictionem ſunt humidi, facile per ventrem ſubit. Sed febricitantibus & calidioribus naturis non æque vt aliis conuenit: ipſis enim in flauam bilem conuertitur.

Illud porro noſſe hoc loco vtile eſt, quod butyrum ob ſuperabundantem, & humiditatem & pinguitudinem in alimentis, vſu præſertim immoderatiore, expetendum non eſt. Ventriculum enim reſupinat ac ſubuertit, & ad vomitum incitat. Neque vero vltimo poſt alios cibos loco ingerere conuenit, quippe cum humidum ſit ac lubricum facileque ſubduci queat inſuper ficie natans corrumpitur, atque ob hoc ipſum ante alios cibos ſumendum eſt. Ita enim citius ſubducitur, & alijs cibis viam munit. Quocunque oleo magis tum nutrit, tum cibos condit: quo fit vt obſoniis additum olei atque adipis vicem me-

rito

merito penset. Vnice tamen hoc semper cauendum ne vsus eius sit immoderatus, neve in ventriculo accendatur. Pinguia enim inflammata, quemadmodum in maiori praxi tract. 6. cap. 15. Rub. 4. Ioannes Michael Sauonarola scriptum reliquit, in melancholiam adustam transeunt, ex qua lepra deinceps generatur. Quo fit, inquit ille, vt ob nimium Butyri vsum multi leprosi in Germania reperiantur. Recens etiam butyrum contra bestias, quæ virus eiaculantur, venenaque, & foris illitum, & per os assumptum efficax est: ab aspide enim percussis vtilissime imponitur, & in pestilenti aeris constitutione quotidie cum puri panis tribus aut quatuor bolis mane ab ieiunis deuoratum, mirifice ad sanos ab infectione præseruandos confert. Plura de butyro Dioscorides lib. 2. cap. 26. Galenus lib. 10. cap. 10. de simpl. med. facult. Paulus Aegineta li. 7. Simeon Sethi in Syntag. Auenzoar Tract. 3. capite 4. lib. 3. Theysir.

DE SERO.

CAPVT XXXVI.

INcidit q; lauat, penetrat mundat, quoque serum.

Hic agitur de facultatibus Seri quod lactis aquosa est substantia. Hoc (vt lib. 2 distinct. 1. cap. 9. de med. simpl. purgan. Mesues inquit) excalefacit atque siccat ordine primo completo, & vsque ad secundum. Quinetiam attenuat, abluit abstergit, & nitrosa qua refertum est facultate, aluum absque aliqua mordacitate leniter subducit. Bilem dum flauam tum atram ab exustis humoribus genitam deijcit: quo fit vt mirifice conferat maniacis & melancholicis. Præstat item ad viscerum infractus, & morbjs inde prouenientibus opitulatur nimirum aqua intercute laborantibus, felle suffusis & lienosis. Datur vti

liter febrientibus ex bile, & viscerum ac vasorum obstructionibus. Competit etiamnum vitijs in cute à bile & perustis humoribus emergentibus. Quare lichenibus, vitiliginibus, alphis, psoris leprisque admodum conuenit. Hæc ille. Comitialibus quoque atque ijs qui ob potētis vini largiorem potum male habent, auxilium præstat plura Discorides lib. 2. cap. 60. Galenus lib 10. de simpl. med. facult. cap. 8. Rhaces lib. 3. ad Alman. cap. 15. & Auicenna 2. Cano. cap. 442.

DE CASEO.

CAPVT XXXVII.

Caseus est gelidus, stipans, crassus, quoque durus.
Caseus & panis sunt optima fercula sanis.
Si non sunt sani, tunc hunc ne iungito pani.

Duo hoc loco peraguntur. Primo quatuor referuntur facultates Casei. Quarum prima est, ipsum esse gelidum, id est temperatura frigidum: quod intelligi debet de recente ac molli qui frigidus & humidus, & non de vetere, qui calidus & siccus est. Atque huius sane rei grauissimum habemus testem Paulum Æginetam, qui lib. 7. sic ait. Caseus recens compactus & mollis repulsoriam vim habet, leniter perfrigerans. Quin etiã de eo intelligi potest qui conficitur ex sola lactis coagulatione, absque vlla alterius rei commistione. Reperitur enim qui ob aromatum quorundam ac odoratarum herbarum admistione acrior & calidior euaserit, & ob id linguam vellicet, atque ventriculum excalefacit. Talis autem colore potissimum viridis existit, qui si maiore paulo mole ingeratur, corpus vehementer exurit. Secunda est, caseum stipare, hoc est, adstringere ac cohibere aluum quod maxime solet præstare vetus, cui multum coaguli admistum est. Tertia est, ipsum esse crassum, quod est,

crassos generare humores, idque nullo excepto. Omnis enim caseus fit ex crassiore & terrestri magis cuiuslibet lactis substantia, admisto coagulo, & expresso inde seto. Quarta est, Caseum esse durum id est ægre & concoqui, & aluo discedere: nimirum propter succum crassiorem.

Secundo deinde loco hoc etiam adseritur: nempe caseum parua mole cum pane sumptum optimum sanis hominibus esse cibum, quippe qui panis admistione concoctu reddatur facilior: cum alioqui per se sumptus admodum ob concoctionis tarditatem offendat. Aegrotantibus verò, propterea quod neque ad concoctionem, vt dictum est, neque ad mouendam vrinam, neque ad ciendam aluum, neque ad succi deniq; probitatem quicquam boni confert, omnino fugiendus est. Plura de hoc supra cap. 7. & 9.

CASEVS DE SEIPSO.

Ignari Medici me dicunt esse nociuum,
Et tamen ignorant, cur nocumenta feram:
Expertu reor esse ratum, quia commoditate
Languenti stomacho caseus addit opem.
Caseus ante cibum confert, si defluat aluus,
Si constipetur, terminet ille dapes,
Qui Physicen non ignorans, hæc testificantur.

In prioribus duobus versibus προσωποποιΐα est. Fingitur enim Caseus seipsum aduersus malignos vicinos aut vituperatores defendere. Ignari, inquiens, Medici, dicunt me nociuum esse, quum ipsi tamen ignorent causam, cur humanæ naturæ nocere dicar. Allusum autem videtur ad illud quod ab Hipocrate in libro de veteri medicina scriptum est in hunc modum:

Atqui, inquit, mihi necessarium esse videtur, vt omnis Medicus de natura sciat, & omni studio annitatur vt cognoscat (si modò aliquid eorum quæ fieri debent, recte præstare velit) quidnam sit

homo ad ea quæ comeduntur ac bibuntur comparatus & quid cuique ab vnoquoque contingat & accidat. Nec simpliciter tantum sic existmet oportet, quod malum edulium est caseus, quia dolorem afferat repleto ex ipso, sed etiam sciat, quem dolorem afferat, & propter quid, & cui parti intra hominem existenti incommodus existat. Quandoquidem & multa alia esculenta ac poculenta, quæ natura mala sunt, hominem tamen non eodem modo afficiunt. Exempli causa, Vinum meracum, si multum bibatur, hominem aliquo modo debilem reddit: & omnes qui viderint, hoc fatentur, & cognoscunt hanc esse vini vim, & vinum causam esse: quinetiam in quas hominis partes maxime agat nouimus. Talem proinde veritatem in alijs quoq; apparere volo. Ergo caseus (quandoquidem hunc in exemplum assumpsi) non omnes homines lædit: sed sunt qui ex ipso repleti ne tantillum quidem offendantur, imo gracilibus mirabiliter etiam conferre perhibetur. Sunt autẽ alij, qui eo sumpto difficulter à noxa liberantur. Horum igitur naturæ differunt. Differunt autem secundum hoc, quoniam id quod in corpore caseo est contrarium, à caseo excitatur & cõmouetur in ijs, in quib. eiusmodi humor multus existit: & quanto potentior hic est, tanto peius illos habere rationi consentaneum est. Quod si toti humanæ naturæ inimicus esset, omnes vtique læderet. Eam ergo differentiam si quis nouisset, non incurreret profecto, neque pateretur ista.. Hactenus Hippocrates.

Secundo deinde loco duæ recensentur vtilitates ab ingesto caseo. Quarum prima quidem est, ipsum debilitatem abscindere stomachi: vbi sciendũ tamen, quod non quilibet statim caseus cuiuis subueniat stomacho (casei siquidem in certis quibusdam casibus omnes ex æquo nocent stomacho nimirum raræ texturæ, ac illi quoque qui ex longa ægritudine adhuc debilis se colligit) sed recens, mollis, ac pauci lentoris particeps,

quemadmodum lib.3.ad Alman. capite 15. Rhazes testatur: calido atque sicco stomacho apprime confert: exustionem enim, caliditatem & siccitatem eius, frigiditatis ac humiditatis ratione reprimit, & emendat. Contra vero eidem, vetus admodum & acris, cuique multum coaguli iniectum est, manifeste officit. Stomacho autem cuius pelliculis multa infarta sunt phlegmata, plurimum confert caseus qui inueterauit, & ob id quam prior acrior atque ardentior euasit. phlegmata enim acrimonia sua incidit, abstergit, & infra subducit. Rursus vero recens ac mollis huic maxime nocet:

Secunda est, caseum priori loco exhibendum ijs, quibus venter maiorem in modum soluitur: posteriori vero quibus idem ob imbecillitatem non respondet. In vniuersum namque adstringentia, si prius ante alium cibum aut edātur, aut bibantur, aluum comprimunt. Quibus autem ob imbecillitatem venter non respondet, ij molliendi virtute prædita, nempe olera, aut pisces, aut id genus aliud præsument: deinde adstringentia (quorum in numero caseus etiam reponitur) quæ dum ipsum firmant ac roborant, deorsum in ventriculi fundum, vbi concoctionis officina est, propellunt, adque excretionem tandem incitant: id quod ex veræ medicinæ peritis neminem latere arbitror. Vide Galenum lib. 2. de aliment. facult. cap. 22. vbi rationem tradit, cur Rhetori cuidam astringentibus post alios cibos laxantes sumptis venter fuerit solutus. Huiusce rei meminit etiam Paulus lib. 1. cap. 1. 81. De acido caseo ita scribit Aetius lib. 2. cap. 101. Recens caseus, qui ex acido lacte fit, & ob id ὀξυγαλάκτινος appellatur omnium optimus censendus est. Nam & in cibo iucundissimus est, & stomacho innoxius præ omnibus aliis caseis existit, minus ægre concoquitur, & minus ægrè

transit,

transit neque vero valde crassi succi est, quo crimine in communi omnes casei sunt infames. His addit Rhaees, acidum caseum exigua mole vltimo post alios cibos loco ingestum roborare os ventriculi, atq; auferre etiam ἀνορεξίαν ac nauseam, quæ ex dulcibus & pinguibus cibis proueniat.

DE MODO EDENDI & bibendi.

CAPVT XXXVIII.

INter prandendum sit sæpe parumque bibendum.

Vt minus ægrotes non inter fercula potes.

Præcipitur inprimis hoc loco, vt inter prandendum cœnandumue inuicem modo edatur, modo bibatur, id est, inter edendum sæpius quidem, sed parum bibatur: neque potus quemadmodum supra quoq; cap. 32. dictum est, eousque differatur, dum venter cibo expletus videatur. Deinde vero vt eo tempore, quod inter prandium ac cœnam intercedit potus, quo ad eius fieri potest, euitetur, & maxime si ingestus cibus in ventriculo nondum concoctus fuerit, nisi magna cogente necessitate. Interrumpitur enim & impeditur primò sumpti cibi concoctio, ita vt eum incōcoctum è ventriculo descendere contingat, appetentia cibi in cæna sumēdi deiicitur, corpus grauatur, & ad dispositionem, in qua homo neq; sanus, neq; æger dici queat. siue qualis ea est, quæ febrim præcedere solet, adducitur,

Vt vites pœnam de potibus incipe cœnam.

Cœnam à potu inchoandam esse hic adseritur. Sunt qui hunc in modum exponant: Si vis vitare pœnam, id est infirmitatem, in principio cœnæ:

cœnæ bibas prius quam comedas. Sed inepta prorſus ac inualida eſt hæc expoſitio. Secundùm Medicos enim cœnam à cibo quam potu auſpicari conducibilius eſt. Neq; Angli ipſi, quibus præſens liber dicatus eſt, eiuſmodi morem conſuetudinemue ſeruant. Quacunque enim diei hora bibere voluerint, bolum fere ſiue fruſtulum panis præſumunt. Quare quod dicitur ſic intelligendũ potius videtur, incipe cœnam à potu, id eſt, à cibo liquido & concoctu facili. Et hoc eſt, quod ait Hippocrates in aphoriſm. lib. 2. aphor. 11. Facilius eſt impleri potu quam cibo. Atque eius quidem rei hæc aſsignari poteſt ratio. Quia ſi cibus liquidus & concoctu facilis poſtremo ſumeretur loco, concoctionem eius multo citius, quam craſsi aut duri, qui prius ingeſtus fuerit, perfici contingeret. Somnus enim qui cœnam ſubſequitur, mirum in modum concoctionem adiuuat. Hancq; ob cauſam liquidus cibus, cum ob craſſum illum nondum ex toto concoctum ad exitum peruenire nequeat, nimis adureretur: aut certe, ſi exierit, craſſum illum, ſed incoctum adhuc ſecum traheret, periculumque ita ei qui comederit, non vulgare compararet. De recto ciborum ordine nonnihil etiam ſupra capite 6. diximus. Porro de quæſtione hac, Vtrum à potu cœna inchoanda ſit, lege conciliatorem, differentia. 118.

*Poſt piſces *nux ſit, poſt carnes caſeus adſit.* al. *Nuces.*
Vnica nux prodeſt, nocet altera, tertia mors eſt.
Singula poſt oua, pocula ſume noua,

Tria hoc loco peraguntur. Primus namque verſus duo præcepta complectitur. Quorum primum quidem eſt, vt poſt eſum piſcium nuces in caſei locum ſubſtituantur. Id quod tribus ferme modis probari ſolet. Ac primo quidem, propterea quod nuces collectionem phlegmatis (quod ex frequente piſcium eſu generatur) caliditate ac ſiccitate *Nuces poſt piſces*

tate

tate sua discutiant & dispergant. Atq; hinc sane est, quod in vere, quando nimirum quadragenario ieiunio corpora macerantur, summo statim post alios cibos loco nuces exhibeantur. Deinde etiam quod pisces frigidioris fere humidiorisq; sint temperaturæ, adeoq; difficilius ob id ipsum concoquantur, tardius subducantur, & promptissime in ventriculo corrumpantur ac putrescant: Nuces vero cum euidenter excalefaciant atque desiccent eorum concoctionem adiuuent, prauitatem corrigant, & ad mediocre temperamentum perducant. Tertio vero ob eam quoque causam, quod pisces interdum veneni nonnihil in se contineant: nuces autem, vt copiose admodum ostendimus supra, cap. 13. venenis aduersentur.

Secundum, vt post carnium esum non nuces, sed caseus exibeatur. Caseus enim præstat, vt cibus ad fundum ventriculi, vbi concoctionis opus potissimum viget, promptius descendat. Quod de eo sane caseo maxime intelligendum est, qui medium locum inter recentem ac veterem sortitus sit.

In secundo deinde versu de triplici agitur nuce quarum vna quidem prodesse, altera nocere, tertia vero mortem inferre dicitur. Per primam autem eam nonnulli intelligunt, quæ ob odoris Præstantiam Moschata vulgo appellatur. Hæc siccat & excalefacit ordine secundo completo, adstringit, oris suauitatem commendat, & fœtentis animæ virus commansa abolet, lentigines in facie emendat, visum acuit, ventriculum & iecur roborat, lienem absumit, vrinam ciet fluentem aluum sistit, flatus discutit, & frigidis vteri affectibus mirifice prodest. Per alteram accipiunt vel nucem Auellanam, quæ λεπτοκάρυον καὶ κάρυον ποντικὸν Græcis appellatur, vel eã quæ in cõmuni est vsu, & κάρυον βασιλικὸν Græce, Latine vero Iuglans dicitur. Harum illam quidem

quidem nocere ob id tradiderunt, quod ægrè concoquatur, cibis in ventriculo ſupernatet, vomitus excitet, flatus generet, & largius eſitata caput tentet: hanc vero, quod pari modo concoctu difficilis, ſtomacho inutilis, billioſa & tuſſientibus inimica ſit, capitique dolorem inferat. Ob hancque ipſam ſane cauſam, Nuces etiam dici à nocendo Grammattici autumant. Græcorum quidam κάρια, quod καρηβαρίαν id eſt capitis grauedinem faciant, nominari, tradunt. Per tertiam vero iocoſe nonnulli nucem[a] interpretantur baliſtæ, quod nimirum repentinā inferat mortem. Verum alii nucem intelligunt Metellam: quippe quæ venenum ſit ναρκωτικὸν id eſt, torporem inducens: Quarto enim refrigerat excuſſu, ita vt drachmarum duarum pondere eſitata ſtatim interimat, minore vero menſura temulentiam faciat. Et hos quidem effectus præſtat etiam in canibus quibus necandis aptiſſima habetur. Lege Rhazin lib. 3. cap 30. ad Al. Serapionem de ſimpl. med. cap. 365. & Auicen 2. Cano. cap. 508. PORRO vt grati etiam diſcipuli vicibus fungar, Georgii Sturtiade medici eruditione & experientia clariſsimi, meique olim in re medica præceptoris obſeruandiſſ. de tribus hiſce nucibus opinionem huic quoque loco inſeram. Is igitur per nucem hic aliud nigil quam Iuglandem intelligendum adſerebat, per vnicam quidem paucas numero, quæ citra denarium conſiſterent: per alteram, quæ paulo largiore copia ingererentur: per tertiam, vero quę immoderatiſſime ſumerentur.

Secundum hanc igitur interpretationem vnica nux prodeſſe dicenda eſt, vel quod nuces lethalibus aduerſentur venenis: vel quod viridium ac recentium nuclei decorticati & ante alios cibos ſumpti Ventrem leniter ſubducant, torrefacti vero aliquantulum, atque à reliquo cibo commanducati ciborum in corpus diſtributionem adiuuent

adiuuent. Altera nocere, quod nimirum concoctu sint difficiles, ac caput immoderatiore vsu tentent. Trrtia vero mortem inferre, quod præter iam dicta incommoda δυσεντερίαν etiam ad istum ingestæ modum generent: quæ nisi præcipiti & compendiario auxilio cohibeatur, mortem breui inferat.

Tertio demum versiculo præcipitur, vt post oui cuiusque recentis atque mollis esum haustulus & præcipue vini, sumatur. Eiusque rei duplex fere assignatur ratio. Ac prior quidem, quod ouum recens ac molle succi sit optimi & concoctu facilis: paruaque mole, vt supra, cap 6. ostendimus, plurimo corpus reficiat alimento, idque vitello suo potissimum: vinum autem, quum natura eo delectetur maxime, præstet vt à membris auidius attrahatur, celeriusque ita permeet. Posterior vero, quod ouum tardius descendat per gulam (quæ Græcis proprio nomine οἰσοφάγος ab οἴω feros & φάσκμα cibus, quod cibum & potum in ventriculum transuehat. Arabibus Meri nuncupatur) vinum autem descensum eius adiuuet.

DE PYRIS.

CAPVT XXXIX.

ADde pyro potum, nux est medicina veneno.
Fert pyra nostra, pyrus, sine vino sunt pyra virus.
Si pyra sunt virus, sit maledicta pyrus.
Dum coquis, antidotum pyra sunt sed cruda venenum.
Cruda grauant stomachum, releuant sed cocta grauatum
Post pyra da potum, post pomum vade cacatũ.

Pyra. Hic docetur imprimis, vt super pyrorum esu vinum bibatur, idq; tum vetus, tum odoratum atque

atque eius quidem ratio reddita est supra cap. 7. Pyra enim sanguinem seroso replent succo, inflationesque ac colicos cruciatus suscitant. Vinum ergo cum calefaciat, tenuet, flatus discutiat, & serosam redundantiam consumat, super ipsis conuenientissime bibitur. Deinde Nucem veneno medicinam esse traditur, de quo copiose supra, capite 3. Secundo ac tertio versu dicitur, pyra absque vino commansa esse virus, hoc est nocere humanæ naturæ, cuius ratio iam reddita est. Ne quis interim simpliciter, vt de illis quæ excessu qualitatum elementorum, quarum mistione constant, aut propria qualitate, siue forma (vt vocant) occulta venena esse noscuntur, ita de pyris quoque suspicetur. Sic enim commansa perniciem subinde vel noxam aliquam inferunt, ac proinde arbor ea ferens merito detestabilis esset, adeoque ob id ipsum excindenda, atque in ignem coniicienda. Quarto versu innuitur, pyra recentia & cruda esse venenum, id est, nocere humanæ naturæ. Nam extra hoc quod sanguinem seroso atque ebulliente replent succo, inflationes & colicos cruciatus excitant, phlegmata etiam ac scabiem generant. Cocta vero contra ἀντίδοτον id est remedium præstant, perinde atque illa paulo ante præstare diximus, quæ cum vino manderentur. Atque hæc sane vltimo post alios cibos loco sumenda potissimum sunt: ita namque excrementorum subductionem adiuuant. Quinto versu docetur, crudorum pyrorum esum grauem esse stomacho. Ipsum enim non à concoctionis tantum opere distrahit, sed flatibus etiam distendit. Cocta vero è contrario grauatum stomachum leuant & reficiunt, inque suum pristinum vigorem restituunt. Vltimo tandem versu hoc inprimis præcipitur, vt vinum super pyrorum esu bibatur: cuius quidem ratio iam reddita est. Deinde, vt à pomorum esu aluus subducatur: quam rem Galenus libro 2. cap. 21. de

aliment.facult,sic scribens confirmat: Poma acida cum succum crassum in ventre inuenerint, ipsum incidunt, ac deorsum subducunt, ob idque deiectiones humectant. Quod si ventrem purum inuenerint, ipsum magis sistunt. Porro succus dulcis cum sine acrimonia & crassitie hoc est solus plane fuerit, celerius, quantum in ipso est, distribuitur. Quod si acrimoniam aut crassitiem habuerit citius subducitur. Eadem habet Oribasius libro 4. Synopseos ad Eustathium filium capite 69. & Auicenna 2. Cano. cap. 569. Quinetiam hæc adsignari potest ratio, nempe quod poma flatum in ventriculo excitent, flatus vero per aluum deinde facile emittantur.

DE CERASIS.

CAPVT XL.

SI cerasum comedas tibi confert grādia dona:
Expurgat stomachum, nucleus lapidem tibi tollit,
Hinc melior toto corpore sanguis inest.

Tria ex cerasorum esu commoda hoc loco recensentur: ac primum quidem, quod stomachum expurgent: idq; de illis potissimum intelligendū; quæ vna cum nucleis manduntur. Ad eum namque modum (vt nonnullis placet) ingesta abstergent & emundant. Secundum, quod nuclei eorū, cum inde expressus succus siue lac sumitur, peculiari quadam proprietate lapidem non in renibus tantum, sed in vesica quoque frangant & expellant. Tertium verò, quod quæ ipsorum velut caro est, optimum generet sanguinem corroboret & impinguet. Et hoc certe experiētia testatur & demonstrat ratio. Siquidem in passeribus, qui cerasis plurimum delectantur, eo ipso tempore quo hæc matura sunt, iecuscula non paulo maiora quam alias reperiuntur. Vnde Hepar frequentiore cerasorum vsu augeri, ac roborari certò colligitur.

Cerasorum commoda.

tur. Sed hic notandum, quod duplicia sint cerasa, crassa nimirum & parua: ac crassa rursus duplicia, nempe dulcia & pontica siue acerba. Dulcia omnia & parua insalubriora sunt, facile corrumpuntur, & lumbricos in corpore generant. Crassa pontica quoque duplicia inueniuntur Quædam enim pediculo constant longiore, bacca etiamnum cæteris crassiore, gustu acerbo & admodum acido, colore perpetuo rufescente, nec vnquam in atrum vergente: Italis verle dicuntur Hæc tenera adeo & fragilia sunt, vt nisi sub arbore sua comedantur, facile gestatu collidantur & marcescãt Quare nonnisi recentia, atq; in principio tantũ mensæ sumẽda sunt, quia abstergendi stomachi & ciendæ appetentiæ vi prædita sunt. Alia denique crassa, nigra, & maxime omnium pontica sunt, quæ in compluribus Italiæ locis Marasche vulgo nuncupãtur, à sapore sic dicta, quod non iniucundi amaroris tantillum resipiant. Ea summo post alios cibos loco edenda sunt, ita vt os ventriculi ponticitate sua claudant: quo clauso concoctio & melius & citius peragitur. Galenus faciens cerasorum omnis generis mentionem, lib 7. simpl. medic. cap 19. scribit in hunc modum. Cerasus arbor fructus fert non paris adstrictionis in omnibus particulatim plantis participes. Nam & in harum, sicut etiam malorum granatorum & malorum, quibusdam austera qualitas, in quibusdam vero dulcis, in nonnullis autem acida exuperat. Quinetiam ipsorum dulcium quæ nondum cocta sunt, ac natura quædam admodum sunt acerba, quædam similiter moris acida. Sed in moris immaturis acida qualitas acerbam exuperat, in cerasis non semper. Ergo quæ dulciora sunt magis quæ in intestinis sunt subducunt, sed minus grata stomacho sunt. Contra austera. Quæcunq. vero acida sunt, ea pituitosis excrementosisq; stomachis sunt apta. Siquidẽ austeris magis desiccant, &

nonni-

nonnihil etiam incidunt. porro ipsius arboris gummi communem omnibus viscosis & mordacitatis expertibus medicaminibus facultatem obtinet, quę & ad arterias exasperatas, accommodata est. Proprie autem, siquidem, quod quidam subscribunt verum est calculis vexatos adiuuat. Nam sic illi tenuium partium inesset facultas quædam. Hæc ille. Plura Dioscorides lib. 1. cap. 26. Plinius lib. 15. cap. 25. & Simeon Sethi in Syntagmat.

DE PRVNIS.

CAPVT XLI.

FRrigida sunt, laxant, multum prosunt tibi pruna

Duæ prunorum facultates hic referuntur. Ac prior quidem, quod corpus mediocriter refrigerent. Dulcia enim (quemadmodum lib. 2. de medicaminibus simpl. purgantibus bened. capite 19 à Mesue scribitur) calido & frigido sunt tēperata, aut paulo frigidiora, humida ordine secundo. μίσα id est dulcacida frigida principio secundi. Omnia tamen refrigerant. Quare Lusitani qui calidam incolunt regionem, carnium suarum cocturæ pruna plerumque immiscent, & potissimum Damascena. Posterior vero quod aluum moueant. Et Hoc Galenus quidem lib. 2. de aliment. facult. cap. 31. ita scribens confirmat: Corpori, inquit, ex hoc fructu minimum alimenti accedit: vtilis tamen est iis, quibus propositum est ventrem mediocriter humectare ac refrigerare. Ipsum enim cum humiditatis, tum lentoris sui gratia subducit. Quod certe de maturis intelligendum: cruda enim, quemadmodum Auicenna testatur, non parum adstrictionis præ se ferunt. Et quanquam posterior hæc prunorum facultas non secus atque prior etiam, Damascenis fere attribuatur, Armenis tamen potius adscribenda

erit

erit, vt quæ Auicenna & Mesue testibus, præter cætera magis alterent largiusque soluant. Vsui vero maxime sunt matura, immatura minus: optima autem inter ipsa, & humanæ naturæ conuenientissima sunt oblonga, carne cum dura, tum exigua, siccitate nonnulla participantia, cortice exteriore tenui, sapore non prorsus dulcia, sed μέσσα id est, dulcacida, qualia Damascena cum primis habentur. Hæc enim mediocriter humectant ac refrigerant. Multa porro & varia prunorum genera reperiuntur, non omnium tamen vsus approbatur. In hoc genere sunt agrestia quædam parua, dura acerbaque & cibo iniucunda, Galeno ἀγριοκοκκύμηλα vulgo pruneola siue prunula nominantur. Horum fructus, inquit Galenus lib. 7. de simpl. medic. facult. ca. 35. euidenter adstrictorius est, ventremque sistit. Quo fit vt aquam nonnulli ventri sistendo accomodatissimam inde eliciant. Cæterum pruna quæ ventris subducendi gratia sumũtur, in aqua frigida, prius quam ingerantur, aliquandiu præmaceranda sunt. Ita namque præparata magis tum humectant, tum refrigerant, adeoque ad appetentiam, quæ collapsa fuerit, excitandam, & ad flauam præterea bilem, quę in ventre habetur, detergendam ac subducendam accommodatiora fiunt. Quare biliosis etiam non solum febribus, sed aliis quoque morbis salubria redduntur. Pruna recentia atque humida, siccis valentius quidẽ alterant, sed excrementitium magis & peioris succi corpori præbent alimentum. Sicca vero non solum ad nutritionem accommodatiora sunt, verum magis etiam corroborant. Quod de prunis hoc loco diximus, idem de cerasis quoq; aliquo modo intelligi potest: sed horum humiditas quam illorum subtilior ac minus lenta est: quo fit vt minus etiam alant. De prunis Diosco. lib. 1. cap. 134. Galenus, & Mesues lo-

cis paulo ante citatis, & Auicenna lib. 2. Canonum capite 539.

DE PERSICIS, RACEMIS & Passulis.

CAPVT XLII.

Persica cum musto vobis datur ordine iusto
Sumere sic est mos nucibus sociando racemos.
Passula non spleni, tussi valet, est bona reni.

Duo præcepta cum primis hoc loco traduntur. Ac Primum quidẽ, vt mustum cum persicis bibantur, aut sane persica simul cum musto exhibeantur. Mustum namq; calefacit admodum, ebullitur. Mustum namq; calefacit admodum, ebullitionemque in corpore efficit : sed persica ebullitionem hanc atque excalefactionem frigiditate sua cohibent & moderantur. Contra vero persicis, cum vehementius refrigerent, merito adhibetur mustum, quippe quod frigiditatem eorum, ne ventriculo noxam inferant, calore suo facile mitiget ac temperet. De persicis supra capite 7.

Secundum vero, vt vuarum racemi cum nucibus edantur: quod de aridis potissimum & antiquis nucibus intelligendum est. Virides etenim ac humidæ per se salubres censentur: antiquæ vero & aridæ excellenter siccant, adeoque ob oleosam suam qualitatem prompte in corporibus accenduntur. Iure igitur vuarum racemi cum ipsis mandendi veniunt, vt qui exsiccationi atque inflammationi humiditate sua resistant. De nucibus copiosè supra. cap. 13.

Tertio deinde versu traditur, passulas siue vuas passas lieni officere. Ipsum enim communi ratione dulcium omnium obstruunt atq; lædunt Hinc Galenus in lib de attenuante diæta. cap. 9. in hunc modum scriptum reliquit. Vuæ passæ si non sint adstringentes, lieni quidem & hepati tumentibus non conueniunt : thoraci tamen ac pulmonis affectibus conducunt. Renibus etiam conferunt,

conferunt quippe quos lauant & abstergunt, vrinamque cient. Renes namque multa ad ipsos deriuata humiditate mundantur. Sed de his quoq; supra cap. 9.

DE FICVBVS. CAPVT XLIII.

Scropha, tumor, glandes, ficus cataplasmate cedunt.

*Iunge papauer ei, confracta foris * trahit ossa.*

Hic duæ ficuum cataplasmatis modo impositarum facultates referuntur: Ac prior quidem quod cum aqua, siue alio quopiam conuenienti liquore decoctæ humidæque impositæ scrophulas, glandes atque tumores discutiant: Per scrophulas vero, quemadmodum doctissime à Iano Cornario in cap. 8. lib. 1. Macri scribitur, Latinis non recepto adeo vocabulo, strumæ intelliguntur. Videtur autem ex Græca voce factum esse. Sicut enim Græci χοιράδας appellant, quas nos strumas dicimus, sic visum fuit huic, qui primus scrophas appellauit, eos glandularum circa collum ac guttur tumores, Græcæ vocis etymon exprimere: χοιρίδες enim ἀπὸ τῶν χοίρων appellatæ sunt, hoc est, à porcis ac suibus: vel quod Auicenna 3. 4. tract. 2. ca 9. teste, ob edacitatem haud raro circa hoc animal reperiantur, vel quod earum figura porcis plurimum adsimiletur. Per Glandes accipiendus hoc loco abscessus, vt Guidoni Cauliaco placet vtcunque mollis, vnicus, mobilis & separatus à partibus circumiacentibus, in emunctoriis plerumque nascens: talis enim à glandis forma, quam præ se ferre videtur, nomenclaturam accepit. Lege Io. Tagaultiũ libro 1. institutio. chirurg. cap. 13. Porro per tumores quælibet inflationes in quauis corporis parte exortæ intelligi possunt. His enim omnibus curandis ac maturan-

al. tenet. *Ficuum facultates.* *Aetius lib. 15. cap. 5.*

dis ficus in aqua cum momento aceti, vt penetrationem earum adiuuet, decoquendæ ſunt, donec molleſcant: mox liquore per colum transfuſo, ficus ipſæ in mortario contundendæ, ac cum eodem rurſus cataplaſma informandum. Cataplaſma autem proprie medicamentum vocatur, quod è plantis viridibus contuſis, vel iiſdem ad mollitudinem vſque in aqua decoctis componitur: id quod innuitur etiam vulgato verſiculo.

Tunc cataplaſma facis, cum ſuccum ponis & herbam.

Poſterior vero facultas, quod cum papauere impoſitæ ficus fracta extrahant oſſa. Quo ſane loco erraticum illud papauer intelligendum eſt, quod in aruis paſsim naſcitur flore rufo, & capite pollicaris vnguis magnitudine. Pueri in Scholis ἴγκαυςὸν, id eſt atramentum librarium ex cõtritis florum foliis conficere ſolent. Dioſcorides lib 1. cap. 142. de foliis eius priuatim teſtimonium præbet, quod cum ficubus cataplaſmatis modo impoſita ad extrahendum oſſa fracta conducant: Sed adſcribam ipſius verba: Α᾽νάςποι ͵͵ οἱ ὄλυνθοι κ͵ ὀςᾶ σὺν μήκωνος ἀγρίας φύλλοις, id eſt Groſsi cum ſylueſtris papaueris folijs oſſa extrahunt.

Vermiculos, veneremq; facit, ſed cuilibet obſtat.

Duo hic traduntur effectus ficuum. Primo namque ex largiore ipſarum vſu pediculorum multitudo prouenit: quod de ijs potiſsimum intelligendum eſt, quæ vt refert Galenus lib. 2. de aliment. facult. capite 8. & poſt hunc Auicenna 2. Cano. capite 283. maturæ prorſus ac ſiccæ ſunt: quandoquidem ſanguinem non admodum bonum ſudoremque multum gignunt. Deinde vero ad venerem irritant: Excremẽtitiæ enim ſunt, & inflationes pariunt quibus virga erigitur, & Venereæ roborantur vires. Plura ſupra cap. 9.

DE

DE MESPILIS.

CAPVT XLIV.

Multiplicant mictum, ventrem dant mespila strictum.

Mespila dura placent, sed mollia sunt meliora.

Duæ mespilorum vtilitates hoc loco recensentur. Vna quidem quòd mictum siue vrinam multiplicent atque augeant. Quod certe non primo & per se, ac propria sui ratione efficiunt, sed ex accidenti. Fæces enim comprimendo indurant, quo fit, vt ventris humor ad vesicam distribuatur. Quin etiam ratio adsignari potest similis illi, quæ est apud Hippocratem aphor. libro. 4. aphor. 85. Mictio noctu plurima facta paruam significat deiectionem. Quoniam, inquit Philotheus, multa & magis conferta distributio facta est in iecinore, & alia deriuata est materia, ideo multæ vrinæ fluxerunt, parum autem stercoris: & è conuerso si multa stercoris deiectio fiat, pauca erit Vrinarum excretio, eadem de causa: nam parua distributio facta est, & ideo etiam parum vrinæ, multa autem per stercus deiectio, quoniam in ventriculo manet humidum. Altera vero, quod ventrem detineant: idque præstant maxime qualitatis ratione, quæ inest ipsis acerba admodum & stiptica. Ex quo infertur hoc loco, mespila dura placere, quippe quæ ob adstrictionem aluo fluenti in cibo accommodatissime exhibeantur: sed mollia esse meliora, vt quæ magis nutriant, & aluum minus sistant. Illud porro neminem latere debet, omnibus huiuscemodi parce vescendum esse, non autem affluenter, vt pyris, persicis, ficubus, vuis, & similibus. Nullo enim ipsorum vt alimento, sed vt medicamento potius indigemus. Quod satis quidem colligitur ex saporis acerbitate, & duritie substantiæ, vt quæ præterquam quòd tardius in arbore maturiatem consequuntur, imnus etiam quam vt edi queant

mollescunt. Atque hac sane de causa priusquam edantur reponi solent donec emolliantur. Sic enim quamplurimum ex acerbitate & stypticitate amittunt, & in cibo suauiora fiunt,

DE MVSTO.
CAPVT XLV.

PRouocat vrinam mustum, cito soluit & inflat.

Tres hic enumerantur facultates musti.

Primo enim vrinam prouocat. Siquidem fæcibus eius nitrosum quidpiam inest, ac tergendi facultas, atque eam ob rem vbi in vesicam descenderit, ipsam mordicans ad vrinæ profusionem impellit. Hic tamen versus non de quolibet musto, sed de eo solum intelligēdus est, quod fæces habet mordicantes. Eiusmodi porro ex Rhenensibus non pauca reperias. Mustum enim, cui fæces insunt crassæ, non mordicantes, quemadmodum supra capite 26. ostendimus, meatus obsepit atque obstruit vrinarios, ita vt vrina potius supprimatur.

Deinde ventrem soluit: viscera enim nitrosa & salsa fæcis suæ qualitate abstergens ad deiectionem incitat.

Tertio vero inflat, quod quidem propter eam contingit, quam in corpore excitat ebullitionem: inde enim flatus proueniunt. Sed de his omnibus satis supra, cap. 26.

DE CEREVISIA ET ACETO.
CAPVT XLVI.

CRassos humores nutrit cereuisia, vires
Præstat, & augmentat carnem, generatque cruorem:
Prouocat vrinam, ventrem quoque mollit, & inflat.
Frigidat & modicum, Sed plus desiccat acetum:

Frigidat, emaciatque melanch. dat, sperma minorat.
Siccos infestat neruos, & pinguia siccat.

Duo hoc in loco peraguntur. Primo enim breuiter octo Cereuisiæ proprietates percurruntur. Quarum prima quidem est, quod crassos humores in humano corpore generet, idque maxime si vino comparetur. Porro iuxta materiæ varietatem vnde conficitur, aliam in se atque aliam recipit vel incrassandi, vel extenuandi humoris rationem. Siquidem ex crassiore substantia crassiores, tenuiore vero tenuiores humores procreari par est.

Secunda, quod robur addat.

Tertia quod carnem augeat.

Quarta, quod bonum gignat sanguinem. Quæ quidem tres proprietates potissimum intelligendæ sunt de cereuisia multæ substantiæ, non nimis recenti, neque nimis inueterata, ex optimis granis rite & perfecte cocta: qualis Ephordiensis cum primis existit. Ea enim multum habet substantiæ, boni est succi, vberrimum corporibus exhibet alimentum, & vires auget.

Quinta, quod vrinam prouocet: quæ proprietas claris maxime conuenit cereuisijs, quibus plurimum incoctum est lupuli: qualis est Embecensis. Ea namque ob lupuli copiam celerrime penetrat, & vrinam prouocat.

Sexta, quod ventrē molliat. Eiusmodi inter triticeas. Hamburgēsis existit: grati saporis est, multum substantię habet, copiosum & boni succi alimentum prębet, sanguinem bonum generat, & in soluenda aluo per se, aut cum butyro Phrysico primuū locum sibi vendicat. Minus tamen cōuenit illis, quibus caput non admodum firmum est, quippe qui ex ea facile inebrientur.

Septima, quod flatibus ventrē distēdat, idq; maxime præstat Cereuisia cruda. hoc est, male & imperfecte cocta: quę certe præterquā quod ęgre cō-

coquitur, inflationes etiam & obstructiones gignit, vrinamque remoratur: impinguat tamen admodum. In hanc classem Coyta Hollandiæ referenda est.

Cereuisiæ præparatio.

Octaua, quod paululum infrigidet. Eiusmodi censentur cum primis cereuisiæ Hollandiæ, Brabantiæ, Hannoniæ, Flandriæ, & quibus plebeij homines vulgo vtuntur. Eæ namq; omnes vino collatæ refrigerandi facultatem habere vidētur. Vbi sciendum, cereuisiam confici posse ex auena, hordeo & tritico, sed iuxta materiæ rationem diuersa ei inducitur temperatura, siue qualitas. Quæ namque ex hordeo fiunt, frigidiores euadunt. Hordeum enim refrigerat: siccatque in primo gradu. Quę ex hordeo simul atque auena, minus alunt, nec inflant, neque obstruunt admodū. Quæ vero ex tritico, calidiores existunt, magisq; tum obstruunt, tum nutriunt. Crassiores cereuisiæ tenuioribus tardius concoquuntur, atque in corpus vniuersum distribuuntur: magis tamen nutriunt. Tenuiores vero contra cito alterantur, in partes corporis celeriter rapiuntur, mouent vrinam, & parum alunt. Mediocres omnia faciūt mediocriter. Pessima habenda est cereuisia, quæ conficitur ex rebus inebriantibus, nimirum ex lolio, vel chamepeuce. Ea enim adeò efficitur valida & halituosa, vt parum absit quin bibentes paulo immoderatius ad insaniam redigantur: maximum capitis dolorem generat, & neruos lędit. De Cereuisia plura sup. cap. 17. & 18. Est præterea eruditissimum Ioannis Placotomi de natura & viribus cereuisiarum opusculum in omnium manibus, vnde facile suppleri queant, quæ hic desiderantur.

Aceti proprietates quinq;.

Secundo deinde loco quinque aceti facultates enumerantur. Ac prima quidem, quod exsiccet. Secunda quod refrigeret. De temperatura vel maxima est inter autores controuersia, aliis frigidum, aliis contra calidum adstruentibus. In

hoc

hoc tamen præcipui consentiunt, quod vim habeat refrigerandi magis, quam calfaciendi. Exsiccat tertio gradu, estq́ue valde tenuium partiũ, crassos & glutinosos humores attenuat, atque incidit, humorumq́ue putrefactioni vel maxime resistit. Eamq́ue ob rem Medici peste grassante cum in cibo, tum in potu aceti vsum mirifice commendant. Hinc sane 3.1. doct. 5. cap. 1. Auicen. inter alia sic ferme de eo scribit: Aceto præterea pestis tempore vti in cibo atque potu, nocumenti ipsius securitatem præstat. Tertia, quod emaciet, hoc est, macrum reddat. Vehementer enim attenuat, incidit, ac desiccat, & excellentius, si, vt 3.1. doct. 4. cap. 5. Auicenna tradit, ieiuno vsurpetur stomacho. Assiduus tamen atque immoderatior eius vsus plurima omnino adfert incommoda. Visum namque debilitat, pectus ac pulmonem offendit, & tusses commouet. Hepati quoq; inimicum est: siquidem, vt tract. 3. ad Sultanum Babyloniæ Rabbi Moses autor est, ipsum radit, sanguinemq́ue eius dealbat. Stomacho prę-terea, iuncturis, & neruis omnibus mali nonnihil immoderatiore vsu ingenerat, articularesq́ue dolores, tremores, & paralysin excitat. Proinde qui frigido sunt & sicco temperamento, quique inualidum pectus, pulmonem, hepar, stomachum, & neruos habent, ab aceto abstineant, aut modice saltem eo vtantur.

Quarta, quod generet melancholiam: Frigiditate enim sua & siccitate ipsum hepar refrigerat & exsiccat, atque ad generandam fæcem melancholicam opportunum reddit, quæ deinceps facile in veram melancholiam vertitur. Hippocrates lib. 3. de vict. rat. in morbis acutissimis. aphor. 38.

Quinta, quod veneris appetentiam rescindat, & semen imminuat. Nimium enim attenuat, incidit, exsiccat & refrigerat. Cibariorum tamen appetentiam suscitat. Harum facultatum. lib. 3.

ad Almanſorem cap. 17. Rhazes etiam meminit: Acetum, inquiens, frigidum eſt & ſiccum, maciem efficit, virtutem deſtruit, ſperma minuit, bilemque corroborat nigram, flauam vero demolitur, ſanguinemque debilitat, & cibos quibus admiſcetur, attenuat atque incidit.

Vltimo tandem verſu tria comprehenduntur. Ac primum quidem, quod macris noceat. Cum enim acetum excellenter attenuet, incidat atque deſiccet, ex neceſsitate etiã maciem auget. Quippe ſimilibus, vt Galenus lib. 1. cap. 10. de ſanitat. tuend. teſtatur, quemlibet exceſſum augeſcere par eſt contrariis vero remitti aut minui.

Secundum quod noceat neruis. Exangues enim ſunt: & cum tenue ſit, valde eos penetrat. Plura de hoc ſupra cap. 1. in acida cereuiſia.

Tertium, quod immodice pinguia corpora emaciet: atque eius quidem ratio iam reddita eſt. De aceto plura Dioſcorides lib. 5. cap. 17. Galenus lib. 1. de ſimpl. medic. facult. cap. 19. & deinceps & lib. 8. eiuſdem operis capite 22. & Simeon Sethi in Syntag.

DE RAPIS.

CAPVT XLVII.

Rapa iuuat ſtomachum, nouit producere ventum,
Prouocat vrinam, præſtatq; in dente ruinam.
Si male cocta datur, tibi torſio ſic generatur.

al. Sic torſio tunc gen.

Raporũ commoda & incõmoda.

Hic tres cum primis raporum recenſentur proprietates. Ac primum quidem, quod ſtomachum iuuent. Secundum quod flatus gignant. Tertium quod vrinam prouocent: Quæ ſane omnia de ijs intelligi debent, quę bellè & perſpicue cum pinguibus carnibus percoquuntur. Ea enim iucũdiora ac gratiora ſtomacho fiunt, ſatis tum nutriunt, tum impinguant, ſed humentem ac fluxum carnẽ creant, flatus & genitale ſemen generant, Vene-

remq; ſtimulant, vrinam prouocant, fauces leniunt, atque thoracem, ac viſum præterea (vt Auenzoar in lib. de conſeruanda ſanitate & tract. 8. cap. 21. lib 1. Theſir. & Auerroes lib. 5. capite 41. collect. teſtantur) peculiari quapiam proprietate roborant. Fertur etiam, quod fibræ illorum, ſiue caudæ, aluum fortiter moueant: Atque hinc ſane vulgati excogitati ſunt verſiculi.

Radix rapa bona eſt, comedenti dat tria dona.
Viſum clarificat, ventrem mollit, bene bombit.

Secundo deinde loco duo eorundem referuntur incommoda. Nam & dentes lædunt, & torſiones ſiue tormina in ventre ſuſcitant. Atque his quidem malis cruda maxime obnoxia ſunt. Primum enim non ægre modo dentibus franguntur: verum etiam minus iuſto in ventriculo conficiuntur, quo fit vt & ipſa corrumpantur, & fœtidos præterea halitus dentibus ſuggerant, acciditque duplici ita nomine dentes offendi, commanducatione nimirum & halitu. Deinde vero ad iſtum modum liberalius ingeſta cōcoctu ſunt difficiliora, ac flatulenta magis, ſtomachoque noxia. Nonnunquam autem & ventrem mordicant: Quorum poſterius etiam vulgato nobis indicatur verſiculo.

Ventum ſæpe rapis, ſi tu vis viuere rapis.

Crebrior raporum vſus craſſum humorem generat & obſtructiones iecoris parit. ventrem nec ſiſtunt nec mouent. Inter radices tamē omnes, quæ quidem edendæ ſunt, rapæ corporis nutritioni vel maxime conueniunt, idq; ex saporis iucunditate facile deprehenditur, ea enim eduliorum omnium natura eſt, vt amara, & quæ linguam contrahunt, minus: dulcia vero magis alant. Rapa autem cum alijs radicibus dulciora ſunt, minuſque linguam contrahunt, maius etiā alijs præſtare alimentum, magiſque victus ſalubris rationi conuenire conſentaneum eſt. San-

guinem tamen crassiorem & melancholicum generant, cum minus iusto in ventriculo ob concoctoriæ facultatis imbecillitatem conficiuntur. Coctionem autem diuturniorem postulant, eaq; sunt laudatissima, quæ primæ ebullitionis aqua segregata & abiecta bis percoquuntur. Cruda ob prædictas paulo ante causas nullo modo edenda sunt. Cymæ raporum decoctæ manduntur, & vrinam cient. Rapum muria conditum, vel cum aceto & sale sumptum, minus quidem alimenti sufficit, sed multo magis appetentiam recreat. Huius semen tritum & magna copia haustum, Venerem suscitat. Eertur, quod si quis hoc ipsum semen cum calamintha & lemnia terra commixtum sumat, eo die neque veneno, neque morsu venenati animalis lædi. Appensum inguinum morbis peculiari quapiam proprietate medetur. Plura Dioscorides lib. 2. cap. 99. Plinius. lib. 18. cap 13. Galenus lib. 2. de aliment. facult. cap. 62. & lib 6. de simpl. med. facult. cap. 89. & Simeon Sethi in Syntag.

DE ANIMALIVM VISCERIBVS.

CAPVT XLVII.

EGeritur tarde cor, concoquitur quoq; dure;
Sic quoque ventriculus, tamen exteriora probantur.
Reddit lingua bonum nutrimentum medicina.
Concoctu facilis pulmo est, cito labitur ipse.
Est melius cerebrum gallinæ, quam reliquorum.

Agitur hoc loco de natura & facultate viscerum, quæ homines cibi causa ex animalibus secant. Recensentur autem numero quinque. Quorum primum quidem est. Cor tarde tum concoqui, tum per intestina descendere. Caro enim

eius dura est, cui vt ægre concoquatur, & tardissime descendat, natura comparatum est. Testis Galenus lib. 3. de aliment. facult. cap. 11. Cor inquiens substantia quidem sua caro est fibrosa ac dura, ideoque ad concoquendum est difficile, & tarde permeat. Huc iecur quoque referendum videtur. Nam, vt ibidem testatur Galenus, omnium animalium iecur crassi est succi, ac ad coquendum difficile, tardeque permeat. Renes itidem praui admodum sunt succi, & concoctu difficiles. Galenus ibidem cap. 5.

Secundum est, stomachum quoque ægre concoqui, & lente transire. Est enim membrum cartilaginosum ac nerueum, neque facile in bonum sanguinem mutari potest. Cartilaginosa enim dura sunt: nerueæ vero animalium particulæ succum absolute pituitosum gignunt, Oribasio lib. 4. Synop. ad Eustathium filium cap 7. teste. Galenus libro 3. de aliment. facult. capite 12. in hunc fere modum de eo scriptũ reliquit. Durior carnibus est stomachus ob id etiã si riteconficiatur, succum tamẽ gignet non plane sanguineũ neq; inculpatum; sed frigidiorem ac crudiorem proinde multum temporis requirit, priusquam satis confici & in probum sanguinem mutari queat. In extremis tamen partibus, nempe in fundo & orificio, facilius conficitur, in quibus pinguior est, & carnium naturæ propinquior. *Stomach.*

Tertium est linguam boni esse alimenti, idque maxime, Auicenna lib. 2. Cano. ca. 145. teste, circa radicem, illic enim suauissima est, facile concoquitur, & probum corpori alimentum præstat: cum fungosa alioqui laxaue, & respectu solidioris carnis parum alimenti habeat. Inter omnes tamen porcellinæ præstantissimæ sunt, vt quæ ablata circumcingente pellicula à structoribus ac prægustatoribus principum carni æquiparentur aprugnæ. Bouillæ ob exuperantem humiditatem parum in victus salubris ratione commen- *Lingua.*

dantur. Quamobrem ipsis vsuri obsonatricis artis periti caryophilla inserere solent, priusquam assentur, sic enim illarum humiditas contemperatur, edendoque accommodatiores fiunt.

Pulmo. Quartum est, pulmonem facile & concoqui, & per intestina descendere, mollis enim admodum est & rarus. Paulus lib.1.cap.85.hęc sic tradit: Pulmo facilius quidem, vtpote fungosus, concoquitur, sed leuiorem cibum præbet, pituitæ generandæ efficax. Agninus vero pulmo, licet pro alimento minus conueniat, medicamenti tamen vim possidet. Impositus enim, vt autor est Dioscorides lib.2.c.34. & Galen lib.11.de simpl.med. facult.c.8. attritus à calceamentis contractos ab inflammatione tuetur & sanat. Idem tradit Auicenna 2. Cano.cap.568.

Cerebrũ. Quintum est, gallinæ cerebrum omnium esse præstantissimum. Vbi sciendum inprimis, cerebrum esse pituitosum, crassi vitiosique succi: lente transire, concoctioni aduersari, stomachum lædere, & nauseam excitare: ideo recte vulgo ad corrigendam frigiditatem & humiditatem, cum sale & puluere zingiberis, aut piperis condiri solet. Suillum naturæ inimicum est, ouillum vero, vitulinum, leporinum, cuniculumue cum sale ac calidis speciebus mandi conceditur. Inter omnia tamen cerebrum gallinæ primam laudem obtinet, abunde enim nutrit, genitali semini adiicit, & cerebri substantiam auget: vnde & his qui tardiori leuiorique ingenio ac mente sunt, prodesse dicitur. Dioscoridi lib.2.cap.40. sanguinem à cerebri membrana profluentẽ sistit. Quod Auicenna lib.2.cap.128. & 296. ad fluxum sanguinis narium transtulit, nempe qui membranæ cerebri vitio contractus sit. Cerebrum, inquit, gallinæ prohibet fluxum sanguinis narium, accidentem ex velaminibus cerebri.

Plura de hoc supra cap.9.

DE

DE SEMINE FOENICVLI.

CAPVT XLIX.

SEmen fœniculi pellit ſpiracula culi.

Hoc in loco traditur, ſemen fœniculi, quod μάραθρον Græce dicitur, flatus diſſipare atq; expellere, idque maxime ratione caliditatis. Nã vt lib. ſeptimo de ſimpl. medic. facult. capite 97 Galenus memoriæ prodidit, tam valenter excalfacit, vt ex tertio ordine excalfacientium cenſeri promereatur, deſiccat vero non æque, ſed ipſum quiſpiam in hoc primi eſſe ordinis poſuerit. Proinde lac procreat: quod ſi admodum deſiccaret, non ſane efficeret. Suffuſis eadem ratione auxiliatur, vrinas menſeſque ciet. Ex eſu præterea ſeminis fœniculi manant & alia quædam commoda. In febribus enim nauſeam & ſtomachi feruorem ex aqua frigida potum ſedat, ſtomachum purgat, oculorum aciem reficit, & cum vino decoctum virulentorum vermium ictus ſanat. Contuſæ radices & cum melle illitæ morſibus canum medentur. Quæ quidem omnia à nonnullis memoriæ iuuãdæ gratia hiſce verſibus incluſa ſunt.

Bis duo dat marathrum, febres fugat, atque venenum,
Et purgat ſtomachum, lumen quoque reddit acutum.

Tranſcripta autẽ ea ſunt, partim ex Dioſcoride lib. 3. ca. 71. partim vero ex Auicenna lib. 2. Cano. ca. 281. Quo ſane loco inter alia refert Auicẽna, etiam Democritum exiſtimaſſe, ſerpentes & vermes venenatos recentis fœniculi ſemine paſtos ſenectam exuere, oculorumq; aciem ſucco eius reficere veris initio, vbi latebris relictis in apricũ prodierint. Vnde intellectũ eſt, hominum quoq; caliginẽ præcipuè eo releuari. Plura hac de re Nicander ſub exordium Theriacon. Plinius

lib. 8, cap. 27. & lib. 19. cap. 91. & lib. 30. cap. 23. Macer libro 1. capite 16. & Mesues capite 1. de ægritudinibus oculorum. Attamen quum concoctioni aliquantulum renitatur, & exiguum prauique succi alimentum corporibus exhibeat, non vt alimento, sed vt medicamento potius fœniculo vtendum est. Proinde aliis interim cibis ipsum vice condimenti, & vt eorum prauitatem corrigat, adhibemus. Quemadmodum enim petroselinum nonnunquam cum lactucis, vt earum humiditas & frigiditas contemperetur, sic etiam cucurbitis interdum aut rapis, vt prauitas eorum minuatur, fœniculum decoquere simul & mandere consueuimus.

DE ANISO.

CAPVT L.

EMendat visum stomachum confirmat Anisum.
Copia dulcoris Anisi sit melioris.

Duæ hic referuntur vtilitates Anisi.

Primo nanque visum emendat, & maxime quidem foris impositum. Atque hinc sane apud Plinium libro 20. c. 17. naturalis hist. epiphoris oculorum è vino radicem eius tusam ab Iolla imponi solitam legimus. Ipsum cum croco pari modo & vino, & pertritum cum polenta ad magnas fluxiones, extrahendaque si qua in oculos inciderint.

Secundo deinde loco stomachum roborare dicitur, quod profecto de semine eius potissimum intelligendum est. Illud namque vt libro 6. de simp. medic. facult. capite 44. Galenus adserit, maxime vtile est, acre, & subamarum, vt prope ad vrentium accedat caliditatem. Est autem & in siccando tertij ordinis, sicut & in calefaciendo. Stomachum igitur calefacit, & qui in ipso sunt humo-

humores craſſos ac frigidos lentoſque attenuat, incidit, liquidoſque & expulſioni accommodos reddit. Inflationes quoque, quæ ab iiſdem proficiſcuntur, diſcutit. Atque hinc adeo fit vt ſtomachus tum repurgetur, tum exſiccetur, & onere quo grauatus fuit, depoſito roboretur. Quinetiam viſui eadem ratione conferre exiſtimandum eſt: quippe cui nihil æque noceat atque ſtomachi impuritas. Hinc enim impuri, fœtidi & turbulenti fumi ad oculos ſublati noxam ſpiritibus viſiuis inuehunt. Melius ad hoc ſemper recens, plenum non furfuroſum, dulcedine & odore præſtans. Præter has vtilitates: & aliæ quamplurimæ à Dioſcoride lib. 5. cap. 55. à Plinio loco paulo ante citato, Serapione cap. 242. & Auicenna lib. 2. Cano. cap. 1. recenſentur. Oris enim halitum iucundiorem facit, doloris leuamentum præſtat, vrinam eiet, diſcutiendi vim habet, aquã quæ ſubijt cutem diſſipat, potum ſitim ex ſalſis humoribus contractam extinguit, animalium venenis aduerſatur, valet ad inflationes. Aluum & alba fœminarum profluuia toſtum ſiſtit, lac ad mammas elicit. Venerem ſtimulat, Dyſpnœas à pituita profectas toſtum purgat, cum melle ſumptum melius. Vetuſtis & antiquis ex frigore hepaticis affectibus prodeſt. Iecoris, lienis, renum vteri ac reliquorum etiam viſcerum obſtructiones tollit. Vias enim ab humoribus craſſis, frigidis ac lentis præcluſas & obſeſſas aperit. Atque ob id febribus quoque opitulatur antiquis. Dolores capitis leuat, ſuffitum naribus: cum roſaceo tritum inſtillatumque fractis auribus medetur.

DE SPODIO.

CAPVT LI.

SI cruor emanat, Spodium ſumptum cito ſanat.

Spo-

Spodium ſanguinis profluuia hic ſiſtere traditur: quod de Spodio ab Arabibus nobis deſcripto potiſſimum intelligendum venit. Hoc, vt ex Auicenna 2. Cano. capite 617. colligitur, non eſt niſi radices cannarum arundinumve aduſtæ. Quare cum eo quod Græci ἀντισπόδιον appellant conuenire videtur. Officinæ Platearij nixæ teſtimonio pro ſpodio tam Græcorum, quam Arabum oſſibus vſtis vtuntur, quæ elephantis eſſe putant: quum veriſimilius ſit bouis, vel alterius eſſe animantis oſſa. Quocirca cum veterum & Græcorum ſpodium, quod Tuthiacus vocata ſpecies eſt, habeatur, ex officinis prorſus hæc combuſta oſſa proſcribantur, eiuſque in Græcorum compoſitionibus vſus ſit: in Arabum vero compoſitionibus cannarum, Indiæ ſpodio, aut ſi illud haberi non poſſit, radicibus cannarum noſtrarum aduſtis vtendum erit. Græcorum ſpodium ſolùm admouetur: Arabum vero etiam ſumitur & deuoratur. Hoc ipſum itaque ſanguinem vndecunque etiam manantem hic ſiſtere traditur, & maxime quidem quod frigidum ſit & ſiccum, valideque adſtringat, aut certe quod ſumptum ſiue admotum peculiari quadam proprietate hepar intemperie vel naturali, vel quoquo modo aduentitia calidius moderetur ac roboret. Hoc autē viſcere (quod principium ac fons ſanguificationis eſt) roborato, ſanguis ab eodem melius etiā retinetur. Puluis igitur eius cum ſtillatitiis liquoribus roſarum & plantaginis in nares iniectus αἱμοῤῥαγίαν earundem curat. Idem cum ſucco plantaginis contra αἱμόπτυσιν & dyſenteriam efficaciter ſumitur. Quin & aliæ quā plurimæ ab autoribus ſpodio attribuuntur dotes. Siquidem cor quoque proprietate quadam corroborat, & ſpiritus claros ac ſolidos efficit: quapropter exhilarat etiam atque lætificat. Potum aut appoſitum calidæ cardiacæ & contractæ ab effuſione flauæ bilis ad os ventriculi ſyncopæ, calidoque

lidoque cordis tremori auxiliatur, adiuuante scilicet talem ipsius actionem facultate adstrictoria, & maxime quidem in temperaturis calidis: in frigidis vero cum croco temperatum eadem praestat: Febribus confert acutis, sitim sedat, & immodico cholerico alui profluuio atque vomitui subuenit: Pustulis quoque, quae in ore & lingua erumpunt, prodest. Feruorem furoremq flauae bilis compescit, ventriculum roborat, ardori eius atque imbecillitati proficit, flauaeque ad ipsum bilis inhibet effusionem. Contra melancholiam ex sollicitudine, timorem de praeteritis, terrorem de futuris, & quaslibet animi perturbationes efficax est. Vtiliter calidis oculorum abscessibus illinitur. Plura Rhazes lib. 3. ad Almansorem cap. 36. Auicenna loco citato, & tract. 2. de viribus cordis, cap. 3. Auerroes lib. 5. collect. cap. 56. Serapion capite 332. & Leonhardus Fuchsius lib. 1. cap. 17. de composit. medic. Porro autem quemadmodum spodium peculiari hepatis roborandi facultate praeditum est, ita & aliae nonnullae medicinae aliis singularibus quibusdã membris roborandis accommodatae sunt, veluti macis cordi, moschus cerebro, glycyrriza pulmoni, capparis lieni, & galanga stomacho, id quod vulgatis etiam hisce versiculis comprobatur.

Gaudet hepar spodio, mace cor, cerebrum quoque moscho,
Pulmo liquiritia, splen capp. stomachusq; galanga.

DE SALE.

CAPVT LII.

VAs condimenti praeponi debet edenti:
Sal virus refugat, recte insipidumq; saporat.
Non sapit esca probè, quae datur absque sale.

Vrunt

Vrunt res salsa visum, semenque minorant,
Et generant scabiem, pruritum siue rigorem.

Tria hoc in loco peraguntur. Inprimis enim generale traditur præceptū, nemini hactenus humaniori saltem atque ciuiliori non obseruatum, nempe vt vas condimenti, hoc est, salinum primum in mensa apponatur: idque adeo vulgatum vbique est, vt hisce etiam versiculis decantetur.

Sal primo poni debet, primoque reponi.
Non bene mensa tibi ponitur absque sale.

Duo deinde salis recensentur commoda: ac primum quidem, quod venenis resistat. Cuius duplex assignari potest ratio: vel quod sal vim habeat vehementer siccam & adstringentem, atque od id quicquid in corporibus humidum est, id omne depascat, reliquum adstrictione leniter contrahat, eiusque rei testis est Galenus lib. vndecimo de simpl. medic.. facultat. capite. 50. sic inquiens. Nam sal quicquid in corporibus humidum inest, id quodammodo absumit, & quod reliquum est substantiæ solidæ adstrictione contrahit: ac proinde etiam conditura sua carnes seruat, & à putredine tuetur: Vel quod sal non solum humores è corpore ducendos liquet, incidat, tenuet, purget & exsiccet, sed poros etiam, per quos veneni vis in interiora corporis irruere solet, denset ac constringat, adeoque penetrationem eius intercipiat & excludat. Secundum vero, quod cibos condiat, id est, sapidiores reddat. Nulla siquidem cibaria citra salis commistionem sapere quotidiano discimus experimento. Tertio demum loco salis, siue persalsorum eduliorum quatuor enumerantur nocumenta. Quorum primum quidem est, quod vsu præsertim immoderatiore vrant, hoc est, corrumpant aut hebetem certe ac debiliorem reddant visum. Ac huius itidem duplex asignari potest ratio: vel quod oculi

Salis siue cibariorum salsorum nocumenta.

culi, vt supra capite secundo, ex Aristotele osten-
dimus, sint de natura aquæ: res vero persalsæ hu-
midam ipsorum substantiam exsiccent & consu-
mant, adeoque hebetudinem ob id visui adfe-
rant: Vel quod à cibarijs persalsis in ventriculo
existentibus mordaces admodum atque acres re-
soluantur fumi qui ad oculos sublati ipsos acri-
monia sua rodant ac rubefaciant. Atque hinc sa-
ne eos qui salem excoquunt, rubros fere oculos
habere conspicimus. Secundum, quod Veneris
appetentiam compescant. Nam cum omnes cor-
poris exsiccent & consumant humores, sperma
quoque necessario exhauriunt ac minuunt. Ter-
tium, quod scabiem generent. Acrem enim ac
mordacem procreant succum, sanguinemq; adu-
runt, atque hinc profecto scabies incidere con-
sueuit. Quartum, quod pruritum etiam excitent:
mordacia enim ac pruriginosa generant excre-
menta. Horum nocumẽtorum Rhaces etiam me-
minit libro 3. ad Almansor. capite 17. Sal, in-
quit, sanguinem eorum qui multam ex ipso su-
munt quantitatem adurit: visum quoque debi-
litat, atque sperma minuit: pruritum generat &
scabiem. Ad hæc serpiginem nonnunquam & im-
petiginem, morphæamque ac lepram progignit
ijs, quorum corpora ad patiendum sunt parata.
Quin vrinarios etiam meatus, vsu præsertim im-
moderato ac frequentiore, excoriat. Modice ta-
men salsa profligato fastidio appetentiam reuo-
cant. Fertur præterea, quod si sal cũ aceto & suc-
co rutæ permistus pedum plantis diligenter in-
fricetur, non noxam tantum ex vini crapula
contractam curet, sed ijs etiam qui cibos auer-
santur, Græci ἀποσίτους appellant auidita-
tem restituat, Plura de sale Dioscorides libro 5.
cap. 90. Galenus libro 9. capite 30. & libro 11. cap.
50. de simpl. med. facultat. Simeon Sethi in Synt.
Auicenna 2. Cano. capite 624. & Mesues libro 2.
sect. 2. capite 16. de medic. simpl. purgantibus.

DE

DE SAPORIBVS AC. eorum qualitatibus.

CAPVT LIII.

HIc feruore vigēt tres salsus, amarus acutus:
Alget acetosus sic stipans ponticus atque
Vnctus, & insipidus, dulcis dant temperamentū.

Hic agitur de saporibus, siue qualitatibus gustatoriis. Vbi sciendum imprimis. Saporem accipi pro omni eo quod gustu diiudicatur. Species autem eius aliter ab alijs numerari solent. Galenus lib. 1. de simpl. med. facult. capite. 38. non facile numero comprehensibiles esse tradit. A Theophrasto lib. 6. de causis plantarum cap. 1. & 4. eius octo recensentur differentiæ, exempli gratia, dulcis, pinguis, austerus, acerbus, acris, salsus, amarus, & acidus. Quibus nonum quoque nonuulli adijciendum putarunt, nempe insipidum, quem ἄποιον Græci vocant, quod extra omnem sit insignem tum caliditatem tum frigiditatem. mediam, quoad fieri queat, constitutionem obtinens, qualem præbet sensum aqua plane omnis qualitatis expers. Ex his tres calfacere hoc loco traduntur, nimirū salsus, amarus, & acris. Sed in his non parua est maioris minorisq; ratio. Siquidem acre, Vt Auicenna 2. Cano. tract. 1. cap. 3. cōfirmat, est calidum, hinc amarū, deinde salsum: quoniam acre maiorem vim habet resoluendi, incidendi & abstergendi, quam amarum: salsum vero est velut amarum frigida aliqua humiditate retusum hebetatumque. Secundo deinde loco tres ex saporibus statuuntur frigidi; acidus videlicet, austerus & acerbus. Ex quibus acerbus tamen frigidior existit, mox austerus, deinde acidus. Quod sane perspicuum euadit in omnibus fructibus qui dulcescunt. Principio enim sese prodit acerbitas vehemētis infri-

Sapores octo.

nfrigidationis : processu deinde temporis cum per solarem calorem aliquo modo ad concoctionem ducti fuerint, austeritas in eis sentitur: qua sensim deposita, aciditatem acquirunt, sicut ὄμφακες: hinc dulcedinem tandem adsciscũt. Acidum vero quamuis acerbo minus sit frigidũ, tamen ob subtilitatem & penetrationem suam in pluribus maioris est infrigidationis. Acerbũ autem & austerum in sapore sunt propinqua, sed hoc nihil linguæ præter extimam eius superficiem contrahit: illud vero non modo extimam superficiem, verum etiam interiora eius contrahit atque exasperat. Postremo vero tres dicuntur temperati, id est, mediæ qualitatis, ita vt corpus neque refrigerent excellẽter, neque calefaciant: nempe dulcis, pinguis, & insipidus. Dulce enim licet calidum sit, in ipso tamen non apparet excellentia caliditatis, vt lib. 3. ad Almanſ. cap. 1. Rhazæ visum est. Porro suę ac proprię sapori cuique adsignantur facultates.

Dulcia enim concoquunt, emolliunt, rarefaciunt, laxant, plurimumque corporibus exhibent alimenti, & impinguant: Cum enim naturę sanguinis nostri & carnis proxime congruant, lingua auide excipit ac voluptate dilatationeq; afficitur, eis fruens non læditur, non exulceratur ab eis, nec refugit ea, vt amara seu acria. Ac sane quicquid nutrit, ex genere dulcium esse oportet. Nam dulcia vngunt, implent & restituunt erosas particulas. Sed interdum excellenter dulcia nocent. quia cũ sint valde calida & aerea, cito in igneã naturã transeũt, vt mel & saccharũ celerrime vertuntur in flauã bilem. Quare auidius vsi saccharo sæpe periculose infirmmantur. Ad hæc dulces cibi intemperantius eduntur, humorisq; copiam generant, quam sequuntur interdum vel putrefactiones, vel obstructiones & abscessus hepatis atque lienis: & maxime quidem cum hæc viscera ad patiendum accommodata fuerint. *Dulcia.*

Sto-

Stomachum quoque relaxant admodum & aluum cient. Pectori tamen conferunt & pulmoni, genitaleque semen augent.

Amara. Amara meatus perpurgant, abstergunt, extenuant humorum crassitiem incidunt, & linguam mordent, suntque in natura terrestri crassa, in qua excedunt calor & siccitas, vt in Bile, Nitro, Marrubio, Absinthio: immodico vsu sanguinem cito adurunt & corrumpunt, bilemque augent flauam.

Acerba. Acerba Græcis στρυφνὰ appellata, recentiores pontica à pungendo vocant, quo verbo medici quoque libenter vtuntur, linguam contrahunt & introrsum pellunt, ideoque constipandi, densandi & adstringendi vim habent, suntque in natura terrestri, crassa, frigida & sicca. Ideo enim acerbus sapor dicitur esse tardior quia acidus est in natura tenuiore minus terrestri. Acerba sunt fructus glandium, pyra syluestria, & in genere immatura poma, mala cidonia ac magis immatura. Nam postquã maturuerunt, fit mixtus sapor ex acerbo & dulci, sicut nucum ex acerbo & pingui. Sunt στρυφνὰ & fructus qui vulgo ribes dicuntur: item castaneæ, corna, & poma Cynosbati.

Austera Græcis αὐστηρὰ medicis, etiam nostri temporis στυπτικὰ, à verbo Græco στύφω dicta contrahunt, constringunt, densant. incrassant & infrigidant. Sunt enim in natura terrestri, crassa, frigida, & sicca, sed plus habent caloris & humiditatis quam habeant acerba. Frequentiore in cibis ac immoderatiore vsu humores abunde extenuant inaniuntque, eoque sanguinem gignunt, melancholicum, & corpus reddunt gracile: Ventriculum tamen, quemadmodum Galenus id ipsum in l. br. de cibis boni & mali succi, cap. 17. attestatur, corroborant. Omnia, inquit, quæ egregiè austera sunt, laxum stomachum

machum ac ventrem firmant, ac tum præcipue, cum calida intemperie affecti sunt: Hac enim de causa, atque etiam ad alui fluxiones sistendas austeris vtimur vinis: Iuuant enim ventriculum natiua siccitate, & aliquantulum adstringunt:

Pinguia siue oleosa, quæ Græcis λιπαρὰ, & vulgo vnctuosa nominantur, dulcibus vicina sunt, aqueæ & aereæ substantiæ: leniunt, emolliunt, lubricant, laxant, concoquunt, maturant, & humectant, sine manifesta tamen calefactione. Hæc si sint mediocria, optime nutriunt: sed immodice pinguia supernatant, abominabilia sunt & nauseabunda, ventriculum resupinant, coctionem impediunt, flatus & obstructiones generant. Ad hæc cibi quoque, antequam edendo naturæ satisfactum sit, satietatem adferunt. Quod Galeni testimonio confirmatur: qui libro tertio de aliment. facult. capite 29. ita scriptum reliquit. Pinguia & lenta cibaria statim vt sumpta fuerint celeriter implent, & appetentiam euertunt. Præterea quod maius est compluribus deinceps diebus ipsorum esum non sustinemus. Febricitantibus, ac ijs etiam, quibus stomachus atque hepar calidiora sunt, non æquè vt aljis conferunt: ipsis enim facile accenduntur, & in flauam bilem transeunt. Reliquis vero phlegmatis generant copiam somnolentiam pariunt, rationalemque mentis partem reddunt hebetiorem: Carnium tamen atque oletum coctura non mediocre tribuunt condimentum, *Pinguia.*

Acria, Græcis δριμέα, & vulgo acuta, non solúm mordent ac rodunt linguam, sed etiam penetrant, vrunt, vlcerant, aperiunt, flatus dissipant, tenuant, incidunt, separant, resoluunt, à longinquo attrahunt: suntque in natura tenui: in qua excedunt caliditas & siccitas, & superant calore res amaras. Vnde calorem augent & corpus velociter inflammant, ac sanguinem adurunt, *Acria.*

ipſumque in bilem prius flauam, deinde in nigram conuertunt: ſiccant etiam, emaciantque, ac ſitim faciunt. Acria autem ſunt, vt piper, zingiber, allium, cepa, calx & granum gnidium.

Salſa. Salſa (Græcis, ἁλμυρὰ) incidunt, tergent, tenuant, liquant, mordent, condiendo ſeruant & à putredine vindicant, conturbant, ſubuertunt ventriculum, & ad vomitum impellunt deſiccant citra apertam aut caliditatem aut frigiditatem, ſitim excitant, exaſperant, radendo expurgant. & aperiunt. Plura ſupra cap. 52.

Acida: Acida Græcis ὀξεῖ vulgo acetoſa, mordendo conſtringunt & refrigerant, penetrant, incidunt, extenuant, diuidunt, tergent, farctu liberant, perpurgant, citra excalefactionem. Sunt in natura tenui, frigida & ſicca, in qua dominatur frigiditas. Nam quæ ſnut tantũ acida, ſunt præcipuè frigida, vt ὀξαλὶς quæ vulgo acetoſa nominatur: quia hæc purè hunc ſaporem habet. Eſt & ſpecies mali punici vere acida. Alia quædam ſunt mixtæ qualitatis, Vt acetum quod eſt ſubacre, quia etſi frigidum eſt, tamen retinet obſcurum calorem ex vini corruptione: inde fit ſubacre, ſed tamen dominatur frigiditas. Cum enim exhalant aereæ partes & reliquæ manent terreæ diluta aquoſa tenui parte fit acetum ſua natura frigidum. Acida ſanguinis atque flauæ bilis feruorem compeſcunt, & vt libro 2. capite 21. de aliment. facult. Galenus atteſtatur, cum in ventriculo ſuccum craſſum inueniunt, eundem incidendo aluum ſubducunt, & ob eam cauſam fæces liquefaciunt. At ſi purum ventriculum inueniant, eum magis ſupprimunt: corpus infrigidant ac deſiccant, concoctoriam hepatis facultatem debilitant: neruis etiam ac neruoſis omnibus nocent. Appetentiam tamen cient: quia humores vitioſos in orificio collectos diui-

dunt

dunt & pellunt, & mordicatione non vrente irritant ventriculum. Ex insipidis quædam magis nutriunt, nempe quæ propius ad æqualitatem accedunt: quædam vero mediocriter calefaciunt aut refrigerant. Et hæc sane si multa etiam humiditate prædita fuerint, humectantium, sin vero siccitas in eis exuperet, exsiccantium ordini adscribenda veniunt. De his omnibus plura Galenus in lib. de simp. Medic. facult. præsertim libro 5. capite 15. Paulus libro 7. capite 1. Aetius libro 1. capite 1. Rhazes lib. 3. ad Almansor. cap. 1. Serapio sermo. 1. de temperam. simpl. Auicenna lib. 2. Cano. tract. 1. cap. 3. Mesues lib. 1. Theorem. 1. *Insipida.*

DE VIPpA.

CAPVT LIV.

BIs duo vippa facit, mundat dentes, dat acutum
Visum, quod minus est implet, minuit quod abundat.

Hic quatuor recensentur commoda Vippæ. Primò dentes mundat. Panis enim vino imbutus diutius circa dentes moratur, atque eam ob causam facilius etiam fœculentam materiam ipsis adhærentem abstergit ac consumit, quam vinum per se sumptum. Deinde visum acuit: malos enim fumos, qui è ventriculo cerebrum petunt, suaque permistione spiritus visiuos obscurant, reprimit, ideoque materias prauas stomacho inhærentes concoquit, incidit, & deorsum pellit. Tertio cruda concoquit: quia os ventriculi leni quadam adstrictione claudens concoctoriam facultatem roborat, plurimumque alimenti corporibus exhibet.

bet. Quarto vero vitiosorum humorum multitudinem minuit, eos enim concoquit, incidit exsiccat, & deorsum expellit: idque maxime, si panis assatus prius, aut super prunis exsiccatus fuerit. Quin eodem modo etiam superflue concocta ad συμμετρίαν reuocat. Porro de vippa quã Gallice Souppe au vin vocant, Hermolaus Barbar. cap. 65. lib. 5. corollarii in Dioscoridem ita scribit: Erat veteribus ientaculum, buccea ex vino, quod genus Barbari à vino & pane vippam vocãt. De eo Athenæus lib. 1. Deipnos. sic ait πρώϊνον ἔμβρωμα ὃ ἡμεῖς ἀκρατισμὸν καλοῦμεν διὰ τὸ ἐν ἀκράτῳ βρέχειν καὶ προσίεσθαι ψωμοὺς id est, matutinum edullium siue ientaculum, quod nos ἀκρατισμὸν, vocamus, propterea quod panis buccellæ mero tingantur. Lege de eodem Plutarchum in Sympos.

DE DIAETA

CAPVT LV.

Omnibus adsuetam iubeo seruare diætam;
Quod sic esse probo ni sit mutare necesse.
Hippocrates testis, quoniam sequitur mala pestis.
Fortior hæc meta est medicina, certa diæta.
Quam si non cures fatuè regis, & malè curas.

Cum Primus præcipuusque non solum morbi cuiusuis curandi, sed sanitatis etiam tuendæ scopus (vt in libro qui de facile parabilibus inscribitur, capite 28. & in præsagio experientia confirmato, capite 5. in libro de attenuante victus ratione cap. 1. Galenus adserit) in exacta victus ratione consistat: operæ precium fuit de ea etiam hic aliquid præscribi. Præcipitur ergo imprimis vt seruetur consueta diæta, Per quam sane administratio

nistratio sex rerum non naturalium modo intelligenda venit &ratio quidem est, quod transgressio à consuetudine noceat nocumento magno. Consuetudo enim est altera natura, quia vt lib.1.cap.11. Rhetoricorum ad Theodecten,& lib. 7.capite 10. Ethicorum, & cap.2. de memoria & reminiscentia ab Aristotele scribitur, consuetudo est eorum, quæ vt sæpe siue plurimum fiunt: natura eorum, quæ vt semper: sæpe autem & semper sunt sibi inuicem propinqua. Quod est ergo diu adsuetum, in naturam fere transiuit. Quēadmodum igitur naturam custodire oportet, ita & consuetudinem, si laudabilis fuerit. Et quemadmodum consueta cibi & potus administratio, eadem ratione & aliarum rerum non naturalium obseruanda est. Vnde si quis consuetus multum laborare velit hanc consuetudinem immutare ocioque indulgere, minusve laborare, vel aliud laboris genus adsumere, idque alio & tempore & modo, ille proculdubio multum ex hoc debilitabitur. Idem intelligendum de cibo ac potu, somno & vigilia, repletione & inanitione & animæ accidentibus. In quibus omnibus consuetudinem obseruare decet, & maxime quidem si sit laudabilis, vel ab hac non multum declinet, siue medium etiam locum inter bonam ac malam obtineat: respectu nimirum illius ad quod fieri debet permutatio. Porro quanta sit vis consuetudinis, vel inde colligas, quod debiles & senes consuetos labores facilius ferant, quam fortes atque iuuenes inconsuetos: quod profecto lib.2.aphor.49. Hippocrates etiam hisce verbis confirmat: Qui consueti solitos labores ferre, etsi fuerint imbecilles & senes, non consuetis fortibus atque iuuenibus facilius ferunt. Quod dicit, inquit, Philotheus, tale est: sunt duo, hic quidem senex, ille autem consistenti ætate, ambo incipiunt fodere, & huic quidem seni contingit recte fodere, illi autem qui est consistenti ætate,

non

Diæta.

Consuetudo.

non recte: seni quidem ob consuetudinem recte quamuis sit imbecillus, iuueni autem non recte, cum non adsuetus sit. In vniuersum enim oportet cognoscere, fortiores alijs fieri partes quæ exercentur, & hac de causa solitos labores facilius sustineri. Ex hoc autem particulari exemplo licet nobis & de omnibus ratiocinari. Deinde vero malam pestem, hoc est, maximum periculum ex repentina consuetæ diætæ permutatione sequi confirmatur autoritate magni Hippocratis. nempe ex 2. lib. de vict. rat. in morb. acutiss. aphor. 21. & 22. vbi sic inquit: Atqui facile est hoc addiscere, quod simplex victus cibi ac potus ipse sibi ipsi semper similis, securior omnino est ad sanitatem, quam si quis repente ad alium meliorem magnam mutationem faciat. Nam & his qui bis in die cibum sumunt, & his qui semel, repentinæ mutationes noxas & ægritudines inducunt. Et eos sane qui prandere non adsueti sunt, si pransi fuerint, statim infirmos facit hoc, & toto corpore graues, & debiles, & pigros, &c. Ælianus quoque initio libri 5. de varia historia, Tachi cuiusdam exemplo admodum diserte nobis significauit, quam periculosa sit repentina diætæ permutatio. Tachus Ægyptius, inquiens, donec vsus est vernaculo victu, & frugaliter vixit, omnium hominum fuit sanissimus: postquam vero ad Persas venit, & in illorum luxum delapsus est, cùm non posset ferre insolentiam ciborum, vitam in dysenteria transegit, & luxuriam cum morte commutauit. Quanquam autem non sanis tantum, sed ægris quoque adsueta victus ratio diligenter obseruanda præcipiatur, haud tamen raro incidit eius permutandæ necessitas: quando nimirum illaudabilis existit, ita vt, nisi permutetur, perniciosæ inde consequantur ægritudines. Talis autem eorum est, qui prandium aut cœnam prauis terminare solent alimentis. Eiusmodi igitur consuetudinem

Mutatio subita nocet.

neces-

necessarium est corrigi ac permutari, non quidem subito, sed paulatim & ordinatè. Omnis enim subita permutatio vehementer nocet, maxime si à consueto ad inconsuetum transitus fiat. Hinc est quod in libro de natura hominis ita scriptum reliquit Hippocrates: Detrahendi sunt cibi ac potus, quibus vti consueuerunt: idque paulatim facere oportet. Nam si quis cito diætam permutet, periculum est, etiam à permutatione aliquid in corpore nouatum iri. Quinetiam laudabilem victus rationem interdum mutari necesse est, quod (si quando necessitas inciderit) natura non offendatur insolentia nouitateque, neque renuat, neque recuset. Nam qui omni diætæ sese assuefacit, minus læditur, cum ad inconsueta transire cogitur. Eadem in aliis quoque rebus non natutalibus ratio est. Quod Hippocratis etiam testimonio confirmatur, qui libr. 2. aph. 50. ita scriptum reliquit: Quæ ex longo tempore consueta sunt, etsi deteriora sunt, insuetis minus molestare solent. Oportet igitur ad insueta permutari. In cuius quidem sententiæ explicatione Philotheus inter cætera sic inquit: Cum enim quodque ipsorum factum sit peculiare, minus lædit, quamuis ex sua natura molestum sit, si nondum in consuetudinem venerit. Verbi causa solitus est aliquis mannam comedere, hic si ad bonum cibum sumendum conuertitur, læditur, cum adsuetus non sit: adsuetus est aliquis aquæ potioni, si præter consuetudinem bibat vinum, offenditur, quoniam consuetudo contemnitur. Oportet igitur ad insueta permutari, vt, si necesse sit, ea quæ offeruntur ferre possimus. Vtentem enim copioso nutrimento, oportet etiam parum cibi quandoque assumere, vt, si contingat, ferat etiam illius vsum. Hinc est quod Cornelius Celsus libro 1. capite 3. in hunc etiam modum scripsit: Nimis otiosa vita vtilis non est, quia potest incidere laboris necessitas. Neque etiam ex nimio labore

ſubitum ocium, neque ex nimio ocio ſubitus labor ſine graui noxa eſt. Huc igitur reſpiciens Hippocrates rectiſsime conſulit, conſuetudinem eſſe mutandam. Proinde non temere à Plutarcho in libro de tuenda bona valetudine in hunc modū ſcribitur. Exacta illa & vehementer ad vnguem, vt dici ſolet, obſeruata vitæ ratio ſimul & corpus formidoloſum reddit, ac periculis obnoxium, & animi frangit vigorem. Quocirca cauere quiſque debet, quemadmodum libro 4. capite 10. ad Almanſ prudentiſſime Rhaces monuit, ne alicuius rei ſibi conſuetudinem faciat, quam deinceps ipſum obſeruare neceſſe ſit. Exempli gratia: Si quis vno cibo conſuetus ſit vti, vel aliquo potu, vel omnino ab eis abſtineat: vel dormire, vel moueri, vel egerere, Veneriue indulgere conſueſcat, & ab aliquo iſtorum impetuoſe irritetur, maximum incurret nocumentum, ſi ab eis abſtinuerit. Quapropter quiſque corpus ſuum debet ita præparare, vt caloris & frigoris patiens eſſe poſſit & ad motiones & cibaria ſibi neceſſaria aptum reddatur, & vt ſomni & vigiliarum horas, atque manſiones & domos ſine læſione permutare queat. Fortaſſe enim ex neceſſitate id ipſum quandoque facere cogetur. Poterit, autem commode, ſi conſuetudinem non obſeruet ad vnguem, ſed interdum ad inſueta tranſeat. Porro quo tempore, quoue modo conſuetudo mutanda ſit, copioſe admodum docet Galenus lib. cap. 8. & lib. 6. cap. 3. de ſanitat. tuen. & libro. 8. cap. 9. method, medendi: itemque Conciliator different. 98. & Hieronymus Cardanus lib. 1. tractat. 6. Contradict. 2. Tertio demum loco traditur, fortiorem ac potiorem medendi metam eſſe certam diætam: quam ſane ſi medicus curare noluerit, ac aliam quandam eamque non ſatis commodam adminiſtrauerit, ſtultè ægrum regere, ac male curare merito dicitur. Sciendum eſt autem apud Galenum hæc alimentorum genera inueniri, co-

Conſuetudo varianda. *Oribaſ. lib. 1. cap. 1. Euparistion ad Eunapiū.*

ri:copiosum, medium, tenue. Copiosum est sanorum, cibus qui non solum vires conseruat, sed etiam auget. Medium ad sanos etiam spectat. (Nam vires quidem conseruat, non tamen auget.) Teuue, id est, quod vires quidem comminuit, eatenus tamen vt non exsoluantur. Hoc ab Autoribus in multas partes diuisum est, nempe in tenue simpliciter, in tenue exquisite, in tenuissimum citra adiectionem, & in tenuissimum in extremo. Tenue simpliciter per pauca: aut ea quæ parum nutriunt edulia fit: eiusmodi est, ptisanæ succus, mulsa, & sorbitio ex alica. Tenue exquisite, vbi ptisanæ succus exigua sumitur quantitate. Tenuissimum citra adiectionem, per mulsam aquam, siue mellicratum fit solum. Tenuissimum vero in extremo per inediam ad iudicationem vsque progreditur. Copiosum autem vel est, vbi tota ptisana sumitur. vel copiosum, vbi pisces, oua, & ius carnium: vel copiosissimum, vbi caro. Medium autem horum est, vt panis lotus, vel placenta. Sani homines non solum conseruandi, sed augēdi etiam sunt, propterea alimentum copiosum illis competit. Qui vero ægritudine longa laborant, vires augere non debent, sed bene conseruare: aliter vsque ad finem non sufficerent: propterea hi medio victu cibandi sunt, qui etiam sanis conuenit, in quibus vires augere non cupimus, sed illas solum conseruare in animo est, quas etiam in longo morbo totis viribus seruare studemus. Quum vero ægritudo breui terminatura est, si quarto die finire debeat, aliquid dare non est opus, iuxta illud Hippocratis, li. 1. aphor. 6. Extremis morbis extrema exquisite remedia optima sunt. Imo si vires sufficerent, & in septimo terminatura esset, nihil penitus dandum esset; nisi post illum terminum. Hac de re plura & cognitu non indigna reperies apud Galenum & philotheum in comment. aph. 4. 5. & 6.

Alimentorum genera.

DE ADMINISTRATIONE diætæ.

CAPVT LVI.

Qvale, quid, & quando, quantum, quoties, vbi recta
Debent hæc Medico in Victus ratione notari,
Ne male conueniens ingrediatur iter.

Sex circumstantias medico in præscribenda victus ratione considerandas esse hoc in loco traditur. Prima, quale, hoc est, cuius qualitatis cibus exhibendus sit: quia in calida ægritudine cibus frigidus, in frigida calidus, in humida siccus, in sicca vero humidus conuenit. Corpus tamen quod secundum naturam est, similem semper victum postulat: quemadmodum quod præter naturam est, contrarium. Siquidem quod naturaliter se habet, custodire, quod præter naturam est, tollere oportet. Sed de hoc plura Galenus cum alibi sæpe, tum maxime in arte medicinali cap. 86. & lib. 1. cap. 10. de Sanitate tuend. & lib. 8. cap. 9. meth. meden. Secunda, quid: id est, cuius substantiæ. Athletis enim ac rusticis, ijsque qui quamlibet actionem fortem. ac vehementem obeunt, cibus exhibendus est crassus ac durus, quia facultatem concoctoriam possident fortem. Neque vero tenuis substantiæ cibus, velut est caro pullorum, caporum, vitulorum, agnorum, hœdorum, & similium, ipsis competit, quippe quæ in ipsis vel adureretur, vel quam par est citius conficeretur, ita vt sæpius ob id cibari cogerentur. Non temere igitur inquit Glossa delectabilis in l. Seruis vrbanis in principio. ff. de leg. tertio. Rustici non debent vti pane albo, vel pultis, aut aliis delicatis cibarij. Sed pane grosso, caseo, cæpis & fabis. Porro nobilibus, atque ocio deditis homi-

hominibus tenuis ſubſtantiæ cibus magis congruit, quippe qui virtutem concoctricem habeant debiliorem, quam vt craſſos cibos, cuiuſmodi ſunt ſalſæ ſuum atque boum carnes, & piſces ſole aut vento aut fumo indurati, ſuperare queant. Pari modo & in ægritudinibus acutis tenuiore vtendum eſt diæta, quam in chronicis id eſt, longis, ſicuti quartanis. Tertia, quando, id eſt, quo potiſſimum diei tempore cibus abſumi debeat: in ſanis enim conſuetudo maxime obſeruanda eſt. Vnde hominibus mane ſurgentibus, & bis tantum in die cibum ſumentibus, æſtate quidem prandendum eſt hora decima, vel paulo ante, neque differendum donec propinquet meridies, vt qui maximum æſtum importare ſoleat, cœnandum hora ſexta, vel paulo poſt. Hyeme vero iiſdem ob ſomni prolixitatem prandendum eſt hora vndecima, vel duodecima, cœnandum hora ſeptima, vel paulo poſt, ſed ita tamen, ne quid præter conſuetudinem fiat. Quinetiam in ægris cibandis temporis habenda eſt ratio, præſertim in febricitantibus. Siquidem in ipſis paroxyſmis, vel non multo ante futuram acceſſionem, à cibis abſtinendum eſt, quod nimirum naturam, quæ circa morbi materiam tum occupata eſt, cibus oblatus diſtrahat, atque adeo humores morbũ efficientes adaugeat. Neque immediate poſt paroxyſmum cibus dandus eſt, quippe quem facultas à febris intemperie deiecta nondũ ſuperare queat. Quapropter tãdiu ante ſequẽtis acceſſionis initium exhibendus eſt, vt prius quam ea appropinquet, decenter in ventriculo coquatur, & ad inferiores partes deſcendat, idque in illis potiſſimum ita obſeruandum, quibus virtus adhuc ſatis valida exiſtit. Iis vero quibus vires proſternuntur, dãdus eſt cibus quocunque tempore etiã in vigore. Cuius rei teſtis eſt Galenus, qui lib. 1. aphor. comment. 9. ita ſcribit. Aliquando in ipſo etiã morbi vigore, vbi ſymptoma aliquod interuenerit, ro-

bur naturæ diſſoluens, nutrire cogimur. Quod idem copioſius etiam monſtrat lib.20.cap.3.& 5. meth.medend. Hæc omnia de paraxyſmo Stephanus Athenienſis in primum librum Galeni ad Glauco.comment.39. multo clarius in hunc modum exponit. Sciendum ſane eſt naturam egere ſemper alimento, quod baſim ac ſedem illius quod digeſtum eſt, ipſi repleat. Sed hoc ipſum alimentum præcipue dandum eſt, quando ipſum concoquere ac conficere poteſt. Concoquit autem quando pura ac integra eſt, nec à febris caliditate vexatur. Quare in interuallo dandum id eſt. Si enim in acceſsione demus, facultas, quæ à febris intemperie deiecta eſt, ipſum ſuperare non poteſt. Alimentum autem non concoctum, materia ſit febris. Et hoc eſt quod Hippocrates li.1. aphor.11. ait. in acceſsionibus ſubtrahere oportet; nam addere nocuum eſt. Dandum igitur eſt alimentum in interuallis. Sed hæc dici poſſunt in intermittentibus. In continuis vero quid vtique quis faciat? neque enim in his inuenire licet remiſſum ac quietum tempus, quoniam febris continenter affligit. Tamen in his etiam cernitur μειοπυρεξία id eſt febris, diminutio, quæ interuallum imitatur, tuncque alimentum dandum eſt, non quando exacerbantur. Plura & ad præſentem ſpeculationem maxime facientia habentur apud Brutum Luſi. lib.1.cap. 9. de victu febricantium. Quarta quantum, id eſt, quantitas ſumendi cibi, quæ profecto in æſtate, vt ſupra cap. 19. diximus minuenda eſt, quod tum ob immodicas reſolutiones calor innatus debilior exiſtat. Hyeme vero augenda, propterea quod concoctoria facultas id temporis ob frigus ambiens roboretur. Quinta, quoties in die videlicet cibus exhibendus ſit. Eſt enim æſtate quam hyeme, autumno aut vere, ſæpius exhibendus, ſed minori quantitate. Pari modo facultate concoctoria debili exiſtente, ſæpe, ſed parua quantitate

tate dandus eſt. Eadem vero robuſta exiſtente, dandus eſt quidem quantitate magna, ſed rarius. Sexta, vbi, id eſt, quo in loco: Cibus enim per æſtatem quidem locis ſuis arte ſiue natura frigidis, per hyemem vero temperatis, ſumendus eſt.

DE CAVLE.

CAPVT LVII.

IVs caulis ſoluit, cuius ſubſtantia ſtringit,
Vtraq; quando datur, venter laxare paratur.

Hic agitur de caulibus: per quos nihil iam aliud intelligendum, quam vulgare illud olus, quod κράμβη Græcis, Latinis vero Braſsica dicitur: atque hoc vel ex Martiali diſcere licet, qui xeniorum libro eos caules per nitratam aquam virides conſeruari ait:

Ne tibi pallentes moueant faſtidia caules,
Nitrata viridis braſſica fiat aqua.

Recenſentur autem hoc loco tres ipſorum facultates: Quarum prima quidem eſt, decoctum eorum, & maxime primæ ebullitionis, ventris ſoluendi vim obtinere. In foliis namque & exterioribus partibus nitroſa quædam & abſterſoria ineſt qualitas, quam ſane, cum debiliter admodum inhæreat, modica elixatio in aquam facile deponit, eique potentiam adiicit purgatoriam. Atque hinc adeo fit, vt ius primæ decoctionis aluum excellentius, quam ſecundæ deiiciat. Nitroſa enim illa & abſterſoria qualitas exquiſite per primam ſegregatur, atque in aquam deponitur. Secunda eſt, corpus ipſum ſiue ſubſtantiā communi ſiccantium ratione ventrem ſiſtere magis, quam ad deiiciendum incitare: quia purgatoria potentia per decoctionem aufertur, & relinquitur ſubſtantia terrea ſicca, quæ ſumpta vētrem adſtringit, idque multo magis, ſi non bis duntaxat, ſed ter aut quater aquam effuderis.

Nam quanto exquisitius in aquam succum suum deposuerit, tanto & illi quidem maiorem purgandi vim adijciet, & reliquam sui substantiam, quæ velut oleris ipsius caro est, restringentem efficiet. Eadem est ratio in beta, atque adeo in omnibus ferme, quibus sapor aut acris aut nitrosus aut salsus inest. Quippe & lenticula ipsa tametsi satis magnam adstringendi potentiam gustu refert, tamen eiusmodi quid sortita est. Nam & huius decoctum ventris soluendi vim obtinet. Verum hic succus etiam si degustes, perspicuam misturam repræsentat, tanquam si nitroso austerum quid commisceas. Sed & conchularum maris cæterorumque fere ostreorum succus plane tum salsus est, tum ventrem soluendi vim obtinet: quamuis eorum caro ventrem reprimat. Tertia est, vtrunque, nempe decoctum atque substantiam simul Ventris subductionem efficere, cum enim vires suas ita retineant, abstergere etiam & intestina ad expulsionem irritare consentaneum est. Lege hac de re plura apud Galenum, lib.3. de de simp. medicam. facultat. cap.14. & lib.1. cap. 3. & 25. & lib. 2. cap.44. de aliment. facult. Proditũ quoque est Brassicam naturali quadam facultate vino aduersari, & curare temulentiam: Vnde quærit Aristoteles.3. Sectio. problem.17. Quid est cur brassica sedet crapulam? Nonnulli respondent, hoc euenire solitum, quod ex esu eius fumi eleuentur admodum crassi, qui cum vini vapores incrassent, ad cerebrum ascendere etiam prohibent. Aristoteles tamẽ aliam adsignat causam, nempe quod quicquid humores vinosos vndique & omni ex corporis parte ad se in aluum trahit, & corpus refrigerat, tollat crapulam. Brassica autem est huiusmodi. Ergo brassica curat crapulam. Minor probatur, quia per succum eius humores, qui vinosi crudique tenentur, è toto corpore detrahuntur. Ipsa vero substantia frigida, styptica ac terrea, supra in ventriculo rema-

Brassica temulentiam curat.

remanens corpus refrigerat, quo fit vt tenues humores ad vesicam labantur. Cum igitur humor vtrinque educatur, corpusque refrigeretur, recte per consequens à crapula liberatur. Euenit ad hæc, vt cum humores deorsum ad se trahunt atque excernunt, flatum etiam secum deducant, qui, si per vinum liceat, in caput se efferens grauitatem creat & crapulam: sin autem deorsum se vertit, corpusque ob causam prædictam refrigeratum est, dolor crapulæ omnis tollitur. Quin & ipsa Brassicæ folia, quemadmodum lib. 2. de composit. medicam. local. cap. 5. Galenus attestatur, calida macerata, capitique circumposita ac obligata naturaliter ebrietati resistunt. Porro Brassica, quæ edendo est, calefacit & siccat primo abscessu: Prauũ & melancholicum succũ procreat. Æstiua tamen peior est quam hyberna. Oculorum hebetat aciẽ, vnde Græcis κράμβη dicta censetur, quasi κοράμβη quod pupillas oculorum, quas illi κόρας vocant, obtundat hebetetque: Somnum per contraria insomnia interturbat, stomacho incommoda est, parumque nutrit: at si cum pingui carne coquatur, plurimum noxæ atque Vitij amittit. Vrinam ac menses ciet, & lumbricos interficit. Succus eius cum melle sumptus magnifice defectiones vocis iuuat, & si vulneribus imponatur, ea glutinat, dolosa malignaque vlcera, & induratas inflammationes sanat. Plura Dioscorides libro secundo, cap. 108. Plinius libro vigesimo, capite nono. Galenus locis supra citatis. Simeon Sethi in Syntagmat. Rhazes libro tertio, capite decimo octauo ad Almansorem, & Auicenna 2. Cano. cap. 142.

DE MALVA.

CAPVT LVIII.

D*Ixerunt Maluam Veteres, quod molliat aluum.*

Huius radices rasæ soluunt tibi faces.
Vuluam mouerunt, & fluxum sæpe dederunt.

Hic agitur de facultatibus Maluæ. Et primo quidem versu, qui ex libro 2. capite 56. Æmilij Macri huc adscitus est, veteribus Latinis Maluam ab emollienda aluo dictam esse traditur: Cuius sane rei testis etiam M. Varro, qui Maluam, quasi moluam, quod aluum molliat, dictam esse contendit, quippe quæ clysteribus infusa, vel in cibo accepta ventrem facile moueat. Quin etiam Græcis μαλάχη ab emollienda aluo nomen traxit. Siquidem ipsis μαλάττειν mollire significat. Antiqui enim ea in acerariis cum lactuca ad subducendam aluum vtebantur. Vnde Martialis lib. 10. Epigrammaton:

Exoneraturas ventrem mihi villica maluas
Attulit, & varias, quas habet hortus opes.

Et alibi:

Vtere lactucis, & mollibus vtere maluis.

Cæterum hoc olus facile subducitur, non modo propter humiditatem, verum etiam propter genuinam viscositatem, & potissimũ quando quis cum oleo & garo copiosam ipsam sumpserit. Atque ob id inter quatuor etiam emollientia, quorum decocto in clysteribus ad induratarum fæcum eductionem passim vtimur, primum locum sibi vindicauit. Porro duplex malua est. Vna quidem floribus sanguineis, altera vero candidis, & in hac quam illa maior emolliendi vis inest.

Secundo deinde versu innuitur, radices Maluæ rasas fæcibus educendis esse accommodas: & maxime quidem, si inde, perinde atque è radicibus Mercurialis βάλανοι, Id est, glandes siue suppositoria fiant.

Tertio demum versu: Maluam menses ciere dicitur, quod & ipsum sane ob manifestam humectandi

mectandi facultatem ac genuinum lentorem præstat. In sessione namque vterum emollit, ita vt venena eius ab acri sanguine promptius fundantur. Quinetiam menses prouocare certo se experimẽto didicisse Platearius adserit. Folia Maluæ trita cum foliis salicis omnibus emplastris commodiora sunt. Nam & inflammari non sinunt, & sanguinem sistunt, & recens vulnus cicatrice includunt: Sed & luxatis & contusis medentur. Phalangiorum quoque & reptilium plagas curant folia eiusdem, si cepas & porrum trìueris, eisque miscueris, ac imposueris. Si quis vero syluestris Maluæ succo cum oleo illinatur, à vespis & apibus non pungetur: sed & qui punctus iam est, succo opem sentit: & folia Maluæ contusa & imposita similiter percussum ab illis sanant. Similiter autem curat Malua illita lichenas, & occulta fœminarum vitia. Succus vero eius auribus instillatus dolorem aurium sedat. Cum melle acceptus thoracem pulmonemque iuuat, & raucam vocem lenit, hepaticos sanat, & comitiali morbo apprehensos resipiscere facit. Eodem modo & nephriticis & ischiaticis auxiliatur. At vero decoctum ipsius potatum difficultatem emittendi vrinam emendat, lapides conterit, somnum conciliat, facilemque partum præstat. Prodest etiam erosionibuus vesicæ & intestinorum, vuluæ sedisque, clysteræ infusum. Malua illita inflammationes lenit, eaque quæ indurata sunt, emollit. Plura Dioscorides lib. 2. cap. 106. Plinius lib. 20. cap. 21. Galenus lib. 7. de simpl. medic. facultat. cap. 95. & lib. 2. de alim. facult. cap. 42. Constantinus Cæsar lib. 21. de agricultura, cap. 12. & Simeon Sethi in Syntag.

DE MENTHA.

CAPVT LIX.

Mentitur mentha, si sit depellere lenta
Ventris lumbricos, stomachi vermesque nocivos.

Mentham

Mentham eo nomine non esse dignandam, nisi alui etiam lumbricos & stomachi vermes enecandi atque expellendi facultatem obtineat, hoc loco adseritur. Amarum enim quiddam in se habet & acerbum, & amaro quidem, non secus atque absinthium lumbricos interficit: acerbitate vero, si cum oxycrato bibatur, recentes sanguinis reiectiones reprimit. Exhibendum autem decoctum eius, velut absinthij quoque & non substantia. Est enim, vt si qua alia herba, tenuium partium gustu acri, & facultate calida, ex tertio nimirum ordine excalfacientium, & secundo siccantium. Quare Vt medicamento potius, quam alimento ipsa vtimur. Hepar enim frigidum & ventriculum iuuat, corroborat & stomachum, & concoctionem facit: sedat quoq; singultum, & vomitum phlegmaticum, atque sanguineum. Prodest quoque ad cordis morsus, & appetitionem suscitat. Mediocriter item ad Venerem excitat. id quod omnibus accidit, quæ humiditatem semicoctam & flatuosam continent. Aperit & iecinoris ac splenis obstructiones. Verum hac vesci ad satietatem non oportet: quoniam sanguinem extenuat, & serosum facit, & ipsum in flauam bilē permutat, deinde efficit, vt sanguis, qui maxime est tenuium partium, discutiatur, & crassus ac melancholicus relinquatur: atque idcirco oportet biliosos ab ea abstinere. Contrita cum sale, & morsui rabiosi canis imposita, medicamentum fit salubre. Arida vero trita & post cibum sumpta ad concoctionem facit, & lienosos iuuat. Cum vino pota difficulter parienti succurrit. Ferunt etiam quod mansa lippienti imposita fiat remedium, quodque eius decoctum absorptum confestim sanguinem è faucibus eiicientes sanet. Coire lac densarique in caseum non patitur, si folia potionibus lactis immergantur. In summa stomacho vtilis est, & in condimentis peculiarem gratiam habet. Huius semen ventrem purgat, & pul.

& pulmonem lædit. Plura Dioſcorides libro 3. cap.34. Plinius lib.20. cap.14. Galenus lib. 6. de ſimpl. med. facult. cap.136. Simeon Sethi in Synt. & Auicenna. 2 Canonum, capite 459.

DE SALVIA.

CAPVT LX.

Cvr moriatur homo, cui ſaluia creſcit in horto?
Contra vim mortis non eſt medicamẽ in hortis.
Saluia confortat neruos, manuumq́ tremorem
Tollit, & eius ope febris acuta fugit.
Saluia, caſtoriumq́, lauendula, primula veris,
Naſturt, Athanaſ. hac ſanant paralytica membra.
Saluia ſaluatrix, naturæ conciliatrix.

Permagnam eſſe vtilitatem Saluiæ, hoc loco traditur. Ac primo quidem verſu per modum dubij quæritur, qui fiat vt homo moriatur, cui Saluia creſcit in horto? Ad quod ita reſpondetur, ſecundo verſu: quanquã medicina in hortis reperiatur, quæ corporis putrefactioni reſiſtat humiditatemque cuſtodiat naturalem, ne citius quam par ſit, diſſipetur, nulla tamen inuenitur, quæ moriendi neceſsitatem è medio tollat. Et hoc eſt quod Auicenna 3. 1. cap. ſingulari ait. Ars quidem ſanitatis tuendæ nos à morte ſecuros non facit, neque corpus à foris incidentibus nocumentis munit, neque vnumquodque corpus ad vltimam vitæ longitudinem, quæ eſt ſecundum hominem, abſolute perducit: Sed de duabus rebus ſecuritatem præbet: putrefactionem enim penitus excludit, & humiditatem defendit naturalem, ne iuſto citius reſoluatur. *Galenus lib. 1. cap. 17. de ſanit. tuend.*

Secundo loco tres referuntur Saluiæ effectus: ac primo quidem, quod neruos roboret. Siquidem

dem manifeste calefacit, & leniter adstringit, humorum igitur copiam, qua nerui impediti relaxabantur, exsiccat, refrigeratosque recalfacit. Deinde, quod manuum tremorem tollat: Nam quidquid neruos roborat ac excalfacit, tremorē etiam tollit. Tremor enim ex neruorum imbecillitate & frigiditate potissimum accidit. Atque hanc sane ob causam senes nonnulli & anus decrepitæ cibis ac potibus suis folia Saluiæ imponere solent. Tertio, quod acutam remoueat febrem: euius hanc adsignaueris causam, nempe quod humores exsiccet, adeoque putrefactionem quam acuta febris magna ex parte comitatur impediat. Porro saluia temperamento est euidēter excalfaciente & exsiccante, atque eam ob rē per se in victus salubris ratione non temere vsurpanda. Attamen cum neruos excellenter roboret, dupliciter ea homines in sanitatis tutela vti consueuerunt. Aut enim inde parant ἐμβάμματα, id est, intinctus, quemadmodum ostēdimus supra cap. 22. appetentiam ita reuocantes ei, cui ventriculus crudis, inconcoctis ac prauis humoribus refertus fuerit. Aut vinū ex ea etiā cōficiunt, Saluiatū ipsis appellatū, quod in mensæ principio potissimum expetitur. Hoc cū sibi qualitatem quandam à saluia calidam simul ac adstringentem, aromaticamq; & exsiccantem adsciscat, tremulis, paralyticis, & epilepticis mire conferre putandū est, præsertim si post purgationē epoto medicamento modice sumatur. Quin & ventriculū, cerebrum, neruos, ac reliquas quoque corporis partes præ humiditate laxas exsiccat ac roborat, idq; per hyemem maxime. Valet contra renum, vesicæ, & laterum dolores, reiectiones sanguinis, tussim, rupta & vulsa. Difficili vrinæ auxiliatur, & suppressos menses proritat, sed immoderatius: quocirca grauidis nō nisi cum timore exhibendū est, quippe quod partus facile enecet, & abortus faciat. Vaporosum est admodum, facile-

Manuū tremor.

Saluiatū vinum.

facileque caput ferit, & cito inebriat: quare caput debile habentibus, quibusque plurimum molestiæ catarrhus exhibet, ab ipso roborando ventriculo cauendum est, ne dum vni parti auxilium quærunt, reliquas offendant. Imo vero nec aliàs immoderatius eo vtendum est, neque ad depellendam sitim, neque ad deferendum permiscendumve cibum: quippe quod vniuersum ita cibum ad extremam plane caliditatem ac siccitatem perduceret. Primum enim per se calidum & siccum est vinum, deinde vero & Saluia sat strenue excalefacit, desiccatque, & tenuium est partium: quare quod inde fit vinum, ad immodicam haud dubiè caliditatem ac siccitatem inclinabit, atq; ob id sanitatis tutelæ minus conueniet: vt quod ingestum cibum permutare atq; ante perfectam concoctionem è ventriculo ac hepate ad cerebrũ facile & neruos deferre, obstructionemque omnis putredinis matrem in humano corpore excitare valeat. Plura de hoc Magninus cap. 21. part. 3. Regiminis sanitatis, & Ioan. Michael Sauonarola, in maiori pract. 2. cap. 4. Rubri. 15. Duplex porro Saluia passim in hortis spectatur. Vna magnis, latis & asperis foliis: Altera vero foliis minoribus, contractioribus & leuioribus. Græci, quod ipsa herba retorrida semper & exsucca appareat, communi vtramque appellatione nuncuparunt, ἐλελίσφακον quod quasi in tabem, vel siderationem redacta videatur. *Theophrastus lib. 6. cap. 2. de histor. plant.*

Tertio loco sex enumerantur medicamenta simplicia παραλύσει curandæ accommodatissima, nempe Saluia, Castorium, Lauendula, Primula veris, Nasturtium & Athanasia. Hæc nanque omnia proprietate quadam membra paralytica curant ac sanant. De Saluia quidem ex modo dictis satis constat: quippe quæ genuina caliditate & siccitate sua pituitosum humorem, quo nerui obstructi resoluebantur, facile consumat, *Saluia.*

adeoque

Castoriũ. adeoque neruis ipsis robur addat. Castorium calefacit siccatq; cum extenuandi viribus eximijs, quibus præter alias actiones, etiam neruorum, qui ex copia humorum male habent, affectibus, nempe, tremori, stupori, conuulsioni, & paralysi congruit, & refrigeratos facile recalefacit, & extrinsecus applicatum, & potui datum: idque ita, vt nullam aliam offendat particulam, etiamsi mediocriter febris affligat, quemadmodum in veternis & cataphoris; sed & mensibus retentis proficit, & secundas expellit. Iuuat etiam, si quis suffitum eius in prunis impositi inspiratione hauriat, maxime affectus in pulmone aut capite consistentes. Frigidæ quoque surditati, & auribus ob crassos flatulentosque spiritus dolentibus præclare opitulatur, ad lentis magnitudinem cum oleo nardino infusum. Oleum præterea Castorij non minus contra frigidos neruorum & iuncturarum affectus omnes valet, quam Castorium ipsum, præsertim si post materiæ euacuationem applicetur: residuum enim consumit, neruos roborat, Paralysi, conuulsioni ac tetano medetur, & acerrimos rigores, & frigora febriũ, si spina dorsi eo liniatur, sedat. porro Castorium testiculus est animalis ancipitis vitæ, quod κάςωρ à Græcis, à Latinis Fiber appellatur. De quo Dioscorides lib. 3. cap. 21. Plinius lib. 8. cap. 30. & lib. 32. cap. 3. Galenus lib. 11. cap. 11. de simpl. med. fac. Aetius lib. 2. cap. 177. Paulus lib. 7. & Auicenna 2. Can. cap. 125. Lauendula excalfacit & exsiccat ordine secundo completo, vel tertio inchoante, *Lauendula.* viribus à nardo Celtica non longe recedentibus. Confert omnibus cerebri ægritudinibus à frigido prouenientibus, conuulsis, resolutisque auxiliatur, ventriculum roborat, & iecur ab infarctu liberat, quin & obstructos, lienes iuuat, vterum calefacit, & menses & secundas educit. *Primula veris.* Primula veris calida est & sicca, neruos roborat, conuulsioni, tremori, apoplexiæ, paralysi, cæterisque

risque neruorum atque articulorum vitiis frigidis & humidis auxiliatur, atque inde arthritica etiam à nonnullis, & herba paralysis appellatur. Primula veris autem dicitur, quod scilicet Vere inchoante mox erumpat. Per Nasturtium Sysimbrium aquaticum hic intelligitur, quod riguis gaudet, & in fontium riuis discurrentibus comite Sio nascitur, folijs primo exortu rotundis, quum vero adoleuerint erucæ modo dissectis, odore ac sapore satiuo nasturtio proximis, atque ob id καρδαμίνη à nonnullis, id est, nasturtium, nominatur. Ea herba cum sicca est, tertij est ordinis excalefacientium & deficcantium cum humida & viridis, secundi: crassos & pituitosos humores extenuat, incidit, & resoluit, qua ratione neruos à phlegmate purgat, paralysisque causam aufert. Atque hinc sane præcipiunt Medici, vt in quadragenaria illa Ecclesiæ abstinentia, propter phlegmaticos cibos, qui per id tempus mandi solent, Nasturtia quoque subinde exhibeantur. Athanasia tanacetum etiam vocatur Ea parthenij species quædam existit, purgandiq; phlegmatis facultate prędita est, neruos caliditate sua exsiccat. Siue foris imposita, siue intro in corpus assumpta lūbricos, & materiam, vnde illi generantur, ex ventre pellit. Plurimum igitur Galli primis sanctū post Pascha diebus Athanasia cum ouis frixa ad phlegmatis per ieiunium quadragenarium ex esu piscium collecti eductionem vtuntur, ne scilicet inde lumbrici in corporibus aptis ac præparatis generentur. Recentiores etiam vtūtur ad ventriculi & alui flatus discutiendos: item ad frangendos renum calculos, & ad ciendam vrinam. Vltimo tandem versu traditur Saluiā sic dici, quod ad multa sit salutaris, pręcipue ad fœcunditatem.

Nasturtium.

DE

DE RVTA.

CAPVT LXI.

Mac, lib. 1. cap. 12. al. Ruta.

Nobilitas rutæ hæc, quod lumina reddat acuta,
Auxilio rutæ vir quippe videbit acute.
Cruda comesta recens oculos caligine purgat.
Ruta viris minuit Venerem, mulieribus addit.
Ruta facit castum, dat lumen, & ingerit astum
Cocta & ruta facit de pulicibus loca tuta.

Visus. Quatuor hic recensentur facultates Rutæ: Ac primo quidem, quod acutam reddat videndi aciem, commanducata enim, vt testis est Dioscorides lib. 3. cap. 44. & post eum Auicenna 2. Canon. capite 578. mire opitulatur oculis, qui hebetudinem sensere. Præstat idem & succus etiam cum succo fœniculi & melli inunctus. De hoc nonnihil quoque supra capite 13. & infra capite 79.

Secunda quod coeundi desiderium in viris minuat, augeat vero in mulieribus. Nam quum ex tertio sit ordine excalfacientium & siccantiũ, flatus strenue discutit aboletque, & sic semen virile, quod tenue admodum & aereum est, resiccat, ac prorsum ne esse quidem permittit. Ex quo sane Veneris appetitum in viris cohibet. Sed in mulieribus semen aquosum & frigidum calefacit, incidit & extenuat, quare eas ad coitum magis incitat.

Tertia, quod astutiam siue calliditatem, id est, apprehensionem & medij alicuius in subtili causa facilem inuentionem vsurpantibus conciliet: calfactione enim ac resiccatione extenuantur & acuuntur spiritus, fouetur & illustratur ingenium.

Quarta, quod decoctum ipsius, si domus ea respergatur, pulices depellat. Eos enim, vt vno ore Medici testantur, acrimonia sua necat, & graui odore

dore fugat. Pamphilus apud Constantinum Cæsarem, lib. 13. cap. 15. de Agricultura, longe plura aduersus pulicum molestias remedia enumerat. Scrobem, inquit facito, & rhododaphnas contusas in ipsum mittito, sicque omnes concurrent. Absinthium, aut cucumeris syluestris radix aqua marina rigata ac respersa, pulices necant. Disperdit autem penitus Melanthium, aqua maceratum ac respersum: aut conyzæ coctæ decoctum irroratum. Disperdit eosdem similiter semen sinapeos & rhododaphnes, ambo feruefacta, & in domo respersa. Calcem viuam cribrato, & postquam locum verreris, inspergito, indeque necabuntur. Idem continget ex amurca pauimentis assidue irroratis. Cyminum item syluestre tritū ac aquà mixtum & seminis cucumertis syluestris drachmæ decem tritæ & in aquam demissæ, indeque domo respersa, pulices crepare faciunt. item chamelææ radix, & populi nigræ folia tusa, & aqua macerata, & tribulus ex aqua cocta. Pulices etiam muria acris respersa & aqua marina enecant. Quod si in media domo quis peluim deponat, & circulum machera penitus ferrea circumscribat, & reliquam domum, & præterquam locum circumscriptum, tremore staphidis ægriæ aut lauri foliorum tusorum conspergat, aut etiam muria aut aqua marina cocta, omnes pulices in peluim congregabit. Fictile quoque vas defossum, ita vt labra æqualia pauimento habeat, adipe taurino oblitū omnes pulices in sese congregabit, etiam eos qui adhuc in paleis delitescunt. Sub lecto paruulum scrobem facito, & in ipsum sanguinem caprinum mittito, congregabit eo pulices & ex alijs vestibus ad se illiciet ac vocabit. Cæterum ex amphimallis, & densissimis tapetibus, in quibus plurimi pulices delitescunt, eximi ac euocari possunt, si sic in vrna aut dolio ipse sanguis caprinus deponatur. Hactenus ille. Auicenna 6. 4. Tract 3. capite 11. de fugatione

Pulices fugantia & necantia.

Aetius lib. 13. cap. 43.

pulicum hoc amplius addit: Quando, inquit, domus, colocynthidos infusione aspergitur, saliunt pulices & fugiunt, & similiter ex decocto rubi. Referunt quidam, quod si lignum adipe erinacei oblinatur, eo pulices statim omnes concurrent: Fugantur quoque suffitu sulphuris. Est etiam herba quædam vulgaris notitiæ Arabice dicta Chichuanu id est, herba pulicum, quæ in Ciuitate Chairi puluerizata in lecto circa dormientes ponitur, & ex odore illius inebriantur stupidique fiunt pulices, & non lædunt. Porro nihil æque disperdit pulices, ac graueolentia, velut rutæ mentha, mentastrum, & lupulus, præcipue tamen fimus & vrina equi. Enecat & pulices seminis rapi decoctum inspersum. Quin & taurini cornu suffitu pulices fugari perhibentur. Fama est, inquit, Dioscorides lib. 4. cap. 60. si psyllium virens domum importetur, non sine re in ea pulices gigni. Postremo vero nihil tam accommodum est comprehendendis pulicibus, quam lecto imposita recens & candidissima lanugo xylina. in ea namque congregati facillime capiuutur. Plura Rhazes lib. 8. cap. 8. ad Almansorem.

DE CÆPIS.

CAPVT LXII.

De cæpis Medici non consentire videntur.
Fellitis non esse bonas ait ipse Galenus;
Phlegmaticis vero multum putat esse salubreis.
Non modicum sanas Asclepius adserit illas,
Præsertim stomacho, pulchrumque creare colorem,
Contritis cæpis loca denudata capillis
Sæpe fricans, capitis poteris reparare decorem.

Agitur hoc in loco de Cæpis: Ac primo quidem dicitur, medicis de natura earum nondum satis constare. Nam ipsorum quidā phlegmaticis

ex vsu

æx vsu esse tradant, quidam vero minime. Galenus lib. 2. de aliment. facult, capite 71. cholericis admodum nocere, phlegmaticis vero prodesse, his attestatur verbis: *Abstinendum ab assiduo vsu omnium acrium, ceu cæparum, porri, & allii, & potissimum cum is qui ipsis vescitur, natura fuerit biliosus. Solis enim qui vel succum pituitosum vel crudum & crassum ac lentum aceruarint, cibi eiusmodi sunt accommodati.* Siquidem cæpæ, vt Galeno lib. 7. de simpl. medic. facult. cap. 58. placet, in quarto calfaciũt excessu. Quo fit vt calidis, quales cholerici cum primis existunt, vehementer officiant: Rhazæ vero lib. 3. ad Almansorem capite 18. superfluos humores & phlegma in stomacho generant. Quod de illis maxime intelligendum, quæ crudæ manduntur. Earum namque essentia crassarum est partium, & mali succi. Porro per fellitos, quemadmodum Cornarius noster in cap. 7. l. 1. Macri disertè admodum monuit, biliosos hoc loco accipere oportet, id est, τοὺς χολάδεις sicut phlegmaticos, pituitosos. Deinde vero cæpas phlegmaticis multum prodesse traditur. Corpus enim calefaciunt, humoresque crassos ac glutinosos in ipso coaceruatos concoquunt, attenuant, incidunt ac detergunt. Quin eadem etiam ratione stomacho frigidis, crassis, ac glutinosis humoribus grauato vtiles sunt, & ad validum colorem, veluti testis est apud Plinium lib. 20. cap. 5. Asclepiades, proficiunt. Neque enim fieri potest, vt viuidus ac floridus sit faciei color, vbi ventriculus crudo pituitoso ac prauo succo refertus fuerit. Tertio demum loco adseritur, contritarum cæparum succo pilos siue crines locis glabris ac denudatis restitui, si eo sæpius perfricentur: & maximè quidem, si ex densatis infarctisque meatibus, & materiæ sub cute detētæ corruptela glabrities euenerit. Cæpæ enim caliditate sua meatus aperiunt, materiamque prauam sub cute detentam non

ſolum digerunt ac reſoluunt, ſed meliorem etiam in locum eius ſubſtituunt. Quapropter alopeciæ ſucco earum conuenientiſſime perfricantur. Celerius enim, vt Dioſcorides lib. 2. cap. 137. Galenus loco paulo ante citato, & Alexander Trallianus libro 1. capite 2. teſtantur, quam Alcyonium pilos euocat. Vnde infertur tandem capitis decorem, quem Q. Serenus capitis honorem voeat, eo reparari. Capitis porro decor, capilli ſunt. Cæpæ præterea ſemen genitale gignunt, & Venerem ſtimulant, vrinam cient, appetentiam ante alios cibos ſumptæ excitant: ſed largiore cibo capitis dolores faciunt, ſitim mouent, faſtidium pariunt, ruborem faciei inducunt, ſaliuam multam generant, & rationem, vt aliqui ferunt, lædunt. Succus illarum cum melle illitus, oculorum hebetudinibus, argemis, nubeculis & incipientibus ſuffuſionibus auxiliatur. Quinetiam canis morſibus idem cum aceto, ruta & melle illitus confert: quare hi quoque duo verſus à quibuſdam hic additi ſunt:

Appoſitas perhibent morſus curare, caninos
Si trita cum melle prius fuerint & aceto.

Plura de his ſupra capite 13. diximus, cum de Alliis ageremus.

DE SINAPI.

CAPVT LXIII.

Eſt modicum granum, ſiccum calidumq́; Sinapi,
Dat lachrymas, purgatque caput, tollitque venenum.

Duo hoc in loco potiſſimum aguntur. Primo namque perpuſillum illud granum, quod σίνηπι aut νάπυ Græci, Latini vero Sinapi vocant ad calefaciendum deſiccandumque efficax eſſe traditur: & hoc quidem Galeno libro 7. cap. 5. de ſimpl. medic. facult. teſte, in quarto gradu.

gradu. Deinde vero tres eidem adſignantur facultates.

Prima quod lachrymas eliciat: excellenti enim caliditate ſua humiditates, quæ in cerebro ſunt, attenuat incidit, liquefacit & diſſoluit: illis itaque fluentibus, ſimul etiam lachrymæ proſiliunt.

Secunda, quod caput purget: commanducatum enim pituitas capitis per os ducit & purgat. Quin etiam tritum, naribusque admotum, ſternutamenta ciet, quibus meatuum obſtructiones tolluntur, & cerebri vitia expelluntur: eaque ratione comitialibus, & apoplecticis mirifice ſuccurit.

Tertia, quod venenum tollat: ſuffitum namque ac incenſum ſerpentes fugat: ad eorundem quoque & ſcorpionum ictus cum aceto tritum magna vtilitate illinitur: fungorumque venena diſcutit. Ad hæc lienis etiam affectibus ex humiditate & flatu procreatis confert. Item quartanis morbis qui ex aduſta pituita contracti ſunt, præterea & podagris à pituita factis. Officit vero viſui, & calido capiti, ac iecori. Concoctionem & diſtributionem ciborum craſſarum partium adiuuat. Minuit, quæ in ventriculo ſunt, humiditates. Illitum lepris, eas in melius mutat. Linguas etiam humiditate grauatas ſiccat. Si cum mello ſumatur tuſſes reſoluit. Cum caricis vero iſchiaticis illitum & lienoſis, vtile eſt, trahit enim, quæ intus ſunt ad corporis ſuperficiem. Plura Dioſcorides lib. 2. cap. 140. Plinius lib. 30. cap. 22. & Simeon Sethi in Syntagmate.

DE VIOLA PVRPVREA CAPVT LXIV.

Crapula diſcutitur, capitis dolor, atque grauedo.
Purpuream violam dicunt curare caducos.

Hic tres referuntur effectus nigræ purpureæve violæ. Primus, quod crapulam siue ebrietatem dispellat ac sedet. Cuius sane rei duæ adferri solent rationes. Vna quidem, quod temperatum, suauem & cerebrum confortantem spiret odorem: cerebrum vero roboratum ac validum ebrietas non tam facile, quam imbecillum, tentet. Altera, quod cerebrum refrigeret, & fumis calidis recipiendis ineptum reddat, adeoque vini vaporem infringat, & sic ebrietatem dissoluat. Secunda, quod κεφαλαλγίαν id est capitis dolorem discutiat: & hoc quidem, si à causa calida, nempe à flaua bile, ortum habuerit: hanc enim purgat, & ab ea calorem extinguit. Horum effectuum meminit Plinius lib. 21. c. 9. vbi de violæ viribus disserit his verbis: Violæ purpureæ crapulam & grauetudines capitis impositis coronis olfacture discutiunt. Meminit etiam Simeon Sethi in Syntagmate. Violæ, inquiens dolores capitis, qui fiunt à flaua bile, sopiunt, potæ & odoratæ. Tertius quod curet caducos, id est, comitiali morbo correptos, à symptomate accidēti ac casu. Hoc habetur apud Dioscoridem lib. 4. cap. 105. Cæterum is non simpliciter hoc de purpurea Viola tradit, sed de parte ea, quæ in flore purpureo existit, vel purpurascit. Sic enim Scribit φασὶ δὲ τὸ πορφυρίζον τοῦ ἄνθους μεθ' ὕδατος ποθὲν, συναγχικοῖς βοηθεῖν, καὶ ἐπιληψίαις ταῖς ἐπὶ παίδων id est: Dicūt id quod in flore purpureū est, cum aqua potū, anginis & comitialib. puerorum morbis auxiliari. Videtur itaq; accipiendum esse de altero flore, qui in medio Violæ instar capillamentorum inest. Sunt enim quidam flores, dicit Theophrastus. lib. 1. cap. 21. de historia plantarum διανθεῖς, id est duplicis floris qui alterum florem in medio habent, velut rosa & lilium, & viola nigra. Lege doctissimas Iani Cornarij annotationes in caput 29. libri

primi Macri. Quinetiam Plinius loco iam citato id ipsum sic tradidit: Id quod purpureum est ex ijs, comitialibus medetur, maxime pueris in aqua potum; eiusque rei hæc adsignari potest ratio, quod cerebrum violæ fragrantia roboret, ita vt à prauis nocumentis minimum lædatur, & sic in epilepsiam non facile incidat. De violis plura Galenus lib. 6. cap. 150. de simpl. medic. facult. Rhazes lib. 3. ad Almansor. cap. 1. Auicenna 2. Cano. cap. 726. & Mesues lib. 2. Sect. 1. cap. 11. de simp. purg.

DE VRTICA.

CAPVT LXV.

Aegris dat somnum, vomitum quoque tollit, & vsum, *Mac. li. 3. cap. 2.*
Illius semen colicis cum melle medetur.
Et tussim veterem curat, si sæpe bibatur.
Frigus pulmonis pellit, ventrisque tumorem;
Omnibus & morbis ea subuenit articulorum.

Hic septem recensentur facultates Vrticæ Ac prima quidem, quod somnum ægrotantibus accersat. Crassos namque & pituitosos humores, quibus natura grauata somno destituebatur, extenuat incidit, & priuatim expurgat *Somnus.*

Secunda quod vomitum, simulque vsum eius tollat lentam enim & frigidam materiam, qua stomachum imbuente, nausea ac vomitus plurimum, suboriri solent, incidit, exsiccat & dissoluit. *Vomitus.*

Tertia quod Colicis medeatur doloribus: nam præterquam quod crassum, pituitosumq; humorem incidit & extenuat, crassos quoque & flatulentos spiritus qui exitum non habentes colicos excitant cruciatus, discutit & expellit. *Colica.*

Quarta, quod vetere͂ curet tussim. Crassos enim

viscososque humores è pectore pulmoneque educit, qua ratione orthopnœæ quoque & lateris doloribus prodest, & maxime quidem semen eius cum melle delinctum, quemadmodum. 2. Can. cap. 725. in eum prope modum scribens Auicenna attestatur: Quando cum ptisana siue aqua hordei decocta bibitur, vitia pectoris extrahit. & folia eius cum aqua hordei decocta thoracem à lentis crassisque humoribus expurgant: sed semen cum melle delinctum ad omnia efficacius est.

Quinta, quod frigora pulmonis pellat: humores namque frigidos ac pituitosos caliditate sua incidens simul & extenuans ex pectore pulmoneque educit.

Acelagia.

Sexta quod ventris tumorem discutiat atque sedet. Crassos enim ac flatulentos, spiritus, quibus venter distentus in tumorem attollebatur, dissipat atque resoluit.

Septima quod omnibus articulorum doloribus, arthritidi nimirum, ischiadi, & podagræ subueniat: præcipuè quidem si prouenerint à lenta, crassa ac frigida materia: eam enim vrtica calefacit incidit & extenuat. Ad hæc vrtica flatuosum etiam quiddam obtinet, quo & venerem exstimulat, & maxime vbi cum passo aut musto semen eius bibitur. Eodem modo potum, & vuluæ ora patefacit, vrinam ciet renumque doloribus medetur. Ventrem modice subducit, ipsa duntaxat absterſione ac veluti titillatione, non purgatione, crudum ac pituitosum humorem educens. Ducit fœminis præterea menses foliorum vrticæ decoctum, addita exigua myrrha potum. Cauendum tamen ne linguam œsophagumque lædat, nimium enim exurit: quod commode quidem fieri poterit, si post sumptionem eius parum olei rosacei absorbeatur. Est autem vrtica cum semine suo calida in principio tertij, sicca vero in secundo: licet semen minore paulo,

quam

quam herba ipsa, siccitate participet. Plura Dioscorides lib. 4. cap. 79. Plinius lib. 22. cap. 13. Galenus lib. 6. de simpl. med. facult. cap. 13. Paulus lib. 7. Rhazes lib. 3. ad Almansorem, cap. 28. & Auicenna, loco citato.

DE HYSSOPO.
CAPVT LXVI.

Hyssopus purgans herba est è pectore phlegma,
Ad pulmonis opus cum melle coquenda iugata.
Vultibus eximium fertur præstare colorem.

Hic agitur de hyssopi viribus: quod quidem desiccat & excalfacit ordine tertio, sed & tenuium est partium. Pituitam manifesto experimento expurgat, facitque ad pituitosos tum cerebri, tum neruorum affectus: quod non modo mundet, sed roboret quoque. Quin & pectus & pulmonem detergit, præsertim senibus, quorum pectora lenta crassaque pituita referta sunt: quo fit, vt decoctum cum ficis aqua, melle, & ruta, potumque peripneumonicis, diuturnæ tussi, suspiriosis, à capite in subiectas partes distillationibus & orthopnoicis auxilietur. Ascárides reliquosque interaneorum vermes pari modo sumptum enecat. Idem facit, si cum melle delingatur, nitri tamen addito momento. Decoctũ ex aceto mulso epotum, crassum humorem per aluum extrahit. Ad subducendam aluum cum ficis viridibus detritis manditur. vehementiusque addita iri, nasturtio, aut irione, deijcit. Mesues exhibet cũ iure aut manna mistũ, vel cum melle, aut vuis passis purgatis, vel scilla coctum. Cutis in corpore colorem floridum efficit. Lieni & aquæ inter cutem cum fico nitroque emplastri modo imponitur. Inflammationibus quoque ex vino illinitur. Cum feruente aqua impositum sugillata discutit. In anginis cum ficuum decocto optime gargarizatur

Mach. lib. 2. cap. 5.

zatur. Decoctum cum aceto dentium dolorem collutione sedat: Hyssopi vsus inflationes, auricularum præsertim, vaporis suffitu discutit. Cibi appetentiam inuitat, visum acuit, menses & vrinam ciet, & febrium horrores excutit. Vinum decoctionis eius vterum à superfluitatibus purgat & abstergit, Plura Dioscorides, lib. 3. cap. 17. Auicenna 2. Canon. cap. 365. & Mesues, lib. 2. sect. 2. cap. 18. de med. simpl. purgantibus.

DE CHÆREFOLIO.
CAPVT LXVII.

APpositum cancris tritum cum melle medetur;
Mac. lib. cap. 22. *Cum vino potum lateris sedare dolorem*
Sæpe solet, tritam si nectis desuper herbam.
Sæpe solet vomitum, ventremque tenere solutum.

Enumerantur hoc in loco tres facultates chærefolii. Prima quod tritum & cum melle appositum cancrum curet. Cancer Est autem cancer tumor durus melancholicus, inæqualis, rotundus, venosus, id est, venas habens in circuitu turgidas & exaltatas, liuescens siue fuscus, & colore magis quam inflammatione nigricans, calidus sed non adeo vt inflammationes, subito accrescens, ægros maxime fatigans, & perpetuo fere dolore affligens: Græce καρκίνος & καρκίνωμα dicitur. Hanc autem appellationem huic morbo indiderunt tam Græci quam Latini à cancro aquatico animali, quoniam circa hunc implentur & intenduntur venæ, cancrorum pedibus à glomere illo corporis descendentibus, persimiles. Nonnulli vero inde sic nuncuparunt, quod difficillime ab his partibus, quas obsederit, euellatur, quemadmodum cancer aquaticum animal. Hic enim loco, quem semel apprehenderit, pertinaciter hæret. Adde quod hic tumor cancri animalis colo-

rem:

rem repræseutat, nempe subnigrum. Plura de hoc Paulus li. 4. ca. 26. & Ioannes Tagaultius lib. 1. cap. 15. chirurg. Instit.

Secunda, quod cum vino potum lateris dolorem sedet. Tormina quoque ventris mitigat: Crassas enim inflationes, vnde dolores isti proueniunt, discutit. Præterea stomachi, atque aliorum etiam viscerum flatus dissipat, obstructionesque tollit, ad quæ quidem omnia vinum quoque per se sumptum singulare est. *Tormina.*

Tertia, quod vomitus, aluiq; profluuia sistat. Calefaciendi enim & siccandi vi materiam eorum discutit atque consumit, & maxime quidem si à frigido & pituitoso succo oriantur. Vrinam & menses ciet, lateris, renum ac vesicæ dolores tollit, cum melicrato exhibitum. Porro Chærefolium, de quo hoc loco agitur, nulla alia herba est, quam quæ vulgo nostrati Cerfuil appellatur. Cæterum medicamenta quæ hic de chærefolio produntur, neque apud Plinium, neque apud vllum aliquem autorem Græcum reperiuntur, sed ex Plinio illo recentiore, qui longe post Galeni tempora extitit, omnia transcripta sunt. Nam is hæc verba de ipso tradit: Chærephillon canceratis medetur, lateris dolores ex vino mitigat. Quidam illud oleo incoctum ἀκόποις ad soluendam frigoris iniuriam, miscuerunt. Ex aqua mulsa pituitam resoluit. Ex aceto lumbricos & tineas perimit, vrinam ciet, menstrua pellit. Tritum cum cera & axungia vetere paroditas discutit. Lege doctissimi viri Iani Cornarii annotationes in caput 22. lib. 1. Mac. Ad hæc succus, siue stillatitius chærefolii liquor, potus cum carbonibus tiliæ & lapide ex cancrorum capitibus exempto sanguinem ob casum, percussionem, vel contusionem in grumos concretum certo experimento dissoluit, & renum calculos frangit. *Vomitus.* *lib. 4. cap. 27. de remediis.*

DE ENVLA CAMPANA. CAPVT LXVIII.

ENula campana reddit præcordia sana,
Cum succo rutæ succus si sumitur eius,
Affirmant ruptis quod prosit potio talis.

Mac.li.1. ca.20.

Hic duæ referuntur facultates herbæ, quam ἑλένιον Græci vocant, Latini Helenium & Inulam, Barbari Enulam, Officinæ Enulam campanam.

Prima quod curet ac roboret præcordia: quo nomine iam exta in homine intelligenda veniunt, nempe os ventriculi, membra, spiritus, & quæcunque cordi propinquiora sunt. Et hoc sane radice potissimum efficit. Ea enim calida & sicca atque odorata est cum excrementitia humiditate: quapropter in eclegmatis cum melle temperata crassos ac lentos humores pectori pulmonique infarctos educit, tussi orthopnϾæq; prodest. Omnis iræ dolorisque obliuionem inducit, cor exhilarat ac roborat. Ex ea vinum etiam conficitur, quod νεκταρίτης Græcis dicitur. Hoc contra stomachi & pectoris vitia & cordis ex humiditate & frigiditate imbecillitatem efficax est, excrementa in venis sanguini permista per menses ac vrinas expellit.

Vinum enulatũ,

Secunda quod succus eius cum rutæ succo permistus herniosis, hoc est, ruptis, quibus intestina in scrotum deuoluuntur, admodum opituletur, & maxime quidem, si hernio ex flatuum multitudine euenerit. Eos enim rutæ atque helenij succus discutit. Radix præterea helenij stomacho prauis succis referto vtilis est in passo condita, obstructionesque iecoris atque lienis tollit. Trita potaque ad cruentas excreationes singularis est, & serpentium morsibus medetur. Ruptis ac conuulsis omnibus confert. Folia & ius ex vino cocta

vtiliter

vtiliter illinuntur frigidis ac diuturnis partium affectibus, cuiusmodi sunt nonnullæ coxarum passiones, ἰσχιάδας vocant, & exiguæ assiduæq; articulorum quorundam præ humiditate procidentiæ ac luxationes. Plura Dioscorides lib. 1. cap. 17. Galenus lib. sexto cap. 114. de simpl. med. facult. & Auicenna 2. Canon. cap. 240.

DE PVLEGIO.

CAPVT LXIX.

Cum vino nigram coleram potata repellit;
Appositam veterem dicunt sedare podagrã. Mac. l. 2. cap. 4.

Duo hoc in loco Pulegii recensentur effectus. Prior quidem, quod atram bilem cum vino expurget, cuius rei testis etiam est Dioscorides lib. 3. capite 32. Atram, inquiens, bilem per aluum exigit.

Alter vero, quod peculiari proprietate quadam antiquam curet podagram. Crassos enim viscosósq; humores, vnde podagra generari plurimum solet, vehementer calfacit, concoquit, extenuat & amolitur. In tertio namque ordine calidum & siccum esse statuitur, quapropter podagris etiam per se subuenit, impósitum vsque dũ rubescat locus. Vi pollere corroborandi ex bona fragrantia eius satis liquet: Aperit quoque, attrahit & consumit, ratione tum essentiæ, tum qualitatum. Potum menstrua, secundas ac partus elicit. Pulmonis vitia & melle & aloe potum extrahit, conuulsis auxiliatur. Capitis dolores impositum leuat. Quin & olfactu capita tueri contra frigorum æstusque iniuriam, & à siti traditur. Nauseas stomachique erosiones ex posca permulcet. Bibitur in vino vtilissime contra serpentium morsus, defectos animo recreat cum aceto naribus obiectum. Siccatum præterea crematumque & in puluerem tritum gingiuas confirmat. Illitum cum polenta inflammationes omnes se-

dat. Cum cerato varos extinguit, lienosis cũ sale vtiliter illinitur. Decoctum eius ablutas prurigines mitigat: & eadem vtilitate insidentibus fœminis prodest: inflationes, durities & muliebrium locorum conuersiones corrigens. Plura Dioscorides loco citato, Plinius lib. 20. cap. 14. Galenus lib. 6. cap. 93. de simpl. med. facult. & Simeon Sethi in Syntagmate.

DE NASTVRTIO.

CAPVT LXX.

ILlius succus crines retinere fluentes
Mac l. 2. cap. 11. *Illitus adseritur, dentisq; leuare dolorem,*
Lichenas succus purgat cum melle perunctus.

Hic agitur de hortis familiari herba Nasturtio, quod κάρδαμον Græci vocãt quasi καρήδαμον quod caput tentet ac domet. Et referuntur tres ipsius facultates.

Prima quod succus eius siue stillatitius liquor capiti illitus, aut potus etiam, capillorum defluuia sistat, præsertim si exdensatis infarctisque meatibus orta fuerint. Crassos enim & pituitosos humores calefacit, incidit, & extenuat.

Secunda, quod dentium curet dolorem, præcipuè si à frigida materia prouenerit: eam enim Nasturtium discutit.

Tertia quod succus eius cum melle illitus lichenas, id est impetigines siue squamas cuti adhærentes, abstergat. Nascuntur eæ ex phlegmate potissimum salso, sed nasturtium intus assumptum omne phlegma pellit & expurgat, & mel quoque insigniter abstergit. Nasturtij semen adurentis seu causticæ facultatis particeps est, sicut sinapi. Proinde coxendicis & capitis dolores, atque adeo quicquid aliud rubrificationem postulat, eo perinde atque sinapi excalefaciunt.

Misce-

Miſcetur quoque remedijs quæ exhibentur aſthmaticis, quippe quod craſſos ſuccos valenter incidere valeat, velut & ſinapi: nam per omnia ei ſimile eſt. Stomacho aduerſatur, aluum turbat, ventris lumbricos pellit, lienem imminuit, partus exanimat, menſes ciet, & venerem ſtimulat. Illitum cum melle lienem extenuat, fanos expurgat. Serpentium venenis potum reſiſtit, atque eos ſuffitu fugat. Carbunculos ad ſuppuratione͂ perducit & rumpit. Coxendicibus cum polenta commode ex aceto illinitur: tumores inflammationeſque diſcutit. Furunculos cum muria illitum ad ſuppurationem ducit. Vomitum flauæ bilis citat, eandemq; per inferna ſeducit. Tradunt nonnulli naſturtium vim vigoremque animi ſuſcitare, ac proinde eos qui ipſum eſitauerint ingenio ac mente promptiores fieri. Lege Plinium li. 19. cap. 8. Eraſmi Chiliades in Prouerbio ἔσθιε κάρδαμον Porro & herba areſacta ſimilem ſemini vim poſſidet. Humida vero adhuc & viridis propter aqueæ humiditatis admiſtionem multo ſemine inferior eſt: adeoque tunc mordacitas eius moderata eſt, vt cum pane ea vti liceat, ceu obſonio. Plura Dioſcorides lib. 2. cap. 8. de ſimpl. medic. facult. Simeon Sethi in Syntagm. & Auicen. 2. Canon. capite 509.

DE CHELIDONIA.

CAPVT LXXI.

CÆcatis pullis hac lumina mater hirundo,
(Plinius vt ſcripſit) quamuis ſint eruta, reddit.

Notatu dignum eſt quod hic ex Plinio de chelidonia refertur, nempe ipſam pullis hirundinu͂ viſum reſtituere. Locus eſt lib. 25. capite 8. vbi ſic ſcriptum reliquit: Animalia quoq; inuenere herbas, inprimiſque chelidoniam. Hac enim hiru͂dines oculis pulloru͂ in nido reſtituunt viſum, vt

quidam

quidam volunt, etiam erutis oculis. Meminit eiusdem etiam libro 8. capite 27. his verbis: Chelidoniam visui saluberrimam hirundines monstrauere, vexatis pullorum oculis illa medentes. Hoc nomen, vt libro. 2. cap. 65. Dioscorides testatur, sibi videtur vendicasse, quod aduentu hirundinum exoriatur, & discessu emarcescat. Sunt qui narrant hirundines excæcatis pullis, admota herba visum restituere, inquit idem. Hinc cognitum est succum eius hominum oculis quoque mederi, vtique in quibus crassum quiddam in pupilla colligitur, digestione atque discussione indigens. Hinc igitur edocti medici chelidoniam omnibus fere oculorum remediis pro visus claritate admiscere solent. Herba est nota, crocei succi, cuius inuentionem hirundinibus ob id quoque attribuunt, quod pulli earum sæpius quã vlli aliarum auium in cæcitatem incidant. Hirundinum enim stercus chelidoniæ oppositum præstat: excæcat namque. si calidum in oculos decidat, & præcipue matrum. Quod etiam sacræ testantur literæ: nam Tobiæ 2. seniorem illum hoc stercore excæcatum fuisse legitur. Cor. Cel. lib. 6. cap. 6. fabulam putat, per parentes oculos herba restitui, qui per se sanescant. Chelidonia tertij est, ordinis absoluti iami, dque tum in calfaciendo, tum in siccando. Attrahit igitur, discutit & consumit. Radix trita & in vino decocta caput columellamque frigidorum humorum à capite descendentium multitudine laxatam, ac linguæ radici atque faucibus incumbentem expurgat, si exurgentem inde fumum in fundibulo adhibito æger admittat, & vinum deinde gargarizet. Cum aniso & vino albo pota medetur regio morbo, & vlceribus quæ serpunt: imposita cum vino aut manducata, dentium dolorem sedat. Plura Galenus libro 17. cap. 172. de simpl. med. facultat.

DE

DE SALICE.

CAPVT LXXII.

AVribus infusus vermes succus necat eius,
Cortex verrucas in aceto cocta resoluit. *Mac.l.7.*
Huius flos sumptus in aqua frigescere cogit *ca 16 &*
Instinctus Veneris cunctos acres stimulantes: *lib.2. ca.*
Et sic desiccat, vt nulla creatio fiat. *35. Idem*

Tria hoc loco de Salice traduntur. Primum, *lib14.* quod succus eius auribus instillatus vermes in- *cap.11.* terficiat, & maxime quidem, si is sit ex foliis & cortice expressus. Amarum enim quiddam in se habet & acerbum. Idem quoque cum rosaceo in calice punici calfactus, aurium doloribus & saniei medetur.

Secundum, quod cortex eius in aceto decoctus verrucas pellat. Hanc rem Dioscorides l. 1. capite 115. sic tradidit: Corticis cinis admisso aceto maceratus, illitu clauos & callos tollit. Est enim vis eius admodum desiccatoria, sed ita tamen, vt morsu abstineat: habet vero etiam quandam adstrictionem, Auicenna capite 541. secund. Canon. eundem effectum portulacæ quoque tribuit: Ex ea, inquiens fricantur verrucæ, & eradicat eas non qualitate, sed naturali quadam facultate.

Tertium, quod flos salicis conceptus prohibeat, & hoc certe ob vim desiccatoriam & adstrictioné. Hoc ipsum autem ἀσυλληψίαν ἐργάζεσθαι Dioscorides dixit, hoc est, facere vt mulier non concipiat. Non autem solum mulierum conceptus prohibet salicis semen, siue fructus, siue flos, velut hic appellatur, sed etiam instinctus Veneris omnes hebetat ac resiccat, etiam in viris vt generare nequeant. Atque hoc ipsum Democrites quoque apud Constantinum Cæsarem lib.1. cap. 14. tradit his verbis. Qui fructus salicis appellatur pabulo pecorum admixtus, ipsa pinguefacit. Tritus autem & in potu acceptus ab homine steriles.

riles facit: ex quo & Homerus ὀλλύας, κ ait,
καὶ μακραὶ τ' αἴγειροι πε καὶ ἰτέαι ὠλεσίκαρποι.
Id est.
Et grandes populi & salices fructum perimẽtes.
Verum Theophrastus libro 3. cap. 2. de historia plantarum, & Plinius libro 16. capite 26. vocem ὠλεσίκαρπος non sic accipiunt dictam ab Homero, vt significet fructuum ac seminum humanorum perditionem, sed ipsius arboris. Plinii verba hæc sunt: Ocyssime autem salix amittit semen, antequam omnino maturitatem sentiat, ob id dicta ab Homero frugiperda: secutaque ætas scelere suo interpretata est sententiam, quãdo semen salicis mulieri sterilitatis medicamentum esse constat. Hæc fere Ianus Cornarius in ca. 11. lib 4. Macri. Didymus antiquissimus Homeri interpres ita ex Theophrasto de salice refert: ὁ καρπὸς τῆς ἰτέας πινόμενος ἀφανίζει τὴν γονὴν τῶν ἀνθρώπων Id est: fructus salice potus gerituras hominum demolitur. Plura de Salice Galenus libo 6. de simpl. med. facult. cap. 155. & Auicenna 2 Canon. cap. 326. & 686.

DE CROCO.

CAPVT LXXIII.

Confortare crocum dixerunt exhilarando.
Artus defectos, reficitque, hepar reparatque.

Hic agitur de proprietatibus quibusdam Croci. Ac primo quidem corpus roborare dicitur, eique lætabundam quandam conciliare alacritatem iucunditatemve, præcipue si quis eo modice vtatur. Immoderatius enim sumptus, pondere nimirum trium drachmarum, lethalis est.

Deinde vero membra defecta. id est, debilia ac prostrata reficere, inq; vigorem suum restituere creditur. Superat enim in eo calfaciẽs & qualitas & facultas, vt tota eius essentia secũdi sit ordinis excal-

excalfacientium & primi exficcantium: proinde concoquendi, maturandi, emolliendi, aperiendi, & discutiendi vim quandam habet, adiuuante scilicet & paucula quadam adstrictione. Cor non parum exhilarat, ipsumque adeo ac simul etiam hepar atque alias corporis partes, ob insidentem nimirum adstrictionem ita corroborat, vt non facile dissolui queant, obstructionesque tollit. Quinetiã stomachũ moderato calore suo firmat, eiusque tum coquendi, tum distribuendi facultatem adiuuat. Immodice tamen illo vtendum non est, quippe qui ita nauseam facile moueat, & cibi inapppetentiam Græci ἀνορεξίαν vocãt, efficiat: siquidem ariditatem in ventriculo extinguit, quæ præsertim appetentiam excitat. Siccando mediocriter dispositionibus pectoris pthisicis auxiliatur, putredines corrigit, anhelitum fælicem reddit, eiusque instrumenta corroborat. Nam si vsus ipsius mediocris fuerit, facilem respirationem, & amabilem coloris bonitatem facit: sin vero citra modum, pallorem inducit, cerebrum infestat, capitis dolorem commouet, sensus obtenebrat, & oculos hebetat. Vino impositus vehementer inebriat, adeoque exhilarat, vt insaniam maxime alacrem & lætabundam pariat. Si quis vero ex passo biberit, crapulam non sentiet. Additur in potiones, quæ interaneorum causa temperantur. Pituitosa vitia & lethargica sanat. Somnum conciliat, Venerem stimulat, menses & vrinam ciet. Mulieribus difficulter parientibus in potu duarum drachmarum pondere exhibitus, partum accelerat. Illitus cum humano lacte visum abstergit, & oculorum fluxiones cohibet. Aurium remedijs vtilissimus est. Vergentes ad ignem sacrum inflammationes inunctus lenit. Vuluæ sedisque cataplasmatibus vtiliter inditur. Plura Dioscoridas lib. 1. capite. 25. Plin. lib. 21. cap. 20. Galenus lib. 7. de simpl. medic. facult. capite. 75. Simeon Sethi in Syntagmate, Serapion,

cap. 173 ſimpl. & Auicenna libro.2. Cano. cap. 129.

DE PORRO CAPVT LXXIV.

REddit fœcundas manſum perſæpe puellas:
Manantemque poteſt naris retinere cruorem,
Vngas ſi nares intus medicamine tali.

Mac. li.1. cap.6.

Duæ hoc in loco porri referuntur proprietates. Ac prior quidem, quod impræguandi facilitatem vtentibus mulieribus pariat, atque ne abortiant grauidæ prohibeat. Quod ſane magni etiam Hippocratis autoritate Plin. lib. 20. cap. 6. in hunc modum ſcribens confirmat: Hippocrates de morb. mulier. lib. 1. & 2. & alibi ſæpius, ſine alia mixtura dari iubet, vuluaſq; contractas aperiri putat: fœcunditatem etiam fœminarum hoc cibo augeri: Idque non in cibo tantum ſiue potu, ſed illitum quoque & foris admotum præſtat. Coquitur enim in aceto & marina aqua coma eius, decoctoque illo inſidentium fœminarum præcluſi duratique loci vtiliter fouentur. Folia quoque porri muliebres locos, qui nimio humore madeſcentes fœtum haud continere valent, egregie purgant. Item ex abortu profluuia ſiſtit, poto ſucco cum lacte mulierum.

Altera quod ſanguinem è naribus erumpentem ſiſtat: & maxime quidem ſuccus eius cum aceto, addito thure aut eiuſdem manna vel galla, aut mentha. Idem quoque ſanguinem reiicientibus cum gallæ aut thuris farina, vel acacia auxilio eſt. Quin etiam potæ ſeminis drachmæ duæ cum paribus myrti baccis veteres ſanguinis ex pectore reiectiones ſanant, Acrimoniam enim quandam habet porrum, & adſtringendi aliquam vim, ſed ſemen acrius eſt.

Plura ſupra cap. 13.

DE

DE PIPERE.

CAPVT LXXV.

QVod piper est nigrum, non est dissoluere pigrum,
Phlegmata purgabit, concoctricemque iuuabit.
Leucopiper stomacho prodest tussique, doloriq;
Vtile, praeueniet motum, febrisque rigorem.

Agitur hoc in loco de triplici genere piperis, longo scilicet, albo, & nigro. Et fructus quidem vt lib. 8. cap. 42. de simpl med. fac. Galenus memoriæ prodidit, nuper admodum germinantis arboris oblongum est piper, maturo humidius: humiditatis eius indicium est, quod facile repositum perforetur ac non protinus mordicet, sed post paulo incipiat, verum plusculum duret. Fructus veluti acerbus immaturusque. album est piper, nigro quidem acrius. Nam illud iam quasi superassatum est & superexiccatum. Longum quidem piper μακρὸν Græci, album λευκὸν nigrum μελανπέπερι vocant. Sane prioribus duobus versibus tres nigri comprehenduntur proprietates.

Prima, quod in dissoluendo non sit pigrum, hoc est, crassos, glutinosos ac frigidos humores, flatuososque spiritus egregiè discutiat. Valenter enim tum excalfacit, tum desiccat, ordine nimirum tertio completo.

Secunda, quod phlegmata expurget: Viscosam enim pituitam, quæ in interiore corpore nempe in thorace, pulmone & intestinis residet, concoquendo atque extenuando dissipat expellitque.

Tertia, quod plurimum adiumenti concoctoriæ adferat facultati. Hoc ipsum Dioscorides etiam lib. 2. capite 145. his confirmat verbis: Somnum inquiens, & appetentiam cibi conciliat, concoctionem adiuuat; vtunturque ob id eo ad intin-

ctus. Porro ad eum vſum melius eſt longum: quippe quod Galeno lib. 4. cap. 10. de ſanitate tuenda teſte, flatuoſi ſpiritus craſſitudinem ſoluit & quæ in præcordiis pigra ſeſſant, ad ventrē depellit, & concoquendis, quæ ſumpſeris, ſubuenit. Poſterioribus duobus verſibus quinque albi piperis referuntur vtilitates.

Prima, quod ſtomacho conferat: ipſum enim Vt Galenus eodem, quo antea loco teſtatur, ſupra duo reliqua genera roborat.

Secunda, quod inctu potuque tuſsientibus opitulетur, præſertim ſi ex frigido & craſſo humore tuſsis euenerit: eum namque piper album calfacit, incidit, & diſſoluit. Pari modo & cunctis alijs frigidis, & à pituita ortis pectoris vitijs ſuccurrit.

Tertia quod dolori ſubueniat: idque intelligendum vel de dolore pectoris vt iam dictū eſt, vel de dolore flatuoſo. Potum enim cum melle & recentibus lauri foliis, flatuoſos ſpiritus & tormina diſcutit.

Quarta, quod præſumptum febrium acceſsiones ſiue exacerbationes. παροξυσμοὺς Græci vocant, auertat. & hoc quidem in febribus frigidis. Earum namque materiam excalfaciendo quodammodo diſsipat & expellit.

Quinta, quod febrium horroribus circuitu repetentibus ſiue potu, ſiue illitu ſubueniat. Neruos enim & muſculos caliditate ſua vehementer roborat, & in eis reſidentem materiam conſumit. Hinc eſt quod libro 3. capite 1. Macer in hunc modum cecinerit.

Quotq; mouere ſolet frigus periodica febris,
Compeſcit, febris ſi ſumitur ante tremorem.

Illud ipſum 4. Cano. cap. 556 Auicenna innuere etiam voluit, inquiens: Fricando fit inunctio ex ipſo cum vnguento, & confert rigori. Eiuſque rei exem-

exempla ſunt apud eundem l. 4. tract. 2. cap. 12. Et hæc certe facultates non albo tantum piperi, ſed & reliquis quoque generibus conueniunt. Liberalior piperis vſus quemadmodum eſt apud Ariſtotelem, ſect. 1. probl. 44. vrinas prolicit, parcior autem aluum deijcit; contrario vero ſcammonia. Piper caliginem, quæ oculis obuerſatur, abſterget. Serpentium morſibus auxiliatur. Anginæ eo & melle conuenienter perunguntur. Cũ vua paſſa manducatum, pituitam è capite elicit. Strumas cum pice diſcutit. Vitiligines ex nitro emaculat. Plura Plinius libro 12 capite 7. & Serapion capite 735. de ſimp. med. fac.

DE GRAVITATE. Auditus.

CAPVT LXXVI.

ET mox poſt eſcam dormire, nimiſque moueri,
Iſta grauare ſolent auditus, ebrietaſque.

Hic tria recenſentur quibus auditus prægrauari ſolet.

Primum, cibus, quem ſomnus ſtatim excipit, & maxime quidem, ſi ventriculus eo diſtentus fuerit. Hic enim concoctionem impedit, & cruditates gignit. Ex incoctis vero ac crudis in ventriculo cibis viſcoſi craſsi & flatuoſi ſuſcitantur fumi, qui in caput ſublati, cum exitum non inueniant, auditorios obſtruunt meatus, auditumque grauant. De hoc nonnihil etiam ſupra capite, 3

Secundum, motus ſiue labor vehementior illico poſt ingeſtũ cibum ſuſceptus. Cauſam Galenus in cõmentario περὶ εὐχυμίας καὶ κακοχυμίας capite 5. hanc eſſe tradit: ſicuti, inquit, bonę valetudini ante cibum exercitatio maximum adfert commodum: ſic qualiſcunq; ſumpto cibo motus noxius admodum eſt: alimentum enim ex ventre ante concoctionem in diuerſas corporis partes diſtri-

distribuitur, propterea que crudi humoris copia per venas aggeritur. Vnde crassi etiam ac flatuosi spiritus sursum elosati meatus auditor obturãt. Idem quoque libro 6. de sanitate tuenda cap. 8, his testatur verbis: Non leue incommodum nonnullis accidit, cum repleti cibo se exercitant. Nonnullis enim & caput impletur vaporibus, & in iecinore aut ponderis sensus, aut destentionis, aut vtriusque percipitur. Et lib. 1. cap. 9. de aliment. facult. Carnes inquit, inanitæ rapiunt ex ventre succum, non modo semicoctum, sed nonnunquam etiam omnino crudum atq; incõcoctum, cum cibo sumpto operibus sese reddiderint: ob eamque causam ij grauissimis morbis postea prehenduntur, & ante senectam intereunt.

Oribas. li. 1. ca. 7 ad Eunapium.

Stare tamen post comestionem, vel suauiter deambulare, quo cibus ad fundum descendat vẽtriculi, multum expedit & confert ad bonam ciborum concoctionem. Idque vulgato etiam hoc comprobatur versiculo.

Post cœnam stabis, aut passus mille meabis.

Tertium, ebrietas: nam ex calidi vini temperatura multi omnino vapores ac fumi ad auditus organũ prompte deferuntur, qui cum ὄργανον non inueniant, spiritum eius insitum perturbãt, & audiendi difficultatẽ, Græcis βαρυκοίαν καὶ δυσηκοίαν appellatam, pariunt. Neque vero auditui solum, sed visui quoque ac reliquis sensuum instrumentis omnibus ebrietas nocet, quemadmodum 4. 3. ca. 2. Auicenna his testatur verbis: Ex eis quidem, quę nocent auri & reliquis sensibus, sunt nauseosa satietas & repletio, & proprie somnus super repletionem. In nonnullis exemplaribus hic etiam versus adscriptus habebatur.

Balnea, Sol vomitus, adfert repletio clamor.

Nec male quidem, siquidem & hæc auditum

grauant,

grauare, & aurium sonitus generare 4.3.ca.11. autor est Auicenna: Oportet, inquiens, vt omnes isti vitent Solem, balneum, motum laboriosum, vomitum, clamorem, coitum, & repletionem, & vt leniant naturas suas.

DE TINNITV SIVE sonitu aurium.

CAPVT LXXVII.

Motus, longa fames, vomitus, percussio, casus,
Ebrietas frigus, tinnitum causat in aure.

Septem hoc loco enumerantur sonitus siue tinnitus aurium causæ.

Prima, motus immoderatior scilicet. Humores enim & spiritus vehementiore atque inordinato corporis motu concitati crassos ventososque generant flatus, quibus sursum vergentibus, cum facilis non pateat exitus, tinnitus excitatur. Ac plurimum sane ob ventosi flatus in auditorio meatu commotionem nasci solet.

Secunda, fames, siue longior vltra consuetam edendi horam abstinentia. Cuius Auicenna 4. 3. cap. 9. hanc tradit esse causam: nempe, quod humores per corporis molem dispersi, ac quiescentes longiore fame exagitentur. Natura enim cibo in quem agat destituta, ad humores conuertitur, eosque resoluit & commouet.

Tertia, vomitus violentus & multus. In hoc enim motus accidit vehementior, quo humores exagitati sursum ad caput feruntur: quo fit, vt oculi nonnunquam ac facies rubescant, visusque debilitetur: nonnunquam vero vapores ac ventosi flatus ad auditorium pertingant organum, tinnitumque excitent.

Quarta, prægressa plaga, siue percussio sphærulæ capitis, & maxime qua parte aures sitæ sunt. Innato enim auditus aeri vehementius inde exagitato spiritus accedit. Siquidem membro aliquo

læso, quemadmodum in libro de renū affect. dignot. & cura cap. 11. Galenus testatur, spiritus statim & sanguis, qui sunt naturæ vehicula, eo concurrunt: ex quorum deinde commotione tinnitus accidit.

Quinta, casus, præsertim supra caput: cuius eadem cum præcedente ratio est. Quinetiam humores in corpore ex quolibet casu vehementer exagitantur.

Sexta ebrietas, & maxime quidem ex largo vini potu. Inde enim caput fumis repletur, ac vaporibus, quibus ad auditorios meatus vergentibus innatus eorum aer commouetur, & sonitus quidam excitatur.

Septima, frigus immodicum. Eo enim auditus organum & naturalis cerebri calor debilitantur, vt flatuosos generent spiritus, quibus ad aures penetrantibus tinnitus facile elicitur. Neque ob dictas solum causas, sed ob alias etiam non paucas, sonitus in auribus fiunt. Nempe ob flatuosum spiritum in capite generatum ac commotū ex sonitu saniei, quæ in ipsa fortassis aure genita est: aut ex feruore puris in partibus eius, aut ex motu vermium in auditorijs meatibus sæpenumero eueniente, aut ob humoris in toto corpore ebullientis commotionem, sicuti in febribus fere & paroxismorum principijs contingit, aut ob superfluam in corpore repletionem, præsertim in capite, aut ex lenta & crassa materia in ventosos flatus resoluta, aliquando denique ob pharmacorum auricularium vsum sonitus quidam etiam fiunt. Qui in febribus sonitus fiunt minime interturbandi sunt: vt plurimum enim statim sedantur. Plura Galenus libro 3. de compositione Pharmacorum secundum locos, capite 1. de sonitu in auribus. Serapion tract. 2. cap. 12. de surditate, & Auicenna loco iam citato.

DE

DE VISVS NOCVMENTIS.
CAPVT LXXVIII.

Balnea, vina, Venus, ventus, piper, allia, fumus,
Porrum cum cæpis, faba lens, fletusque, sinapi,
Sol coitusque ignis, labor ictus, acumina, puluis,
Ista nocent oculis, sed vigilare magis.

Vnum & viginti numero hic referuntur, quæ oculis important. Ac primum quidem Balneum, idque tam humidum, quam siccum: hoc Stupha Barbaris, Latinis Aereum balneum dicitur: illud vero Tina vulgo, Latinis Solium appellatur. Duplici porro nomine vtrunque oculis officit. Primum quidem immodice excalfaciendo temperaturas eorum destruit. Natura enim, velut supra ostendimus frigidi sunt & aquei. Deinde vero tenuiores humiditates, quibus visiui iique ignei temperantur refocillanturque spiritus, resoluit & exsiccat. Atque hinc adeo prope Rhenum vbi plurimus vtriusq; balnei vsus est, non pauci passim occurrunt cæci, quemadmodum in Hollandia ob inordinatam victus rationem multi leprosi.

Secundum, vinum, & maxime quidem si immodice bibatur. Cum enim caput vt sæpius iam dictum est, vaporibus ac fumis repleat, non oculos tantum ac visum, sed reliquos etiam sensus omnes immoderatiore vsu hebetare purtãdũ est.

Tertium, venus, immodica scilicet: Hanc enim obtundere oculorum aciem, Medici omnes vno ore prædicant. Cuius causam Petrus Aponensis Sect. 4. problematum Aristotelis, commentar. 3. hanc esse tradit: Nempe quod coitu aufeiatur id quod commodum est oculis humidum scilicet, aqueum & subtile, quo spiritus fulciuntur visiui. Oculis enim, vt libro 5. capite 1. de generatione animalium, & alibi sæpius Aristoteles adseruit humidus est & de natura aquæ. Iam vero euulsis at-

que euacuatis humidis partes ſuperiores neceſſario exſiccantur. Quo fit vt oculi, qui humiditate vigent, à ſua decedant natura, hebetioreſque fiant. Merito autem humiditate vigent: niſi enim ea ſuſtentarentur, per igneos facile ſpiritus, qui in frequenti ſunt motione, exareſcerent. Atque hinc ſane conſtat, ſuperiores partes immoderato concubitu plus iuſto exſiccari, viſuſque aciem hebetari: humores enim deorſum extrahuntur.

Quarta, Ventus & præcipuè Auſtrinus. De quo lib. 3. aphor. 5. Hippocrates: Νότοι, inquit, βαρυήκοοι, ἀχλυώδεες, καρηβαρικοὶ, hoc eſt, Auſtri auditum hebetant, caliginem obducunt, capitis grauitatem efficiunt. Auſter enim natura calidus & humidus eſt, ac magna ex parte pluuias & tempeſtates adfert: quare etiam τὰ τῶν αἰσθήσεων, ὄργανα ὑποσβέννυσι, quemadmomodum Philotheus ait, id eſt, ſenſuum inſtrumenta implet & obtundit. Cæterum vocem ἀχλυώδεες, bifariam interpretari poſſumus. Primum, vt ad auſtros ipſos referatur, qui caliginem aeris efficiunt. Ijs enim flantibus aer fit turbidus, craſſus, caliginoſus & tenebroſus. Secundo, vt ad oculos ipſos potius hæc vox referatur, qui flantibus auſtris caliginoſi redduntur, minuſque acutè vident. Vt enim reliqua omnia ſenſuum inſtrumenta non ſatis probe ſuo funguntur munere, ſic etiam oculi ipſi ab Auſtro caliginem quandam contrahunt. Lege Galenum commentario 1. in 1. epidem. Tempeſtate 1. aphor. 8.

Quintum, piper. Hoc enim eum impenſius exſiccet, acres omnino vapores frequenti eſu generat, qui vbi ad caput aſcenderint, oculos mordicant, & exſiccant.

Sextum, allium: quod acrimonia ſane & vaporibus, quibus caput replet, oculos offendit. Supra cap. 13.

Septimum, fumus, qui certe quod mordaciſſimus

mus sit, nimiumque exsiccet, infestissimus est oculis. Aristoteles problem. 22. Sect. 31.

Octauum, porrum, hinc enim crassi ac melancholici generantur fumi, qui sursum elati oculorum aciem hebetem faciunt, si quis eo frequentius vtatur. Supra cap. 13.

Nonū, cæpæ, harum namque esu acres similiter ad caput submittuntur fumi, qui non visum tantum, sed vt quidam volunt, rationalem etiam animæ partem lædunt. Simeon Sethi.

Decimum, faba, flatuosum enim, crassumque & melancholicum generat fumum, qui horrenda & terribilia parit somnia, mentem perturbat, ingeniique aciem obtundit, & spiritus visiuos obtenebrat. Galenus libro 1. de alim. facult. capite 29. & Simeon Sethi in Syntagm.

Vndecimum, lens: Ea visum integrum & inculpatum hebetat, ipsum immoderate exsiccans. Galen. lib. 1. de alim. fac. capite. 25.

Duodecimum, fletus præsertim immodicus: Hic enim cum retentricem oculorum facultatem imbecilliorem reddat, visum vehementer oblædit, & sanam oculorum aciem nimio plus siccando hebetat.

Decimum & tertium, sinapi, quod acrimonia sua visum efficit debiliorem.

Decimum & quartum conspectus Solis: Et hoc quidem ob excellentem eius splendorem ac nitorem, quibus visum destrui manifesta constat experientia & ratione. Sensibilium enim exuperationes, vt libro 2. de anima, cap. 12. Aristoteles adstruit, sensuum instrumenta corrumpūt. Quod quidem Galenus etiam lib. 10. de vsu part. cap. 3. in hunc modum scribens approbat: Solem ipsum, inquiens, si quis oculis inconniuentibus velit intueri, oculos celeriter perdet: multique in Solis defectibus, cum eum affectum, qui Soli acciderat, planius nosse cuperent, fixis oculis Solem intuentes, imprudentes prorsus fuerunt occæcati.

At enim per niuem iter facere quam oculis sit perniciosum, si minus Xenophonti credis, experientia tibi discere id licet: Sin vero naturalius quippiam audire sustines, vbi ellichnium ardens aut aliam quamuis flammam in Sole luculento constitueris, cernes eam protinus marcescere, atque etiam si prope quamlibet flammam magnā ellychnium posueris, vel aliam quamuis flammam minorem, repente extinguetur, cum quæ minor lux est à maiore vincatur semper ac dissipetur. Lege eundem etiam libro 1. de causis sympto. cap. 6.

Decimum & quintum, coitus: & maxime quidem intempestiuus ac immoderatior. Hunc enim paulo ante capiti, oculis omnibusque sensuum instrumentis plurimum nocere ostendimus.

Decimum & sextum, ignis cuius frequens inspectio & splendor vehementer exsiccat oculos, visumque debilitat. Quo fit vt fabri ferrarij, & quicunque artes quibus se suosque sustentant, ad ignem exercent, rubros fere & debiles habeant oculos.

Decimum & septimum, labor, immodicus scilicet. Is enim sanguinem efficit ficciorem, sicut etiam reliquum corpus. Siccitas autem totam cutem indurat, atque adeo etiam eam qua pupilla integitur. Itaque vis illa conspiciendi cooperitur & delitescit. Aristoteles problemat. Sect. 31. problem. 14.

Decimum & octauum, ictus siue percussio capitis, & maxime quidem qua parte oculi sunt. Cum enim sanguis inde sicuti præcedente capite ostendimus, ad oculos rapiatur, accidit vt spiritus visiui perturbentur, adeoque visus ob id debilitetur, & apostema nonnunquam generetur.

Decimum & nonū, nimius acrium rerum vsus cuiusmodi salsamenta nonnulla existunt, quę fumorum acrimonia aciem oculorum obtundunt.

Vigesimum, puluis, siue ambulatio per loca pulueru-

uerulenta: puluis enim ad oculos pertingens visum maxime obscurat.

Vigesimum primum immodicæ vigiliæ, quæ non oculos tantum, sed totum etiam corporis habitum impensius exsiccant & extabefaciunt.

Ad hæc nocet oculis quælibet repletio, & quicquid naturam exsiccat, quicquid item sanguinē conturbat, siue ex rebus sit salsis, siue acribus, siue etiam alijs, & omnis ebrietatis. Vomitus medio quodam modo se habet: confert enim, quatenus ventriculum expurgat; nocet vero, quatenus cerebro insidentes materias commouet, atque oculos defluere facit. Quod si necessarius fuerit, cum facilitate à sumpto cibo prouocandus est. Somnus quoque superfluus, quiq; repletionem mox subsequitur, infestus admodum est oculis. Sic quoque copiosa sanguinis detractio. Potissimum vero quæ per frequentem cucurbitularum affixionem celebratur. Plura Auicenna 3. 3. tract. 1. capite 5. & 3. 5. tract. 4. capite. 4.

DE CORROBORANTIBUS visum.

CAPVT LXXIX.

Foeniculus, verbena, rosa, & chelidonia, ruta,
Subueniunt oculis dira caligine pressis;
Nam ex istis aqua fit, quæ lumina reddit acuta.

Quinque hoc loco recensentur herbæ, quarum succo & stillatio liquore siue aqua visus reficitur ac recreatur.

Prima fœniculus: succus namque caule & folijs expressus siue destillatus, quemadmodum lib. 3. ad Alman. cap. 47. Rhazes testatur, & nos supra cap. 49. abunde ostendimus, ad excitandam oculorum aciem præstantissimus habetur.

Secūda Verbena siue Verbenaca προϛεριῶνα καὶ ἱερὰν βοτάνην Græci vocant. Huius stillatitius liquor semel aut bis oculis quotidie admotus, ipsorū vitijs mederi perhibetur. Qua ratione oculorum remediis plurimum misceri solet.

men eius, vt in Pandectis Syluaticus refert, cum succo fœniculi impositum oculos emundat.

Tertia, rosa: Cuius aqua refrigerando & adstringendo oculorum potissimum fluxiones cohibet, animalemque spiritum ac visum corroborat. Succus recentibus folijs expressus Dioscoridi lib.1.cap.109. ad oculorum circumlitiones reconditur.

Quarta, chelidonia. Huius succus claritati oculorum vtilissimus est, quemadmodum satis superque ostendimus supra, capite 71.

Quinta: ruta: herba vulgo cognita, quæ visus aciem excitat grauesque oculorum dolores emplastri modo imposita cum polenta mitigat. Plura supra capite 61.

DE DOLORE DENTIVM sedando.

CAPVT LXXX.

Sic dentes serua, porrorum collige grana,
Vre cum hyoscyamo adiuncto quoque thure,
decenter,
Sic per chonion & fumum cape dente remotum.

Al. Sicque per embotum.

Remedium hoc in loco traditur efficacissimum ad sedandum dentis ex erosione dolorem. Id cõstat seminis hyoscyami albi & porri, singulorum partibus iiij, & seminis cepæ partibus ij. S. thuris parte vna. Primum optime permundato dente omnia simul comburantur, exurgentemque hinc fumum æger admittat, infundibulo adhibito ad affectum dentem. Lege de hoc plura apud Ægінetam libro 3. capite. 26. Aetium libro 8. capite 33. Auicen. 7. 3. capite 19. Mesuen. de ægritudinibus oris, titulo de vermibus dentium: & Rosam Anglicam capite de dolore dentium. Hyoscyami natura est ἀνώδυνος, quæ doloris leuamentũ adeo præstat, vt vix percipi quidem amplius possit.

ſit. Fumus vero ſeminum porri atque cepæ Auicenna 2. Canon. capite 547. teſte accommodatiſſimus eſt necandis eijciendiſque vermibus, qui in eroſis nonnunquam dentibus intolerabiles cruciatus excitant. Hyoſcyamus, vt libro 4. cap. 64. à Dioſcoride deſcribitur, frutex eſt caules emittens craſſos, folia lata, oblonga, diuiſa nigra, hirſuta, flores è latere caulis ordine prodeunt, tanquam punicorum cytini ſcutilis ſepti ſeminũ plenis vt papaueris. ἡ ῥίζα μετ' ὄξους ἑψηθεῖσα, ὀδονταλγίας ἐστὶ διάκλυσμα, Id eſt, radice eius in aceto elixa, vtiliter in dolore dentes colluuntur. Quod Macer lib. 2. capite 35. hiſce verſibus confirmat:

Ore diu tepidum ſi contineatur acetum,
Quo ſunt decocta radices illius herbæ,
Dicitur immodicum dentis pacare dolorem.

Porro χώνιον quod in epoti locum ſubſtituimus, ἀπὸ τῆς χώνης diminutiuum eſt, ſignificat infundibulum.

DE RAVCEDINE VOCIS.

CAPVT LXXXI.

Nvx, oleum frigus capitiſque, anguillaque, potus,
Ac pomum crudum, faciunt hominem fore raucum.

Sex cauſæ raucedinis hic recenſentur.

Prima, Nux: ea enim cum vehementer exſiccet, vocem exaſperat, gruumque clangoribus ſimilem efficit.

Secunda, Oleum: & maxime quidem, quod ex immaturis oliuis exprimitur. Huius enim glutinoſa quædam pars, dum in ore continetur, ad aſperam delabitur arteriam, ipſamque diutius inhærendo ſtringit & aſperat. Omne præterea ole-

oleum in biliosis corporibus prompte accēditur, quare vocalem sæpe, arteriam ipsis exasperat, raucedinemque parit. Quod oleo attribuitur hoc in loco, id ipsum etiam de carryino, quod è nucibus conficitur iuglandibus intelligi potest.

Apho. lib. 1. Cōmentar. 5.

Tertia, frigus capitis: ipsum enim caput comprimit ac stringit: quo fit vt humores, qui sunt in cerebro, deorsum ad asperam arteriam defluant, eamque immodice humectando raucedinem excitent.

Quarta anguilla: De ea satis supra, cap. 3. dictum est.

Quinta, potus: nimius scilicet, & maxime quidem si instante nocte atque hora somni exhibeatur. Asperam enim arteriam immodice rigat & humectat: quæ ex medicorum omnium sententia potissima raucitatis causa est.

Sexta pomum crudum: quo nomine quilibet fructus crudi intelligendi hoc in loco veniunt. Quatenus enim crudi existunt, phlegmatis generant multitudinem. Quod si immaturi præterea ac styptici fuerint, fauces exasperant, raucedinēque pariunt. Plures causas raucitatis enumerat Auicenna 10. Tract. 2. 3. cap. 1.

RHEVMATIS REMEDIA.

CAPVT LXXXII.

IEiuna, vigila, caleas dape tuque labora:
Inspira calidum, modicum bibe, comprime flatum.
Hæc bene tu serua si vis depellere rheuma.
Si fluat ad pectus, dicatur rheuma catharrus.
Si ad fauces, branchos, si ad nareis, esto coryza.

Hic septem enumerantur rheumatis remedia. Primum, fames, siue ieiunium: per hoc enim ipsius consumitur materia: Fames enim, vt aphoris. 56. lib. 7. Hippocrates adserit, corpora exsiccat: & hoc quidem ex accidēti. Nam cum famescimus, si in

in fame perseueremus, naturalis calor, qui nunquam cessat, pabulo in quod agat destitutus, carnium humiditatem exsiccat. Quare rheumatis quoq; materiam concoquendo ac difflando consumit.

Secundum vigiliæ, quæ & ipsæ sane cum totum corporis habitum, quemadmodum libro 7. capite 6. methodi meden. & comment. 28. libro 2. aphoris. Galenus testatur, sufficienter exsiccent, rheumatis etiam causam, nempe cerebri humiditates necessario consumunt, vaporumque copiam ad caput transmitti prohibent.

Tertium, cibi calidi præsertim si à frigida materia ῥεῦμα initium duxerit. Eam enim cibi calidi concoquunt ac maturant.

Quartum, labor. Hic enim sicuti lib. 2. de diæta Hippocrates adserit, suapte natura superfluitates demit. Cuius deinde hanc affert causam, nempe quod corpus siccet. Corpora enim laborantium calefiunt, quibus calefactis attenuatur & repurgatur id quod in ipsis superfluum est.

Quintum calidi aeris inspiratio, & maxime quidem, si ex frigida materia sit rheuma. Ea namque per calidi aeris attractionem incalescit ac maturatur.

Sextum, moderatio potus. Nam & hæc corpora perinde ac fames, exsiccat, adeoq; rheumatis materiam maturando dissipat atque consumit.

Septimum, cohibitio siue retentio spiritus. Ea frigido potissimum auxiliatur catharro, frigefactas namque pectoris particulas, Aetio libro 8. capite 54. teste, calefacit materiãq; catharri pituitosam ac frigidam concoquit, dispergit atque consumit. Galeno libro 3. cepite 3. de sanitate tuend. τοῦ πνεύματος κατοχὴ καὶ κατάληψις dicitur. His amplius oportet vt is qui catharrum patitur, caput suum moderato calore continenter foueat, & à frigore, Boreali præsertim tueatur, & maxime quidem post diutinos Austri flatus. Si qui-

dem caput, vt cõment. 2. libro 3. aphor. Galenus scriptum reliquit, repletum est in calida atque humida austrina constitutione. Frigus autem Septentrionis superueniens ceu manus quædam extrinseca capiens ac premens cerebrum, veluti spongiam quandam exprimit illam, quæ in ipso continetur humiditatem. Hæc vero delata alias ad alium locum ex iis qui faeiles sunt ad patiendum, multos generat morbos. Minime tamen sub dio solaribusve radijs nudum exponendum est, neque ad luculentum ignem diutius commorando excalfaciendum. Eo namque modo rheumata augentur. Multam quoque ciborum ingestionem, præsertim vaporosorum, ac vini potum fugiat: imo vero quoad fieri potest, famem ac sitim toleret. Caueat etiam à potu aquæ glacialis ac niualis: præterea supinum decubitum vitet, ne peccans humor in posteriorem partem & dorsalem medullam deferatur. Ea enim pars cum manifesto careat meatu, quo materia excernatur, periculum est, ne ad neruos penetrans conuulsionem ut paralysin generet. Somnum item fugiat diurnum, quantum cunque potest vigilet, quoniam est radix curæ. Hæc fere Rhazes libro 9. capite 14. ad Almansorem, & Auicenna 5. 3. tractatu 1. capite. 13.

Vltimi duo versus differentiam inter catarrhum, branchon & corizam continent. Rheuma autem nomen est generale ad quemlibet materiæ defluxum ἀπο τῦ ῥέω quod est fluo. Eius species siue membra sunt catarrhus, & coriza, de quibus supra cap. 3.

Porro rheumatis generatio imbrium generationi similis est, quemadmodum libro 2. de partibus animalium, capite 7. Aristoteles docet. Cum enim ex terra vapor exhalat, effertúrque in sublime à calore, vbi supernum aerem subierit frigidũ, consistit: & denuo in aquam propter refrigerationem conuertitur, atque in terram defluit.

Fluxio-

Fluxiones etiam sic ex capite oriũtur, in ijs corporibus quibus cerebrum frigidius est, quam temperamentum modicum postulet. Cum enim alimentum per venas sursum respirat, vbi excrementum ob eius loci vim refrigeratum est, fluxiones pituitæ, saniei que mouet. Hactenus Aristoteles.

DE CVRATIONE FISTVLÆ. CAPVT LXXXIII.

AVri pigmentum, sulphur miscere memento,
His decet apponi calcem, coniunge saponi:
Quattuor hæc misce, commixtis quattuor ictis:
Fistula curatur, quater ex his si repleatur.

Medicamentum hoc in loco pro fistulæ curatione describitur longè optimum: quod (vt præter quotidianam experientiam, recentiorum fere omnium scripta testantur) neminem vnquam fefellit. Nempe vt fistulis infundenda collyria, siue penicilla ex auri pigmento, hoc est arsenico, sulphure, calce, & sapone commisceantur. His enim omnibus insignis quædam inest erodendi, exsiccandi, discutiendi, abstergendi, & emundandi facultas: quæ ad fistulæ curationem cum primis necessaria est.

Auri pigmentum, siue arsenicum facultatis est causticæ siue vrentis, idque tam combustum, quã vstionis expers. Discutit, attrahit, erodit, consumit & emundat. Crustas cum vehementi vredine & violento morsu excitat. Reprimit quæ excrescunt, & capillos euellit. Quod vero sublimatum est, cancrum, lupum, esthiomenon, noli me tangere, fistulam, & omnes tales pessimos morbos prima die occidit & extirpat.

Sulphur substantia tenue est, calfaciendi & ipsum vim obtinet, celeriter concoquit, attrahit, detergit & discutit.

Calx omnis communiter habet feruidam vim,

erodit, vrit, & igniũ modo crustas inducit. Calx vero in aqua elota absque morsu desiccat: ac si bis terque aut amplius abluta fuerit, plane mordacitatis expers constituitur, ac strenue absque mordacitate exiccat.

Sapo, qui Græcis etiam σμῆγμα dicitur, est pingue illud album siue nigrum, quo vestes muliercul æ lauant, abstergunt & emundant. Calfacit quidem & desiccat, sed reliquis paulo remissius. Aptissimus est ad emolliendos tumores in σκίῤῥον induratos. Q. Serenus Samonicus prima longa extulit, capite 1.

Attrito sapone gentas purgare memento.

Porro fistula, quæ Græcis σύριγξ nominatur (arctus oblongusque, & callosus est sinus, aliquatenus indolens, assidue & periodice, id est, secundum diuersa tempora siue lunationes, vt vocant, fluens. Hic magna parte ex abscessibus parum dextre curatis oritur, sed ex aliis nonnunquam vlcerum generibus ac sinubus perperam curatis nascitur. Hæc autem nomen accepit ab arundinearum fistularum translatione: quandoquidem in eis cauitas quædam deprehenditur, arundinum cauitatibus similis. Plura Cornelius Celsus lib. 5. ca. 8. Paulus Ægineta lib. 6. cap. 77. Auicenna 4. 4. tract. 3. cap. 11. & Ioannes Tagaultius lib. 3. chirur. instit. cap. 18.

DE DOLORIBVS CAPITIS. CAPVT LXXXIV.

SI capitis dolor est ex potu lympha bibatur:
Ex potu nimio nam febris acuta creatur.
Si vertex capitis, vel frons æstu tribulentur,
Tempora fronsque simul moderate sæpe fricentur,
Morella cocta nec non calidaque lauentur.
Istud enim credunt capitis prodesse dolori.

Duo

Duo hic traduntur remedia doloris capitis. Primum, si cuipiam ex nimio vini vel alterius cuiuslibet liquoris inebriantis potu dolor acciđat capitis, vt is in potu aqua vtatur frigida. Ea namque frigiditate ac craſsitudine ſua impedit, ne fumi ex eiuſmodi potu ſurſum euecti cerebrum petant ac lædant.

Secundum ſi cuipiam vertex capitis, ſiue frons nimio calore æſtuet, vt ei tempora & frons moderate primum fricentur, ac calida deinde aqua decoctionis morellæ lauentur

Porro Morella, ſiue maurella, vt diſerte admodum Ianus Cornarius in cap. 54. lib. 2. Macri exponit, dicitur ſolaſtrum Officinis appellatum, ob atrum acinorum colorem Mauros referentem, Græci στρύχνον κηπαῖον, Latini vero Solanum vocant hortenſe. Notum eſt omnibus, vtunturque illo ad omnia ea quæ refrigerari adſtringiq; poſtulant: poteſt enim hæc duo ordine ſecundo, Galeno lib. 8. cap. 144. de ſimpl. med. facultat. teſte. Folia per ſe trita & impoſita, capitis dolores ſanant. Dioſcorides lib. 4. cap. 71.

In quibuſdam exemplaribus hi verſus contra fluxum ventris ſubijciuntur.

Qui fluxum pateris ſi non caueas, morieris,
Concubitum, nimium potum cum frigore metum.

DE QVATVOR ANNI temporibus.

CAPVT LXXXV.

TEmporis æſtiui ieiunia corpora ſiccant,
Quolibet in menſe & confert vomitus, quoque purgat
Humores nocuos, ſtomachus quos continet intus.
Ver Autumnus, Hyems, Aeſtas dominantur in anno.
Tempore vernali calidusque aer, madiduſque,

Et nullum tempus melius est Phlebotomiæ.
Tunc confert motus, ventrisque solutio, sudor,
Balnea, purgentur tunc corpora per medicinas.
Æstas more calet sicca, & noscatur in illa
Tunc quoque præcipue choleram rubram dominari.
Humida frigida fercula dentur, sit venus extra,
Balnea non prosunt, sint raræ Phlebotomiæ.
Vtilis est requies, sit cum moderamine potus.

Plurima hisce versibus comprehenduntur.

Ac primum quidem, quod ieiunia corpus per æstatem validissime exsiccent. Æstas enim cum calida sit ac sicca, necessario talem etiam vim nempe calidam & siccam in corpore exercet. Cutem igitur efficit rariorem, poros aperit, sudoremq; elicit, quo fit vt humoribus large discussis ac consumptis corpus vehementer exsiccetur. Superueniente autem insuper & ieiunio, magis omnino exarefieri necesse est. Naturalis siquidem calor, vt cap. 82. ostendimus, humido destitutus cibali, in propriam agit carnium humiditatem, ipsamque exhaurit & exsiccat: Fames enim corpora siccat.

Secundum, quod vomitus singulis mensibus semel aut bis prouocatus, plurimum tuendæ sanitati adferat emolumenti. Ventriculum enim à bile & pituita cæterisque prauis ac vitiosis humoribus, quibus grauatus fuit, exonerat. Atque hoc quidem de Hippocratis consilio constat. Nam in libro de salubri diæta ita scriptum reliquit: Melius est, vt is qui singulis mensibus vomere consueuit, continuo biduo hoc agat, quam interpositis quindecim diebus, ita enim secundus dies prioris reliquias extrudit. Quæ quidem sententia in libro etiam de insomnijs reperitur. Galenus quoque libro 5. de vsu partium, capite 4. hanc Hippocratis sententiam his confirmat verbis: Recte igitur veteres medici vo-

mitus

nitus à cibis in singulos menses repeti præcipie-
ant,alii quidem semel,alij vero bis. Omnes au-
em hi qualitates ipsas eo casu comedendorum
cres atque abstersorias deligendas suadent, vt
ituita omnis è ventriculo purgetur, neque pra-
uo succo corpus afficiatur. De hoc nonnihil eti-
am supra, cap.15. Cur vero arte vomitum inter-
llum moliri oporteat, Auicenna 4.1.cap. 13. hanc
potissimum adsignat causam: Nempe quod ven-
triculo à natura nihil ordinatum sit quo irritan-
te sua sponte expurgari queat: sicuti intestinis
flaua bilis: quæ descendens ipsa facile & abster-
git & emundat. Idem eodem in loco quampluri-
ma etiam vomitus recenset commoda, siquidem
recte fiat, & vomens suapte natura facile ferat.

Ac primum quidem, quod capitis grauitatem tollat: idq; maxime, si ex humorum ac vaporum multitudine ventriculo ac membris inferioribus sursum vergente contracta sit. Si vero à proprio ipsius cerebri fuerit nocumemento, ab eo cauendum, vt qui grauitatem augere magis soleat.

Secundum, quod visus aciem subtiliorem reddat: præsertim si visus ob vaporum copiam è ventriculo sursum ascendentem obscuratus fuerit: alias enim offendit potius.

Tertium, quod nauseosam auferat satietatem: humorem enim in ventriculi spatio innatantem ac nauseam excitantem euacuat.

Quartum, Quod illi etiam, ad cuius ventriculum flaua bilis confluens cibum corrumpit, egregie opituletur: eam enim per superiora exturbat.

Quintum, quod stomachi subuersionem atque abominationem ex pinguium ac dulcium alimentorum esu contractam submoueat.

Sextum, quod ἀνορεξίαν, id est, appetentiæ amissionem, & corruptum ipsius ventriculi desiderium, quo nimirum acria solum, aut acida aut pontica appetuntur, curet. Vomitus namque

eiusmodi

eiusmodi affectionum causas omnes remouet: remotis vero, causis, effectus quoq; tolli necesse est.

Septimum, quod corporis ex humorum redundātia lassitudini conueniat: euacuata enim materia vires corporis omnes leuantur & recreantur.

Octauum, quod renum ac vesicæ vlceribus succurrat: materiam namque eo corruentem ad oppositam adducit partem.

Nonum, quod lepræ auxilietur: & maxime quidem, si cum vehementi vomitiuo, quale veratrū cūprimis existit, eliciatur. Hoc enim lepræ materiam eradicatu difficilem è remotis locis subducit. Quinetiam primæ concoctionis errata corrigit: quo fit vt & reliquæ concoctiones absolutiores fiant. Lepræ enim origo est ex concoctoriæ facultatis corruptione.

Decimum, quod corporis colorem ex vitioso aliquo humore deprauatum emendet, ipsum enim à cute aliò deriuat.

Vndecimum, quod epilepsiam ex ventriculi cū cerebro sympathia obortam curet, humorem enim, cuius euaporatione epilepsia accidebat, è ventriculo expellit.

Duodecimum, quod ictero, illi præsertim qui ab obstructionibus initium ducit, medeatur, vehementiore siquidem vomendi conamine obstructionū materiæ à locis, quos obsidebant, auertūtur. Ad hæc materia etiam pituitosa, quæ eiusmodi fere parit obstructiones, vomitu educitur.

Decimum tertium, quod asthmati subueniat, causam eius antecedentem tollit. Quin thoracem etiam ac pulmonem calefaciendo superfluitates absumit, vnde asthma gignebatur.

Decimumquartum, quod tremorem atq; paralysin curet. harū enim passionū materiam aufert.

Decimumquintum, quod magna & nigra vlcera in extremis partibus, & impetiginem (materiam diuertendo) curet.

Quan-

Quanquam vero vomitus rite prouocatus dictorum commodorum omnium sit autor, cauendum tamen vnice erit, ne is qui valere & senescere volet, vomitum quotidianum habeat. Nam eius frequentia assiduusque vsus stomachum sentinam & lacunam facit omnium superfluitatum. Præterea surditatem etiam inducit, visui obest, thoracis pulmonisque venas disrumpit, nocet dentibus & doloribus capitis, maxime si non ex ventriculi vitio orti sint. Cæterum in eliciendo vomitu summa diligentia considerandum medico, qui ad vomendum faciles, quique difficiles futuri sint. Difficulter enim vomentes ad vomitiones non sunt cogendi, sed per inferiora potius purgandi. Difficulter enim vomentibus, vbi eos ad vomendum vrseris, venarum, quæ in thorace sunt, ruptionis periculum imminet. Difficiles autem & inepti ad vomendū sunt mediocriter carnosi, & angusto thorace præditi. Contra vero faciles & idonei, qui tenues gracilesque natura sunt, & amplum obtinent thoracem. Quæ singula Hippocrates libro 4. aphor. 6.&7. ita scribens confirmat; Graciles & ad vomendum faciles per superiora purgare conuenit; qui vero ad vomendum difficiles sunt, & mediocriter carnosi, hos per inferiora purgare oportet. Tempus vomitioni aptissimum est æstas, vtpote, in qua biliosi potissimum humores generantur, qui facile sursum feruntur, & per vomitum sine negocio eijciuntur. Quod Hippocrates etiam libro. 4. aphorismo 4. ita scribens confirmat; Æstate quidem superiores magis ventres, hyeme autem inferiores medicamentis purgare conuenit. Neque obstat quod Hippocrates in libro de diæta salubri, aphorismo 15. contrarium adstruere videatur, sex hybernis mensibus vomere vtile esse tradens; & Celsus libro 1. capite 3. vomitum vtiliorem hyeme quam æstate esse scribat; quod vterque in ijs locis de pituitæ vacuatione, quæ circa pur-

gantia

gantia medicamenta fit, loquatur. Quando enim hyeme in ventriculo pituita generatur, necesse est vt illam vomitibus expurgemus. Verum vniuersum corpus si purgare instituamus, æstate per superiorem ventrem, hyeme per inferiorem, vt est in aphorismis relatum, purgabimus. Quid multa? vniuersum corpus æstate per superiora & vomitum magis purgandum: hyeme vero per inferiora. Pituitam vero in ventriculo tantum coaceruatam hyeme vomitu eijcecere nihil prohibet, imo plurimum confert. Porro quid ex eis quæ per vomitum quouis tempore eijciuntur prædicere liceat, Hippocrates libro secundo prognost. aphor. 38. & sequentibus, & post eum in suis commentariis Galenus abunde docuerunt. Lege plura apud Leonhardum Fuchsium lib. 2. Sect. 5. cap. 25. Institut. medic.

Tertium, ex ijs quæ in præscriptis notantur versibus, est, quod quatuor sint anni tempora, Ver scilicet, Æstas, Autumnus, & Hyems: Et inter hæc Ver licet per se sit omnis excessus plane in medio, quemadmodum libro primo de temperamentis, capite septimo Galenus testatur: respectu tamen habito ad reliqua tempora, calidum dicitur ac humidum. Hoc tempus sanguini mittendo accommodatissimum est: siquidem æquale est, atque adeo neque nimis calidum, neque supra modum frigidum: vt rectissime ab Hippocrate libro septimo aphorism. 54. dictum sit. Quibus sanguinem à venis detrahere confert, ijs vere sanguinem mittere prodest. Hoc item tempore sanguis in corporibus augetur. Conuenit autem vt in vere ad imminuendam repletionem, motus ventris solutio, sudor, & balnea sint moderata. Hoc etiam tempus, vt libro 6. aphor. 47. Hippocrates testatur, aptum est corporis purgationi, quæ fit per medicamenta.

Quartum, quod æstas calfaciat atque exsiccet, ac proinde flaua bilis, quæ calida & sicca est, per

ipsam.

ſam in corporibus augeatur, Ad moderandam
itur δυσκρασίαν, quæ corporibus ratione
mporis accidit, alimentis vtendum eſt frigidis
humidis: abſtinendum à Venere & crebris bal-
is: nam & hæc exſiccant. Et, niſi neceſſitas co-
t, rara ſit phlebotomia. Sit quies & paucus mo-
s: quies enim humectat, motus exſiccat. Potu
endum moderato, Præſertim frigido: ſuperflu-
n namque frigidi potus ſumptionem ob poro-
m apertionem ſubita nonnunquam corporis
frigidatio, vel paralyſis, ſiue laxitas membro-
m, aut repentina mors conſequitur. De anni
mporibus plura diximus ſupra, capite decimo-
no & quinquageſimoſexto.

E NVMERO OSSIVM, DENTIVM, & venarum in humano corpore.

CAPVT LXXXVI.

Oſſibus ex denis bis centeniſque nouenis
Conſtat homo, denis bis dentibus & duodenis,
t ter centenis decies ſex quinqueq; venis.

Traditur hoc in loco quot in vniuerſum ſint
ſſa, dentes ac venæ humani corporis. Oſſa qui-
em fiunt è ſemine, cum id quod eſt craſsiſsimũ
calido vrente induratur, ſicut lapides coquũtur
calido vrente. Sunt autem oſſa veluti trũcus ſu-
inens reliquum corpus. De horum numero haud
arua inter ipſos artis Medicæ ſcriptores diſſen-
o eſt. Hic enim ducenta ea eſſe & nouendecim
ſſeritur. Ioannes Tagaultius excellentiſsimus
oſtri æui medicus, ducenta & quadraginta ſex
oc diſticho complexus eſt:

Adde quater denis bis centum ſenaque, habebis
Quam ſis multiplici conditus oſſe ſemel.

Nonnulli 304. conſtituerunt. Sed Rhazes libro
cap. 2. ad Almanſorem, ducenta & quadragin-
ta octo

ta octo ea esse Galeni autoritate probat. Cum omnia, inquit, corporis ossa numerata fuerint prout Galenus numerauit, ducenta & quadraginta octo erunt: Cui subscribit etiam vulgatissimus hic versiculus:

Ossa ducentena atque quater sunt & duodena

Secundo deinde loco dicitur, homini inesse 32 dentes. & hoc quidem in corpore bene constituto, vt quælibet maxilla, tam superior, quam inferior, sexdecim dentium sit capax. Quaterni primores siue aduersi τομεῖς & τομικοὶ Græcis nominantur, item γελάσινοι, quod inter ridendum retegantur, Latinis incisores siue incisorij quia cibum in os primo allatum confringãt & incidant: singulis tantum radicibus nituntur. Horum vero lateribus adiacent in qualibet maxilla duo acuti, canum dentibus similes (vnde Κυνόδοντες vocati) cinguntque tomicos ex omni parte, quorum munus est, morsu diuidere escas, atque eas discriminare. Simplici radice constant, quemadmodum incisorij. Sed caninorum qui superiores sunt, longissimas habent radices, vt ad oculorum orbem fere pertingant, neruisq;, qui labri superioris motores ab oculorũ regione per superius foramen emergunt, admodũ vicini sint. Vnde fit vt altero ex his dentibus auulso periculum nonnunquam immineat, ne parte aliqua offendantur oculi, quapropter vulgo dentes ocularij dicti. Magnum dum nascuntur dolorem infantulis infligunt, & si quando defluxio à cerebro in eam gingiuæ partem insederit, in quam implantantur (vel natu grandioribus) totius genæ & oculi dolorem pulsatorium non sine febre suscitant. Intimis porro dentibus atteritur cibus: ijs maxillaribus siue molaribus nomen est inditum, Græci γομφίους & μύλας, siue μυλίτας, vocant, quod iã cibos incisos & cõ-

fractos

actos à prioribus dentibus molant & commi-
nant, asperi enim sunt, duri & ampli, vt incisa
tómicis & confracta à caninis in læuorem exa-
cum terant. Sunt autem viginti: superius quidem
decem, in vtroque latere caninorum siti, toti-
demque inferius. Qui superiori maxillæ affixi
sunt triplici radice, interdum etiam quadru-
plici nituntur: alij vero duplici, nonnunquam
triplici: præsertim qui duo ex ijs, aduersi & ante-
riores magis sunt, vnus enim perraro huiusmo-
di esse reperitur. Postremi dẽtes, qui sunt omniũ
reconditissimi, ac propemodum gingiua operti,
Græcis σωφρονιστῆρες, quod scilicet eo tẽpore
producantur quo sapere solemus, & ὀψίγο-
νοι, id est serotini, & Κραντῆρες, quod ætatem
perficiant & compleant, nuncupantur. Latini
simpliciter Genuinos nominant, nonnulli den-
tes sensus & sapientiæ. Interdum ad septimum &
vicesimum annum latent, vnde Hippocrates in
libro de carnibus, sic scriptum reliquit: Quin & in
quarto septenario dentes enascuntur, plerisque
hominibus duo, qui sapientiæ dentes appellan-
tur. Interdum etiam ad octuagesimum annum,
teste Plinio, lib. 11. capite. 37. Plura Galenus in
libro de ossibus cap. 5. & lib. 11. cap. 8. de vsu part.
Auicenna prima 1. doct. 5. sum. 1. cap. 5. Andreas
Vesalius lib. 1. cap. 11. de humani corporis fabrica.
Carolus Stephanus lib. 1. cap. 11. de dissectione. Et
Leonhardus Fuchsius parte 1. epitomes de hu-
mani corporis fabrica lib. 1. cap. 14.

Tertio demum loco traditur, humanum corpus
constare ex trecentis & sexaginta quin-
que Venis. Cuius rei certitudo
ex anatomia petenda
est.

DE

DE QVATVOR HVMORIBVS humani corporis.

CAPVT LXXXVII.

Quatuor humores in humano corpore constant.
Sanguis cum cholera, phlegma, melancholia.
Terra melancholicis, aqua confertur pituita,
Aer sanguineis, ignea vis cholera.

Hic de humoribus, qui ad humani corporis constitutionem necessario concurrunt, cum primis agitur. Sunt autem ij numero quatuor, sanguis scilicet, pituita siue phlegma, flaua bilis siue cholera, & atra bilis siue melancholia.

Deinde ostenditur, quodnam eorum sit temperamentum, & quomodo singulis elementis respondeant. Melancholia frigida ac sicca est, & terræ respondet. Pituita frigida & humida existit, & aquæ comparatur. Sanguis calidus est atq; humidus & confertur aeri. Flaua bilis calida ac sicca existit, & igni respondet. Quod sane vulgatis hisce versiculis maiores nostri innuere etiam voluerunt.

Humidus est sanguis, calet, est vis aeris illi.
Alget phlegma, humetq; illi sic copia aquosa est.
Sicca calet cholera, & sic igni fit similata,
Frigens sicca melancholia est, terra adsimilata.

Sanguis. Sanguis omnium humorum facile præstantissimus est, vel quod materia sit spirituum, in quibus consistit vita & omnis actio, naturalis scilicet, vitalis & animalis: vel quod vitæ principijs conformis existat. Est enim temperate calidus ac humidus: vel certe quod præcipuus ipsius vsus sit, vt nutriat. Ex eo enim omnes particulæ corporis

poris, vt multis in locis testatur Galenus, nutriuntur. Et vt vno verbo dicam : Sanguis naturæ thesaurus & vitæ fomes est, quo affatim effuso mors subinde sequatur. Hinc sane est, quod Moyses 17. Leuitici ita scriptum reliquerit : Anima omnis carnis in sanguine est. significat autem anima Hebræis vitam. Hanc cum dicit in sanguine esse, vult sanguinem vehiculum esse vitæ.

Phlegma secundum probitatis locum sibi vendicat. Hic humor, vt testis est commentar. 39. libri de natura humana Galenus, in prima ciborum mutatione generatur. Colore autem albus existit, & concoctione in sanguinem mutatur. Quapropter quum sit veluti ex dimidio coctum nutrimentum, nullum quod pituitam expurget proprium instrumentum natura machinata est. Quippe in ventriculo generata pituita, quia fertur simul cum ijs, quæ ex cibi potusque humoribus in iecur distribuuntur, concocta iam sanguis euadit. Quod autem pituita in venas fertur, animali etiam ex vsu est. Desiderat itaque talis humor non vtique euacuari, sed in corpore manens alterari. Quod vero in intestinis relinquitur à bile ex iecinore in ea defluente abstersum, commodissime ac celerrime per sedem eijcitur, vt libro 5. de vsu part. corpo. hum. cap. 4. fusius Galenus ostendit. Porrò excrementum, quod à cerebro distillat, veluti Gal. 2. de natural. facult. capite vlt. attestatur, proprie non recte appellatur pituita, sed Græce βλέννα καὶ κόρυζα, Latine Muccus.

Flaua pallidave bilis sic à colore, qui est flauus pallidusve, appellationē accepit, simpliciterq; Græcis, Galeno in libello de tumoribus præter naturam capite. 10. test, ἡ χολὴ dicitur. Reliquas vero omnes biles cum coloris adiectione nominat. Generatur autem bilis in hepate, ibidemque cum sanguine miscetur. Necessarium autem fuit, vt ab ea san-

ea sanguis purgaretur, ne scilicet totius corporis calor ab ea, haud secus quam in ictero, inficeretur. Hinc natura huic propriam sedem machinata est vesicam nimirum, quæ iecori subest, & bilem ex eo ad se per conuenientem meatum trahit. Vsus autem bilis flauæ est, vt intestina à pituitosis excrementis repurget & abstergat, atq; eorundem excretionem adiuuet. Ad intestina autem defertur bilis per meatum duodeno insertum.

Atra bilis naturalis veluti fæx ac sedimentum sanguinis est, ideo colore, quod nomē satis indicat, nigra. Hæc autem, si volumus exquisite loqui, Galeno sect. 6. aphor. cōment. 53. attestante, nondum atra bilis nominari debet. sed melācholicus humor. Necesse vero est ab hoc humore expurgare jecur, ideoque instrumentum, quo ille expurgetur, natura lienē condidit. Qui si minus quam oporteat melancholicum humorem ad se trahit, vt inde sanguis impurior, ita totum corpus redditur magis decolor. Vt hinc etiam perspicuum omnibus sit, eum humorem in iecore generari, à quo tandem in lienem transfertur. Vsus autem atræ bilis naturalis est, Galeno libro. 5. de vsu part. humani corporis cap. 4. attestante, vt ventriculi actiones iuuet. Ipsa enim cum acerba & acida sit, ventriculum intendit, & in seipsum contrahit, & exquisite comprehendere cibos cogit ac retinere, quousque plenè concoquantur.

Verum enimuero cum exacta humorum cognitio vtilissima cum primis sit, & oppido necessaria, de ipsis latius nonnihil dicemus.

Sanguis igitur, vt comprehensum est, humor est calidus & humidus ex temperatiore parte ipsius chyli progenitus. Et hic quidem duplex est iuxta neotericorum diuisionem, naturalis, & non naturalis.

Naturalis, est humor calidus & humidus, substantia quidem mediocris, colore vero multum

rubens,

rubens, odore autem & sapore dulcis, mitis, ac benignus.

Verum non naturalis ille dicitur, qui ab isto nuper descripto deflexit degenerauitq;, intra tamen suæ latitudinis terminos: quos si transgreditur, non iam sanguis, sed alius humor venit appellandus. Hoc autem (sanguinem, inquam, degenerare à propria sua natura) contingit dupliciter. Vno modo(vt aiunt(in se, hoc est, ratione sui, permutata propria eius substantia, citra alterius admistionem. Altero modo per alium, seu ratione alterius. Et per se quidem ad huc bifariam: nempe, vel quia eius substantia crassior est, aut tenuior quam debeat: vel quia aduritur, & quod ex eo tenuius est, in flauam bilem mutatur: quod vero crassius, in atram, idque absque separatione. Alterius vero ratione sanguis fit non naturalis, quando alius humor illi permiscetur. Quod multifariam contigere potest, prout scilicet variæ species bilis, pituitæ aut melancholiæ cum ipso sanguine misceri possunt: qui ob id multifariam à naturali etiam differt. Ac primo quidem substantia: crassior enim est & turbidior, cum ipsi miscetur melancholia, tenuior, cum flaua bilis aut aquositas. Secundo, colore: pituitæ namque ratione declinat ad albedinem, flauæ bilis ad pallorem: melancholiæ vero ad nigredinem. Tertio, odore: fœtet enim, cui humores admisti sunt putridi: omnino vero expers odoris est, cui crudi. Quarto, sapore: flauæ bilis namque admistione ad amaritudinem, melancholiæ ad aciditatem, pituitæ vero ad insipiditatem vergit, Auicenna 1.1. doct. 4. cap. 1. & Ioannes Tagaultius lib. 1. institut. chirurg. cap. 6.

Phlegma, quod Latini pituitam vocant, in generatione humorum sanguinem consequitur, maiorque eius portio est in corpore secundum sanguinem, quam aliorum humorum. Est autem pituita duplex, naturalis, & non naturalis. Et na-

turalis quidem, est humor frigidus & humidus, substantia crudus, colore vergens ad quandam albedinem, sapore vero &(si fas sit dicere) odore ad dulcedinem. Hæc certe concoctione in sanguinem mutatur, est enim potestate iam sanguis, sed nondum exquisite concoctus. Est quoque modus quidam pituitæ dulcis, quæ non existit valde frigida, imo si cum corpore conferatur, paucæ admodum frigiditatis videbitur esse particeps: sin vero sanguine ac flaua bile, non modo frigida, sed naturaliter etiã, alba erit. Dicitur autem dulcis, extenso nimirum hoc nomine ad omnes sapores, qui delectationẽ gustui pariunt. Alia enim naturalis pituita ἀποιὸς κ, ὑδαδώδης id est, qualitatis expers, insipida & aquosa, hoc est aquæ sapori valde assimilis est. Huic natura, vt dictum est, proprium instrumentum, veluti flauæ bili & melancholiæ machinata non est, sed simul cum sanguine fertur, vt in ipsum opportuno tempore facile commutari queat: similitudinem enim ipsi finitimam iam atque propinquam habet. Huius quidem pituitæ duplex est necessitas, & vna vtilitas. Ac prior quidem necessitas est, vt in hoc iuxta membra sit, quo facultates eorum caliditate sua naturali in ipsa concoquenda ac distribuenda operentur, ex eaq; tempore indigentiæ nutriantur, cum proprio videlicet alimento, quod est sanguis mitis ac benignus, ob retentionem aliquam massæ sanguineæ destituta fuerint: eam enim à ventriculo nonnunquã atque hepate ex accidente quopiam retineri contingit. Altera necessitas est, vt sanguini misceatur, ipsumque adeo membris phlegmaticæ constitutionis siue temperaturæ, quale cerebrum cumprimis existit, atque spinæ medulla a Galeno νωτιαῖος μυελὸς, ab Arabibus vero Nucha appellata, nutriendis accommodet. Horum namq; sanguini pituitam actu admisceri oportet, iuxta mensuram, quam mate-

riæ

riæ necessitas exigit. Vtilitas porro eius est, vt articulos ac membra, quæ in continua sunt atque iugi motione, humectet: vt scilicet melius inuerti possint, quia vbi non sint partes humectatæ, sed siccæ, difficiles sunt ad motum: & ne per calorem, qui ex motu & collisione proficiscitur, penitus exsiccentur. Non naturalis pituita est ea, quæ à modo descripto degenerat, intra tamen suæ latitudinis terminos, quos si forsan pertranseat, non iam amplius phlegma, pituita ve, sed alius humor dici debet. Contingit autem bifariam pituitam ipsam à propria sua natura degenerare: Vno quidem modo in se, quando scilicet in propria sui ipsius substantia citra alterius admistionem permutatur. Quod sane multifariam contingit, Alia enim iuxta sensus iudicium in substantia, hoc est, crassitie ac tenuitate partium suarum diuersa apparet: eaque à similitudine muccaginis, quæ è seminibus quibusdam extrahitur, mucilaginosa dicitur. Alia in substantia secundum sensus iudicium æqualis apparet, cum reuera tamen in partibus suis sit diuersa: eaque pituita est cruda, quæ in ventriculo potissimum atque intestinis colligitur Ac illam quidem, quæ in ventriculo residet, Hippocrates in libro de salubri diæta, singulis mensibus bis vomitu expellendam præcipit. Ad alterius vero excretionem, quæ in intestinis congeritur, à natura constitutum est, vt flaua bilis è vesicula fellis, quæ χοληδόχος Græcis dicitur, ad ieiunum, reliquaque ad inferiora intestina deferatur, eaque à pituitosis excrementis repurget & abstergat, ipsorumque expulsionem iuuet. Hæc eadem interim in venis quoque, senum præsertim, ob concoctoriæ facultatis imbecillitatem coaceruatur, ibidemque diutius hærendo augetur, ac crassescit. Huius vero molestiam cum vlterius natura non ferat, ipsamque per ordinarios meatus expellere nequeat, facit è possibibilibus, quod melius est, repellitq; à corde ac reli-

quis internis membris nobilioribus ad exteriora, eaque ignobilia, & præcipue ad tibias: quo naturaliter alioquin ob grauitatem suam tendit. Eaque causa tibiæ senum inflantur nonnunquam, adeoque in tumorem attolluntur, vt pressæ digitis fossulam repræsentent, & maxime quidem appropinquante nocte. Idem euenire nonnunqunm pinguibus etiam atque obesis solet, quique humidioribus oblectantur alimentis. Alia pituita, tenuis valde est & aquosa, aquæ nimirum paululum admodum densatæ similitudinem quandam præ se ferens. Qualis quidem in saliuis haud raro ac sputis illorum visitur, qui cibos minus belle conficiunt, quique largius bibunt: consueuit etiam in coryzæ principio à cerebro in nares distillare. Hac eadem per decoctionem indurata, pituita euadit crassa ac mucilaginosa. Pituita alia crassa admodũ est & alba: cuius quidem, quod tenue erat ob diuturniorẽ in iuncturis morã euanuit: carassum vero inspissatum ac conglutinatum mansit ceu lapis quispiam. Hinc nodosa podagra, morbus, vt Ouidius testatur, fere incurabilis. Sic enim lib. 1. de Ponto, eleg. 4. de illa cecinit:

Tollere nodosam nescit medicina podagram.

Alia vero pituita densa & crassa est, colore, & lentore pondereque fuso ac liquefacto vitro similis: quæ ob id passim etiam apud rei medicæ scriptores vitrea appellatur. De qua copiose admodum Galenus lib. 2. capite. 7. de sanitate tuenda & libro 2. capite 8. de sympto. causis, & libro 2. capite 6. de differen. febr. & libro 2. capite 5. de loc. affect. & libro 12. cap 8. methodi medend. Altero modo pituita efficitur non naturalis, per admistionem: quando scilicet alius quispiam humor illi extrinsecus accedit: verbi gratia, vel sanguis, vel bilis flaua, aut atra. Si sanguis pituitæ permisceatur, hæc dulcis efficitur: fiuntque ex eo, sicuti in libro de multitudine, capite 17. Galenus testatur, somnolenti. Si crudi humores, insipida & aquosa: quæ

propter

propter infirmam concoctionem in corporibus redundans cibi fastidium parit, perindeque ac dulcis pituita aperte somniculosos facit. Si flaua bilis, salsa: hęc mordacior certe ficciorq; ac leuior cæteris pituitæ generibus inuenitur; nam flaua quoque bilis mordax, sicca & leuis est. Hæc quidē ex sapore sputi facile iudicari potest, & in corporibus intemperantium, qui fortia vina bibunt, & salsis vescuntur cibis, nascitur copiosius: ac inde perniciosi oriuntur catharri. Longo vero tempore in ventriculo residens, intolerabilem nonnunquā excitat sitim. Diutius autem huc illuc per intestina discurrens ipsa fere exulcerat, dysenteriamque generat & tenesmum. Si melancholia pituitæ permisceatur, ea acida efficitur, sæpiusq; in imbecillo ventriculo, quam in alijs corporis partibus repetitur: melancholia enim naturaliter defertur ad os ventriculi, vt coctionem eius adiuuet, famemque ac naturalem appetentiam inuitet. Ea igitur subsidendo nonnunquam pituitæ miscetur, ipsamque reddit acidam: quæ ex acido certe ructu iudicari facile potest: fiuntq; ex ea in corporibus redundāte famelici. Quinetiam pituita per se nonnunquam in ventriculo ex chylo acida efficitur, citra alterius humoris admistionem: nempe à debili calore per modum ebullitionis. Ea pituitosis accidit frequētius, non secus ac dulcibus fructuum quorundam succis accidere solet. Primum enim illi feruent atque ebulliunt, deinde acescunt. Postremo vero pituita quædam melancholiæ ponticæ admistione pontica etiam efficitur: minus sæpe tamen ob eius melancholiæ raritatem inuenitur. Talis autē melancholia oritur quandoque ex vehementi infrigidatione, qua nimirum humiditas eius (cum nullus accedat calor, neque debilis, quo ebulliens in acorem vertatur, neque fortis, qui concoquendo in sanguinem mutet) congelascit, & ad terram nonnihil in essentia alteratur.

Bilis, quę Χολὴ Græcis dicitur, vulgo autem

Cholera, est humor calidus & siccus, ex tenuiore & calidiore parte chyli, vel ex sanguine tenui & feruente procreatus. Hæc quoque duplex est, naturalis scilicet, & non naturalis. Naturalis, est humor calidus & siccus potestate: substantia quidem tenuis, colore vero flauus, aut ruber, declinans ad quandam citrinitatem, seu flauitiem: sapore vero exacte amarus, non autem acutus siue acris, vt quidam male affirmarunt. Hæc quidem in hepate generata in duas statim distribuitur partes: Vna cũ sanguine ad venas defertur: altera ad κύστιν, id est, vesiculam fellis transmittitur. Quæ quidem cum sanguine defertur, necessitatis & iuuamenti causa cum eo transit. Necessitatis quidem, vt sanguini permisceatur pro nutritione membri, in cuius temperatura conuenientem flauæ bilis partem esse oportet, iuxta mensuram, quam materiæ necessitas requirit. Galenus libro. 5. de vsu parti huma. corp. capite 6. de pulmone. Iuuamenti vero, vt sanguinem quo commodius per angustos venarum meatus ad nutriendum penetret, subtiliorem reddat. Quæ vero de ea colata ad cystin fellis transit, ob necessitatem itidem ac vtilitatem eo transmittitur. Necessitas autem vel est ratione totius corporis, nempe vt ipsum à pituitosis ac biliosis excrementis repurget & abstergat; vel vnius cuiusdam membri, vt nimirum vasa fellis nutriat: Vtilitatis vero duo sunt iuuamenta: vnum, vt intestina ab inhærentibus fæcibus & viscoso phlegmate abluat & expurget: alterum, vt intestina & animusculos pungat atque irritet ad excernendũ quod ipsis noxium inest. Propterea quando porus, qui à vesica fellis ad intestina protenditur, obstructus est, male habent intestina in expulsione excrementornm, & colica sæpe accidit passio.

Non naturalis vero bilis dicitur, quæ à prædicto humore vero bilioso degenerauit, intra terminos tamen suæ latitudinis continetur: quos si egrediatur, nõ iam bilis, sed alius humor reputabitur. Hoc

autem

autem (bilem inquam egredi limites suæ latitudinis) contingit bifariam: vno modo (vt sic dicatur) per se, & in se: altero modo per admistionem. Per admistionem quidem bilis efficitur, non naturalis, seu præter naturam, cum alius humor illi extrinsecus accedit. Et hoc quidem fit multifariam. Alia enim est, cui pituita admiscetur, quæ, quod frequẽtius generari soleat, nota & famosa, siue maioris famæ vulgo appellatur: hinc sæpe tertiana notha oritur. Alia vero est, cui melancholia admiscetur, & dicitur minoris famæ. Bilis autem siue cholera maioris famæ duplex est, citrina & vitellina. Quando enim bilis naturalis cum pituita tenui & aquea miscetur, appellatur bilis citrina: quando vero cum crassa pituita miscetur, vitellina bilis appellari solet, quod ouorum vitellis tum colore, tum crassitudine sit similis. Et hæc quidem vitellina rursum duplex est, sicuti vitellorum ouorum duplex est color. Quidam enim magis alijs albicant, alij rufiores videntur. Bilis autem quæ rufioribus est similis, per assationem fit. Minoris quoque famæ bilis duplex est. Aut enim cholera naturalis miscetur atræ bili ex bilis naturalis assatione factæ, & hæc est peior: aut miscetur bilis naturalis cum humore melancholico naturali, qui in hepate cum alijs humoribus generatur, & hæc est melior; color eius ruber est, sed non clarus, neque floridus, imo sanguini qui in venis est similior. Bilis vero non naturalis per se & in se, i. secundum propriam suam substantiam, alia quidem in hepate sæpius generatur per adustionem eius quod tenuius inest in sanguine: crassum enim in melancholiam vertitur. Alia vero in ventriculo ex prauis alimentis non concoctis, sed corruptis: vel ex alijs humoribus in venis generatur. Et hæc quidem duplex est. Vna porracea, prassinam etiam vocant, quæ porri virorem præ se fert: generatur ex vitellina, quando aduritur. Adustio enim in cholera vitellina efficit nigredinem, qua cum ci-

trinitate mista generatur viriditas. Altera est æruginosa, quæ æruginis colorem imitatur, & gignitur ex porracea, quando eousque aduritur, donec humiditas eius exsiccetur, & ob siccitatem albescat. Et hæ duæ extreme quidem malæ sunt, sed æruginosa peior. Auicenna loco supra citato, & Ioannes Tagaultius libro 1. capite 8. Institut. chitur.

Melancholia si in vniuersum definiatur, humor est frigidus & siccus, ex crassiore ipsius chyli portione progenitus. Hæc quoque duplex est: naturalis scilicet, & non naturalis.

Naturalis, est boni sanguinis fæx, ac veluti limosa quædam superfluitas, hoc est, crassior quidam sanguis, cuius color niger est, sapor vero acerbus, vel acidus, vt vomentibus eum non raro innotescit: hæc in hepate quidem, & in massa sanguinaria (in qua humores vniuersi continentur) generata in duas statim deducitur partes. Vna enim cum sanguine ad venas defertur, altera ad lienem detrahitur. Quæ quidem cum sanguine defertur, necessitatis & iuuamēti causa cū ipso transit; necessitatis quidem, vt sanguini permisceatur pro nutritione membrorum, in quorum temperatura conuenientem melancholiæ partem esse oportet iuxta mensuram, quam materiæ necessitas exigit. sicuti sunt lien, ossa, & omnia mēbra terrestria. Vtilitatis vero siue iuuamenti, vt nimis fluidam illam sanguinis tenuitatem eousque restringat. firmet, ac condenset, dum inde nutriendorum mēbrorum pars solida fiat. Requirit enim sanguis in hisce animalis particulis nutriendis crassitudinem quandam.

Altera pars, nempe crassior magisque terrea, quę non satis commode à naturali calore alterari potuit, ob necessitatem pari modo ac vtilitatem ad lienem seiungitur. Necessitas autē vel est ratione totius corporis, nempe vt ipsum à melancholiæ suderfluitate expurget, vel vnius cuiusdam mēbri, nimirum vt lienem nutriat. Vtilitas vero eius est,

vt ad os ventriculi profluens inuentas ibidem humiditates exprimat, non aliter quam mulierculæ lac mulgendo è vaccarum vberibus solent. Et huius quidem vtilitatis duo sunt iuuamenta : Vnum, vt contrahat ventriculum ac constringat : & cum acerba sit atque acida, non modo non lædat actiones eius, sed multo magis etiam promoueat. Nam ventriculum intendit ac contrahit in seipsum, cogitque cibos ad vnguem circumplecti, ac retinere, quousque fuerint concocti. Alterum, vt acedine sua commotionem ac corrugationem in ventriculo faciat, quibus ventriculus ad cibi appetitionem excitatur. Talis autem virtus excitata, fames appellatur. Fit enim fames propter succum melancholicum tendentem ad os ventriculi, qui corrugando partem illam facit famem, ob id igitur succus melancholicus vtilis in natura fuit. Melancholia non naturalis est, quæ à modo descripto naturali degenerat intra tamen limites suæ latitudinis permanens : quos si prætergrediatur, non iam amplius melancholia, sed alius humor dicetur. Eius quatuor differentiæ notæ communiter statuuntur, licet plures sint obscuræ.

Prima est, quando humor ipse melancholicus (qui naturalis dictus est, & quotidie gignitur in corpore, dũ animal sanitate fruitur) in propria sua essentia torretur, aduriturue & putrescit, fitque bilis atra exquisite. Talis enim vt lib. 14. cap. 9. Therap. method. & lib. de atra bile cap. 3. & comment. 21. libro. 4. aphor. Galenus ait, ex humore atro supra modum adusto conflatur, habetque splendidum aliquid, veluti bitumen & pix. Hæc autẽ (vere inquã, atque exquisite atra bilis nominata est) acida est, & in terram effusa veluti acetum feruet, & ipsam fermenti ritu releuat, tũ omni animanti iniucunda adeo, vt ne mures quidem ipsi aut muscæ eam gustauerint, non magis quidem, quam copiosum salem, in quo nullum animans vitam

peragit, vt mare quod Mortuum appellatur indicat. Porro tum gignitur huiusmodi nigra bilis, cū ille veluti sanguinis limus (quam melancholiam naturalem diximus) diutius moratur in corpore, & neque per aliquem sensibilem effluxum, neque occultum excernitur, verum transmutetur, corrumpitur & putrescit. Siquidem hic humor, vbi amplius incaluerit, aut propter putredinem, aut febrem inflammantem, nigram efficit bilem, inquit Galenus libro 14. capite 9. methodi medendi: quæ quidem frigida est, quia terrestris, sed tamen caloris non expers quemadmodum & cinis, & acetum, apparetque dum per aluum (vt contingit aliquando dysentericis) excernitur; splendidior ac nigrior ipso sanguine crassiore & nigriore, quem humorem melancholicum appellamus. Splendet enim veluti Mortui maris bitumen, quod Iudaicum vocant.

Secunda species seu differentia bilis atræ non naturalis est, quæ ex adustione aliorum humorum nascitur, vt illa quæ fit ex flaua bile vehementer vsta: quæ etiamnum tantę est malitiæ, vt & terram radat, & eam more bilis exquisite atræ in altum attollat. Sed & muscæ ipsam, non secus quam vere nigrā bilem, refugiunt. Si sanguis quoque aut pituita in corpore vehemēter incaluerint & exurantur, efficitur etiam melancholicus humor, non naturalis per adustionem dictus, vt voluit Auicenna. Verum duæ istæ postremæ species (quæ scilicet per sanguinis, aut pituitæ assationem fiunt) Auicennæ mitiores sunt. Scribit autem Galenus commentar. 29. libro tertio, prædict. Hippocrat. illam bilis atræ speciem, quæ ex flaua bile vehementer assata generatur, deteriorē esse ea, quæ ex crassiore sanguine generationem habet: qui subsidenti in dolio vini faculę aut amurcæ, hoc est, fæci olei proportione respondet. Hæc enim mitior est, sed potissimum quoties traxit nondum in animali moram cum aliquo calore abundante

præter

præter naturam. Verum priusquam in exactam atram bilem transmutetur, primo in vitellinam, secundo in porraceam, tertio in æruginosam transit.

Tertia species melancholiæ non naturalis est, quæ originem sortitur à lapidosa quadam concretione, vt cum ab imperitis Medicis vel Chirurgis erysipelata & inflammationes (quas Græci φλεγμόνας vocant) aut quiuis alij tumores ex naturalibus humoribus procreati admotis extrinsecus præsidijs nimis vehementer refrigerantur adstringunturque: vel cum ijsdem tumoribus ea quæ valenter nimis trahunt digeruntque, medicamenta applicantur. Tunc enim toto quod in eis subtilissimum erat dissipato, id quod reliquum est (nempe crassius) plus iusto desiccatum lapidis duritiem consequetur, atque in melancholicum humorem vertetur.

Quarta melancholiæ non naturalis differentia exurgit, quando alius humor ipsi melancholiæ naturali permiscetur: quod dum fit, dulcoratur ac mitescit magis, nisi dū alterutra bilis adusta huic commiscetur. Siquidem tunc vel acescit, vel amarescit, & erosionis non modicæ particeps efficitur. Auicenna loco antea citato, & Ioannes Tagaultius li.1.c.14. Institut. chirurg. Plura Ioannes Baptista Montanus in 1.1. doct.4. ca.1. Auicennæ, & Leonhardus Fuchsius libro 1. Sect.4. capite 1. institut. medic.

DE TEMPERATVRA, siue complexione Sanguinea, CAPVT LXXXIIX.

Natura pingues isti sunt atque iocantes,
Rumoresq; nouos cupiunt audire frequenter,
Hos venus & Bachus delectant fercula risus,
Et facit hos hilares, & dulcia verba loquentes.
Omnibus his studijs habiles sunt, & magis apti.

Qualibet ex causa non bos facile excitat iras:
Largus, amans, hilaris, ridens, rubeique coloris,
Cantans, carnosus, satis audax, atque benignus.

Signa, quibus sanguinea temperatura facile dignosci queat, hic recensentur.

Ac primum quidem, quod sanguinei sint pingues: quod de pinguetudine proprie dicta minime hoc in loco accipiendum est: Ea enim, sicuti Galenus libro 2. capite 9. de temper. & post eum Auicenna 2.1.doct.3. capite 3. attestatur, ex habitus frigiditate gignitur, sed de pinguedine ad mediocrem corpulentiam, siue carnis abundantiam extensa, quam ἐυσαρκίαν Græci vocant. Siquidem rubræ carnis cum decenti firmitate abundantia calidæ & humidæ, hoc est, sanguineæ temperaturæ non est. Quibus enim plus est carnis rubræ, ij & virtutem assimilatiuam habent potentē, & sanguinis copiam: quippe quæ (Galeno loco iam citato teste) vigeant inualescantque calido atque humido. Corpulentia, inquit, siue abundantia carnis ex sanguinis copia nascitur. Cum enim calori intra debitos fines manēti boni sanguinis accedit copia, necesse est, vt corpulentia sequatur, Idem innuere etiā his verbis Auicēna voluit, Corpus carnosum absque multo adipe & pinguedine calidum est & humidum, id est sanguineum.

Secundum, quod sanguinei sint vel iocantes, vt qui multa iucunditate magnoque iocandi lepore amicis ac familiaribus suis risum subinde moueāt vel læti, hoc est, alacri & erecto animo, idque maxime ob spirituum, qui ex sanguinei humoris benignitate procreantur, subtilitatem & perfectionem.

Tertium, quod facetiarum iocosarumque fabularum & nouarum rerum auditione eandem ob causam mirifice capiantur.

Quartum, quod proni admodum sint in Venerem: Nimia enim Venus, seu intempestiuum eius desi-

esiderium fit ob multitudinem genituræ, quæ ex inguinis copia potissimum nascitur,

Quintum, & sextum, quod conuiuia appetant, ino suauiter indulgeant, & cibis gaudeant otimis atque exquisitissimis, scilicet sui similibus, quibus seruari possint: seruantur enim similia imilibus.

Septimum, quod ridibundi sint, hoc est, facile ideant: quod Hippocratis etiam testimonio onfirmatur: qui in libro de structura hominis ita scriptum reliquit: Qui puri sanguinis participes sunt, hi vsquequaque rident, & aspectu ac orpore floridi, nec non perspicui coloris existunt.

Octauum, quod hilares sint, ac læto vultu, idque ob viuidum maxime ac floridum colorem & venustatem corporis: hæc enim omnia sanguinem qui temperatus est, consequuntur.

Nonum, quod blanda plerumque & auditu iucunda verba ab ipsorum ore profluant, quod & ipsum vtiq, ob sanguinis benignitatem euenire putandum est, οἷαι γὰρ αἱ τῶν ἀνθρώπων κράσεις, τοιοῦτος καὶ αὐτῶν ὁ λόγος.

Decimum, quod ingeniosi, hoc est, artibus quibuslibet addiscendis idonei sint, nimirum ob vigorem & insitam ingenij ex sanguine vim, siue docilitatem. Hinc etiam Hippocrates in libro de flatibus ita scripsisse videtur: Opinor inter omnia quæ in corpore sunt, nihil magis ad prudentiam conferre, quam sanguinem.

Vndecimum, quod non facile excandescant præcipitesq; in iram ferãtur: reprimit enim sanguin.s humiditas bilis feruorem, qui ὀξυθυμίαν efficit. Vnde eleganter sane flauæ bilis frenum ab Auicẽna quarta primi, capite vigesimo dicitur.

Postremis duobus versibus non solum ex iam dictis repetuntur quædam, sed adduntur etiam alia nonnulla.

Quorum

Quorum primum quidem est, quod sanguinei sint largi, hoc est liberales, benefici, & ab omni auaritia alieni.

Secundum, quod amoribus sint dediti.

Tertium, quod hilares sint, & iucundo ac læto vultu.

Quartum, quod ridibundi: quæ quidem omnia sanguinis benignitate eueniunt.

Quintum, quod rubei sint coloris. Humor enim cuti colorem adfert, quemadmodum li. 1. aphor. commentar. 2. Galenus adserit. Et Auicenna. 1. 1. doct. 3. capite 3. Color, inquit, rubens sanguinis multitudinem significat: Quod intelligendū maxime de colore, qui ex rubeo & albo cum iucundo quodam nitore commistus sit: & non qualis in facie eorum visitur, qui fortia potant vina, & in cibo salsis atque acribus vtuntur speciebus, nempe rubeus fuscedine quadam permistus; hic enim lepram portendit.

Sextum, quod cantionibus & musicis delectentur harmonijs: quippe quæ & ipsæ (autore Theophilo Citharœdo apud Athenæum libro 14. δείπνο) perinde atque sanguis temperatior, εὐηθείαν, id est, bonos ac candidos mores pariant. Μέγας γὰρ θησαυρὸς ἐστι καὶ βέβαιος ἡ μουσικὴ ἅπασι τοῖς μαθοῦσι παιδευθεῖσί τε καὶ γὰρ ἤθη παιδεύει καὶ τοὺς θυμοειδεῖς τὰς γνώμας διαφόρους καταπραΰνει.

Septimum, quod sint corpulenti.

Octauum, quod sint audaces idq; ob sanguinis caliditatem.

Nonum, quod sint benigni, clementes, liberales, & benefici ratione nimirum humoris sanguinei, qui est dulcis, mitis & benignus.

De

DE TEMPERATVRA CHOlerica, siue biliosa.

CAPVT LXXXIX.

Est humor cholera, qui competit impetuosis:
Hoc genus est hominũ cupiẽs præcellere cunctis:
Hi leuiter discunt, multũ comedunt, cito crescũt:
Inde & magnanimi, sunt largi, summa petentes.
Hirsutus, fallax, irascens, prodigus, audax,
Astutus, gracilis, siccus, croceique coloris:

Biliosæ temperaturæ notæ hoc in loco tradũtur.

Ac prima quidẽ quod biliosi siue cholerici, quos χολώδεις Græci vocant, prompti admodum sint ad operationes: sed impetu animi potius quam cogitatione faciant omnia. Igneum enim habent calorem, qui impetum & agilitatem ad motiones præstat. Hinc 2.2. doct.3. cap.3. ita fere ab Auicenna scribitur: Cum operationes plenè ac perfecte naturali cursu procedunt, temperaturæ æqualitatem indicant: cum vero ad superfluos mutantur motus, caliditatis exuperantia significatur.

Secunda, quod ambitiosi sint & honorum cupidi, primasq; in concilijs ac consessibus expetant cathedras, adeoq; præferri omnibus velint: perinde atque ignis ipse, qui sine pondere semper euolat, excelsaque locum sibi quærit in arce. Exuperans enim ille calor animos ad insolentiam plerumque & arrogantiam excitat atque inflammat.

Tertia, quod celeris sint mentis ingenijque, & facile discant, ob calidum nimirum & subtilem cerebri substantiam, quæ formas cito ac facile suscipit. Hinc non temere mentis acumen & prudentiam à bilioso humore proficisci, commentar. 40. de natura humana, Galenus tradidit. Lege plura de hoc apud eundem, capite duodecimo artis medicinalis, & Auicennam loco aliquoties iam citato.

Quarta, quod edaces sint & multiuori, tum e-

nim.

nim fortiorem habent calorem concoquentem, tum ipsis etiam plus per omnem cutem digeritur, & in ambientem aerem euacuatur, quam aliis corporibus,

Quinta, quod cito adolescant, & corporis incrementum consequantur: validissimum enim habent calorem innatum: hic vero omnes actiones naturales adauget, ergo & eam qua corpus ad summum incrementum (ἀκμὴν Græci vocant) perducitur. Galenus commentar. 14 aphorism. lib. 1. & libro 5. cap. 8. de simplic. medic. facu

Sexta, quod magnanimi sint, illatasq; iniurias iniquo animo ferentes à se propulsare statim conentur, idq; maxime ob caliditatis exuperantiam. Parum enim ab vnaquaque re pati posse, caliditatem significat, inquit Auicenna.

Septima quod largi, benefici ac liberales sint, præsertim in eos, à quibus honores se consecuturos sperant.

Octaua, quod summa petant, id est ad summos semper dignitatum ac honorum gradus affectent viam.

Nona, quod sint hirsuti: calida enim & sicca intemperies, sicut Galenus lib. 2. cap. 10. de temperat. testatur, hirsuta est, verum ea in summo quippe per omnem cutem difflatur, semper aliquid à calido, quod secum etiam interim humoris non nihil ad cutem adfert, vnde pili generentur. Quo modo autem hæc generatio fiat copiose admodum ibidem docet.

Decimũ, quod versuti, fallaces, & deceptores sint.

Vndecimum, quod præcipites sint in iram, acerbe nonnunquam vehementerq; excandescant & irascantur, ob animosæ nimirum facultatis vehementiam, magnum caliditatis excessum, facilem bilis commotionem, & caloris in corde feruorem. Lege Galenum cap. 29. & 3. artis medicinalis, lib. 2. cap. 16. de sanitat. tuend. & in lib. de causis morborum, cap. 2.

Duo

Duodecima: quod sint prodigi, in eos potissimũ, quibus se ad summos dignitatum gradus promotum iri sperant.

Decima tertia, quod audaces, fortes, ac animosi sint: Plurimum enim in corde caloris habent, Galeno libro secundo. capite 12. de temperament. teste.

Decimaquarta, quod sint astuti, & hoc sane ob flauæ bilis tum caliditatem, tum mobilitatem.

Decimaquinta. quod graciles, id est, macilenti ac raræ sint corpulentiæ, ob exuperantem nimirum & immodice difflantem caliditatem. Hinc magna ex parte graciles sunt biliosi. Galen. comment. 6. lib. 4. aphor.

Decimasexta, quod sicci sint, id est, macri eadem ratione.

Decimaseptima, quod crocei sint coloris, id est, pallidi aut flaui. Certissima enim succi animalis cognitio ex colore datur. Tanquam igitur corpus sicubi albius solito est effectum, pituitosum abundare succum indicat: sicubi pallidius aut flauius, biliosum: ita sicubi ad rubicundius quam pro natura est mutatum, sanguinis abundantiam subesse significat: sicubi ad nigrius, nigram redundare bilem ostendit. Ita Galenus libro 4. capite 7, de sanitat. tuend. Lege eundem commentar. 2. lib. 1. aphorism.

DE TEMPERATVRA PHLEGmatica, siue pituitosa.

CAPVT XC.

Phlegma dabit vires modicas, lætosq́; breuesq́;,
Phlegma facit pingues, sanguis reddit mediocres.
Otia non studio tradunt, sed corpora somno
Sensus hebes, tardus motus, pigritia, somnus,
Hic somnolentus, piger & sputo crebriore,
Est huic sensus hebes, pinguis, facie color albus.

Hic

Hic recensentur notæ temperaturæ phlegmaticę.

Prima, quod phlegmatici viribus sint infirmis ac inualidis cum enim phlegma frigidissimũ ac humidissimum sit omnium quæ in animali habẽtur, mobilitatem caloris innati, & quæ inde oriuntur facultates omnes magna ex parte obtundit ac debilitat, & occasione quidem frigiditatis torpidum pigrumq; corpus ad naturæ actiones omnes reddit: humiditatis vero ratione neruos omnes relaxat languidosque facit: quo fit vt phlegmatici, in quibus hic humor præualet, in omnibus motibus voluntarijs pigritiam sentiant.

Secunda, quod sint lati, sed breuioris staturæ: ob debilitatem enim caloris innati corpus in longum extendi non potest, porrigitur ergo, & in latitudinem protenditur.

Tertia, quod pingues sint & obesi, nimirum ob frigiditatem & humiditatem. Adeps enim vel pinguedo superflua frigiditatis & humiditatis excessum significat, & temperaturam corporis phlegmaticam. Quicquid enim in sanguine pingue, leue & tenue est, id in calidioribus corporibus alimentũ quoddã calido fit, in frigidioribus seruatur. Cum porro id venæ extra se transmiserint, vbi in frigidas particulas incidit, quod genus membranę sunt, in ijs concrescit, & in adipem siue pinguedinem conuertitur Galenus lib. 2. cap. 9. de temperat. Sequitur deinde, sanguineos esse staturæ mediocris, quicunque enim corporum habitus, & temperati natura sunt, & mediocri exercitatione vtuntur, hos necesse est εὐσάρκους esse: id vero est mediocri omnino corporis habitu.

Quarta, quod ad ocia, quam studia propensiores sint, instrumentis nimirum veluti torpentibus ob frigiditatem. Galenus libro 3. de sympt. causis capite 3.

Quinta, quod sint somnolenti, idque ob multam cerebri humiditatem & frigiditatem. Frigiditas tamen minorem vim ad procreandum somnum,

mnum, quam humiditas obtinet. Galen. cap. 22. artis medicinalis,

Sexta, quod tardi ac hebetis sint ingenij: quemadmodum enim mentis celeritas ἀγχίνοια Græcis dicta, & discendi facilitas quam εὐμάθειαν ijdem vocant, à caliditate & siccitate, ita eorundem hebetudo ac tarditas à contrarijs, nempe à frigiditate & humiditate exordium suscipiunt. Galenus capite 12.16.18. & 22. artis medicinalis.

Septima, quod tardi sint motus: & hoc frigiditatis ac humiditatis ratione; frigidi enim propriũ est non mouere: humidi vero relaxare,

Octaua, quod sint pigri.

Nona: quod sint somniculosiores: quorum omnium causæ ex iam dictis satis constant.

Postremis duobus versibus repetuntur notæ prædictæ cum quibusdam alijs.

Prima, quod sint somnolenti.

Secunda, quod pigri ac tardi sint ad quamlibet operationem.

Tertia, quod multi sputi, frigiditas enim improbe concoquit ac digerit, proinde multa in corpore excrementa relinquit.

Quarta, quod sensibus minime vigeant. Galenus cap. 22. artis medic.

Quinta, quod sint pingues.

Sexta, quod album habeant faciei colorem de quo satis in præcedenti capite, nempe 89.

DE TEMPERATVRA Melancholica.

CAPVT XCI.

Restat adhuc tristis choleræ substantia nigra,
Quæ reddit prauos, pertristes, Pauca loquẽtes
Hi vigilant studijs, nec mens est dedita somno.
Seruant propositum, sibi nil reputant fore tutum.
Inuidus & tristis, cupidus, dextraq; tenacis,
Non expers fraudis, timidus, luteiq; coloris.

Signa melancholicæ temperaturæ hoc in loco referun-

referũtur ac primum quidem, quod melancholici ſint praui, hoc eſt, malis, feris ac perditis moribus, vt qui eo mœſtitiæ facile inducantur vt mortem deſiderent, iugularique ſe optent: & odio proſequantur omnes quotquot viderint. Galenus libro 3. de loc. affect. cap. 7.

Secundum, quod triſtes admodum ſint, inſidiaſque ſibi tendi in omni vita ſuſpicẽtur: ob turbidos nimirum & tenebricoſos qui ex melancholico humore procreantur, ſpiritus. Quemadmodum enim puri ac tenues ſpiritus lætitiam, ita è contrario turbulenti ac craſſi triſtitiam contrahunt.

Tertium, quod taciturni ſint, & paucorum verborum: vt enim caliditas garrulitatem, ſic frigiditas taciturnitatem & ſilentium generat.

Quartum, quod ad bonarum artium ſtudia apti, habiles atq; accommodati ſint: propter ſolitudines nimirum & ſecreta quæ fere petunt loca; Nam, vt lib. ſecundo epiſt. vltima Horatius ait:

Scriptorũ chorus omnis amat nemus & fugit vrbes

Eandem ſententiam ſic extulit Ouidius libro 1. eleg. 1. Triſtium:

Carmina ſeceſſum ſcribentis & otia quærunt.

Hinc eſt quod Hippocrates de Democrito Abderita ad Philopœmenem ita ſcriptum reliquit. Non inſaniam, ſed quandam excellentem mentis ſanitatem vir ille declarat, dum neque librorum, neque vxoris, neque cognatorum, neque rei familiaris, neque omnino alicuius quam gerit, ſed & diu & noctu apud ſeipſum conſiſtit, & priuatim vitam degit plerũque in antris & ſolitudinibus, aut ſub arborum vmbris, aut in mollibus herbis, aut apud frequentia aquarum fluenta. Contingunt igitur talia plerumque atra bile percitis. Taciturni enim aliquando ſunt, & ſolitarij ac deſerti amantes, & rerum familiarium conſpectum auerſantur, alienum putantes. Nec verò diſſimile vero eſt, etiã his qui circa diſciplinas verſantur, ab vna erga ſapientiam affectione alias curas excluſas eſſe.

esse.Lege Aristotelem problemate.1.sect.30. Ciceronem lib.1. Tusculan.quæstion.& Quintilianum lib.10. capite 3.

Quintum, quod breuibus admodum minimeque profundis pertententur somnis. Nam ad somnum creandum calidum adesse humorem opus est:hic enim concoqui expedite potest, indeq; ad caput vapores surriguntur, à quibus subinde somnus inducitur.Quod si deest,exiguusque humor aut concoctu difficilis inest, somnus non oritur. Qua de causa post cibum somnolentissimi fieri ob calorem solemus: Melancholicos vero & vehementer æstuantes insomnia tenēt:illos,quia refrigeratus humor penitus est:hos.quia nullus est,aut certe minimus.Horribilia etiam visa melancholicis per quietem obijciuntur,quibus maturius è somno excitantur. Galenus lib. 1 .cap. 8. de symptom. cau. Et Cælius Rhodiginus in lib.16. capite 36.& 37 lect. antiq.

Sextum, quod constantes ac stabiles admodum sint in rebus gerendis, ægerrimeque dimoueantur ab eo, quod menti semel hæserit, adeoque difficulter etiam, si quando offendantur, in veterem gratiam restitui possint. Et hoc certe siccitatis occasione, quæ non sinit propositum facile immutari.

Septimum,quod nihil sibi tutum fore putent,eoq; semper timeant. Hinc est quod Galenus li.2.cap.7. de sympt.causis ita scriptū reliquit. Illud quod ab Hippocrate perhibetur, omnibus melancholiæ speciebus commune esse videtur: Si timor & mœstitia multo tempore durāt, melancholicum eiusmodi symptoma est.Sunt enim omnes sine causa mœsti:nec si roges quamobrem mœreant, reddere causam possint. Timent autem eorum nonnulli tum mortem,tum alia,quæ minime sunt timenda Nec desunt & qui mori vehementer expetant. Cæterum quod ex atra bile, cum principium rationalis animæ occupauit,timor mœrorque, ac mor-

tis

tis expectatio accidant, nihil mirum. Siquidem etiam eorum, quæ extra corpus sunt, nihil videmus quod nos perinde terreat, ac tenebræ. Ergo cum tenebræ rationalis animæ parti sunt circumfusæ, necesse est hominem timere, vt qui semper vnà cũ corpore suo timoris causam circumferat. Quod enim nobis extrinsecus fit, altissimis tenebris circundatum nobis aerem ad tempus aliquod occupantibus, id melancholiæ vitio laborantibus ab interno & ipso corpore contingit, scilicet, vel ipsa nigra bile cerebrum occupante, vel aliqua melancholici habitus exhalatione, veluti in morbo, quẽ flatuosum & hypochondriacon vocant: Idem libro tertio, capite septimo de locis affectis iam citatam sententiam his fere repetit verbis. Differunt autem inter se melancholici. Nam omnes timent, mœrent, vitam damnant, odio habent homines, sed non omnes mori cupiunt. Etenim hoc ipsum nonnullis melancholiæ caput est, quod mortem pertimescunt. Quosdam etiam alieno admodum atque extraneo videbis animo, vtpote, qui simul & mortem metuant, & tamen mortem sibi consciscant. Proinde recte videtur Hippocrates omnia ipsorum accidentia in duo hęc coegisse, metum & mœstitiam. Mœstitia nimirũ eos inducit, vt odio prosequantur omnes quotquot viderint, nunquam non tristitiam præ se ferentes, terrentur quoque vt in tenebris pueri, atque ex adultis indocti. Sane quemadmodum externæ tenebræ omnibus fere hominibus pauorem inducunt, nisi vel audaces admodum vel edocti fuerint: sic atræ bilis color, mentis sedem tenebris similem reddens, timorem efficit. Etenim summis tum medicis tum philosophis in confesso est, & humores & omnino corporis temperamentum animæ actiones variare posse. Postremis duobus versibus repetuntur quædam ex iam dictis, & adduntur nonnulla alia.

Primum, quod fiat inuidi. Est enim inuidia tristitia

itiæ ſpecies.

Secundum, quod triſtes.

Tertium, quod auari.

Quartum, quod tenaces.

Quintum, quod fraudulenti.

Sextum, quod valde timidi.

Septimum, quod lutei, id eſt terrei ſiue fuſci oloris ſint. Color enim pure fuſcus, qui viridiati propinquus eſt, melancholiæ dominium oendit. teſte Rhaze libro ſecundo, capite primo d Almanſorem.

DE COLORIBVS.

CAPVT XCII.

HI ſunt humores, qui præſtant cuique colores,
Omnibus in rebus ex phlegmate fit color albus:
Sanguine fit rubeus, cholera rubea quoque rufus,

INDICIA REDVNDANTIS ſanguinis.

Si peccet ſanguis, facies rubet, extat ocellus,
Inflanturq; genæ, corpus nimiumque grauatur,
Eſt pulſuſque frequens, plenus, mollis, dolor ingẽs,
Imprimis frontis, fit conſtipatio ventris,
Siccaque lingua ſitis, ſunt ſomnia plena rubore,
Dulcor adeſt ſputi, ſunt acria dulcia quæq;

Hic cuiuſque temperaturæ ex coloribus indicia præſcribuntur. Phlegmatici enim coloris ſunt albi biliosi, pallidi ſiue flaui: ſanguinei, rubri: melancholici vero fuſci. Eſt autem color fuſcus proprie, Galeno libro 14. capite 9. Therapeu. method. teſte, inter rubrum & nigrum medius. Sed de his omnibus in præcedentibus ſatis iam dictum eſt.

Secundo loco tredecim traduntur notæ redundantis ſanguinis.

Prima, rubor faciei: ob aſcenſum enim ſanguinis omnia quæ circa caput ſunt rubicundiora apparent.

Secunda, oculorum prominentia: calor nãq; ex[...]perantis sanguinis ipsos dilatat, ac flatu distendit.

Tertia, genarum inflatio: cuius eadem est ratio.

Quarta, vniuersi corporis cum distentione grauitas: Natura enim cum cõtentos humores moderari nequeat, corpusq; multitudine grauatum sustinere minus valeat; supplanatur ac deijcitur.

Quinta, pulsus creber, propter caliditatem, quæ sanguinis multitudinem sequitur.

Sexta, pulsus plenus, ob calidorum & humidorum vaporum copiam.

Septima, pulsus mollis: nimia enim sanguinis exuperantia arteriæ emolliuntur.

Octaua, dolor capitis, & maxime quidem circa frontem, ob sanguinis in plexu reticulari, vt quibusdam placet augmentum.

Nona, ventris constipatio: nimia enim caliditate fæces exsiccantur & indurantur.

Decima, siccitas linguæ ob eandem causam.

Vndecima, vehementia sitis: orificium enim stomachi præ nimia caliditate exsiccatur.

Duodecima, somnia plena rubore: Nam quæ in somnis visuntur agique putantur, magna ex parte corporis affectionem humorumque naturam, plenitudinem, defectum ac qualitatẽ testantur. Nam qui ægre se moueri putant, aut grauia onera portare, aut in ea re impediri, quam se efficere somniant, animalem facultatem ex plenitudine aut crassitie, aut viscositate humorum deprauatã habere conijciendum est. Contra qui se vel volare vel currere ocyssime credunt, humores paucos eosque leues, minimeque excrementitios habere verisimile est. Et qui nocturnas Veneris imagines patiuntur, genitali semine abundare. Ad eundem modum, qui in locis fœtentibus, sordidis ac immundis se volutari putant, illos in corpore materiam putrem corruptamque ac grauiter olentem

habere

habere suspicio est, quemadmodum contra, qui in locis odoris se esse autumant, materiam probam suauiterq; olentem, & cui accensus ignis apparet, hunc à flaua bile infestari, cui vero fumus aut caligo aut profundæ tenebræ, ab atra bile. Imbres autem frigidum humorem abundare testantur: nix vero & glacies, & grando, frigidam pituitam. Gallorum gallinaceorum cristas habere, aut rufa quędam, sanguinem exsuperare. Luctatorem, qui sibi visus fuit in sanguinis solio stare, & vix super eminere, multo sanguine abundare Galenus coniecit, & euacuatione opus habere. Hæc ferè Galenus commentar. 3. in lib. 8. epidem. aphor. 1. & in libello de dignotione ex insomnijs. Lege & Rhazem lib. secundo, cap. vigesimoquarto, ad Almansorem, & Auicennam secunda primi, doctrin. tertia, capite septimo.

Decimatertia, dulcedo sputi: propter sanguinis dulcedinem. Rhaces libro secundo, capite 20. ad Almansorem.

INDICIA EXVPERANTIS Choleræ, siue flauæ bilis.

Accusat choleram dextræ color, aspera lingua,
Tinnitus, vomitusq; frequens, vigilantia multa,
Multa sitis, pinguisq; egestio, tormina ventris,
Nausea fit, morsus cordis, languescit orexis.
Pulsus adest gracilis, durus, veloxq; calescens.
Aret, amarescitq;, incendia, somnia fingit.

Lege de his omnibus Rhacem, libro 2. cap. 50 ad Almansorem, & Auicennam 2. 1, doct: 3. capite 6.

INDICIA REDVNDANTIS phlegmatis.

Phlegma supergrediens proprias in corpore leges,
Os facit insipidum fastidia crebra, saliuas,
Costarum stomachi, simul occipitisq; dolores.
Pulsus adest rarus, tardus mollis quoq; inanis.

Præcedit fallax phanaſmata ſomnia aquoſa.

Rhazes lib.2.cap.23.ad Almanſorem, & Auicẽna 2.1.doct.3.cap.7.

INDICIA ABVNDANtis Melancholiæ.

Humorum pleno dum fæx in corpore regnat,
Nigra cutis, durus pulſus, tenuiſq; vrina.
Sollicitudo timor triſtitia, ſomnia tetra,
Aceſcunt ructus, ſapor & ſputaminis idem.
Læuaq; præcipue tinnit vel ſibilat auris.

Rhaces lib.2.cap.22.ad Almanſorem, & Auicenna 2.1.doct.3.cap.7.

DE PHLEBOTOMIA, AC primo quidem de ætate phlebotomiæ.

CAPVT XCIII.

DEnus ſeptenus phlebotomon petit annus,
Spiritus vberiorq; exit per phlebotomiam.
Spiritus ex potu vini mox multiplicatur,
Humorumq́; cibo damnum lente reparatur.
Lumina clarificat, ſyncerat phlebotomia
Mentes & cerebrum, calidas facit eſſe medullas.
Viſcera purgabit, ſtomachum ventremq́; coercet.
Puros dat ſenſus, dat ſomnum, tædia tollit.
Auditum, vocem vires producit & auget.

De venæ ſect one, quam φλεβοτομίαν Græci vocant, iã agitur. Ac primo quidem huic rei accõmodata oſtenditur ætas, annus nimirum decimuſeptimus, vel vt alijs placet, decimus quartus. Pueris namque vſque ad quartum decimũ ætatis annũ ſanguis mittendus non eſt: carnem enim habent teneram & facile perſpirabilem. Quod Galenus libro nono capite decimoſeptimo, method. medend. his teſtatur verbis: Puerorum, inquit, ſubſtantia omnium facillime digeritur ac diſſipatur, propte-

propterea quod est omnium humidissima: & nulla minime frigidior, hoc est, omniũ minime frigida quo minus vacuãtis præsidij eget, cum habeat ex ipsa, vnde naturaliter vacuetur. Idem etiam lib. . capite 14. eiusdem operis de synocho loquens confirmat. Si in puerum incidat, qui quartum decimum annum hactenus non attigit, mitti illi sanguis non debebit, propterea quod tantillis, cum præsertim calidi ac humidi sint, plurimum corporis substantiæ quotidie defluat ac digeratur. Ita quod ex incidenda vena moliendum nobis fuerat, id vltro nobis ex curandi corporis natura præstatur. Quanquam Auenzoarus memoriæ de-*Auerrh. lib. 7. cap. 3. collectan-* derit, se filiolo trimo venam dissecuisse, atque hũc à morte tali remedio liberasse. Quod si corpus decimum quartum annum excesserit, æstimandum est, qualisnam eius natura sit, num gracilis, spissa dura, & copiosi sanguinis, aut contra. Atque ita in priore missionem sanguinis adhibebis: in secunda nequaquam: Senibus quoque post septuagesimum annum, si multi sanguinis fuerint, viresque robustas habuerint, ac morbus ita iubeat, venam secabis. Quod si in hac ætate constitutis vires parum validæ sint, & sanguine non admodum abundent, in totum ab huiusmodi euacuatione arcendi sunt. In his enim cum, Galeno libro quarto, capite decimo, de sanitate tuend. teste, sanguis bonus exiguus sit, crudi vero humores plurimi, incisa vena bonum sanguinem emittit; malum vero, qui in primis maxime venis circa iecur, & quod mesenterium vocant, colligitur, in totum attrahit corpus.

Secundo loco vnicum innuitur ex phlebotomia incommodum: nempe quod vberior per ipsam exhalet spiritus. Quod certe Galenus in libello de sacrificatione his ostendit verbis: Venam incidere sæpe in anno minime commodum puto. Nã vna cum multo sanguine vitalis spiritus excernitur. Hoc autem frequentius consumpto, & tota

corporis moles perfrigeratur, & omnia animalis opera peius fiunt. Frequentior igitur venæ sectio maturam senectam, & hanc morbis grauioribus obnoxiam reddit: cuiusmodi sunt cachexia, hydrops, arthritis, tremor, paralysis & apoplexia. Impensius enim refrigerato natiuo calore, humidoque primigenio imminuto viscera languescũt, cruditas dominatur, quæ tot malorum causa fit atque origo.

Tertio versu traditur remedium reparandorum spirituum, potus nimirum vini. Hoc enim ex omnibus celeriter ac subito nutriẽtibus, veluti supra capite 8. & 11. ostendimus, principem obtinet locum. Quin ex cibo quoque, vt quarto docetur versu, spiritus recuperantur: sed lente, hoc est, tardius. Vbi sciendum eumprimis, quod exhibendus sit à venæ sectione cibus concoctu facilis optimi succi, ac plurimi nutrimenti, velut oua sorbilia, & eiusmodi. Eo moderatius tamen, vt libro septimo, capite vigesimoprimo, ad Almansorem Rhaces præcipit, primo ac secundo die vtendum est: quippe concoctoria facultas, sanguinis eductione debilis, multum superare cibum nequit. Hinc Isaacus in diætis ita ferme scriptum reliquit. Cibus ipsis minuendus, sed potus augendus, respectu nimirum cibi, & non consuetudinis: imo vero quam ante phlebotomiam minus bibendum est, quod virtus concoctrix debilior adhuc sit, quam vt copiam eius ferat.

Quarto demum loco vndecim moderatæ atq; tempestiuæ phlebotomiæ enumerãtur commoda.

Primum, quod visus aciem roboret, clarioremque reddat: imminutis enim & detractis per phlebotomiam humoribus, quorum effumatione oculorum claritas obscurabatur, visus necessario roboratur ac reficitur.

Secundum, quod cerebrum expurget, integritatem menti restituat, & ingenij excitet aciem: idq; consimilem omnino ob causam.

Tertium, quod medullas excalfaciat: superfluas namque humiditates, quarum confluxu infrigidantur, absumit.

Quartum, quod viscera, id est, interiora expurget: leuata namq; quæ corpus nostrum regit natura exonerataque sanguine, quo velut sarcina premebatur, haud ægre crudos in interioribus detentos humores concoquit & euincit,

Quintum, quod vomitus & alui profluuia cohibeat: humores enim ab interioribus ad externas euellit partes. Hinc ab Auicenna quarta 1. capite vigesimo, ita scriptum est. Phlebotomia, propterea quod ad diuersa trahit, naturam secundum plurimum retinet. Vbi tamen silentio prætereundum non est, quod in alui profluuio cubiti vena incidenda veniat, vt quæ citissime conspicuam nonnunquam adfert vtilitatem, quod si contra feces, nempe in pede, nihil omnino profuerit. Accidit tamen aliquando, vt aluus venæ sectione fluida magis fiat, idque duobus maxime modis. Vno quidem, quod naturæ onere per phlebotomiam sublato virtus roboretur, adeoque alias haud raro initet euacuationes. Altero vero, quando alui profluuium oritur ex retẽtricis facultatis imbecillitate. Ea enim venæ sectione augetur, quo fit, vt venter magis proritetur.

Sextum, quod sensus efficiat puriores, euaporationem enim ad caput, vnde sensus turbantur, imminuit.

Septimum, quod immodicis conferat vigilijs, siquidem humorum exuperantiam, vnde acres subinde atque diuersi sursum feruntur fumi, qui somnum impediunt, euacuat.

Octauum, quod tædia, id est, nimiam corporis grauitatem segnitiẽque, siue lassitudinem tollat, leuat namque quæ corpus nostrum regit naturã, exoneratque humorum multitudine, quibus velut onere quodam grauissimo premebatur. Melancholia quoque, quæ præcipua quædam tædio-

rum ac grauitatum causa existit atque origo, vna cum sanguine educitur: quippe fæx eius est & sedimentum.

Nonum, quod audiendi difficultatem corrigat: imminuit enim redundantiam humorum, vnde crassi ac flatuosi sursum euecti spiritus auditorios obturant meatus.

Decimum, quod voci conferat: subtrahit namque superfluas humiditates, quibus vocalis arteria immodice irrigata raucas edebat voces.

Vndecimum, quod vires reficiat augeatque: siquidem corpore humorum exonerato multitudine vires recreantur & augentur.

QVIBVS MENSIBVS CONVENIAT, quibusve noceat Phlebotomia.

CAPVT XCIV.

Tres insunt istis, Maius, September, Aprilis,
Et sunt Lunares, sunt velut Hydra dies,
Prima dies primi, postremaque posteriorum,
Nec sanguis minui, nec carnibus anseris uti,
Sit senium atque iuuēta licet. si sanguis abundat,
Omni mense probè confert incisio venæ.
Hi sunt tres menses, Maius, September, Aprilis,
In quibus eminuas, vt longo tempore viuas.

Tria hoc in loco traduntur. Ac primum quidem, quod tres menses sunt lunares, nempe Maius, Aprilis, & September, ipsisque dies quidam insint, quibus venam incidere nefas habeatur: Maij scilicet primus, & reliquorum trigesimus. Id vero vulgo quidem ita creditur, cum reuera fictum atque à veritate alienum sit. Siquidem & his ipsis diebus modo constellatio non deterreat, venam secare nihil impedit. Vanum item ac errore plenū est, quod de anserum esu subiungitur, magisque fascinationi tribuendum, vel tractum forte ā Iudæorum consuetudine esse existimandum.

Secundum, quod senibus æque atque iuuenibus

singulo

singulo quoque mense, modo in venis sanguis abũ-
det, ac morbus ita iubeat, sanguinem subtrahere
fas sit: vt in quibus non facile digeratur dissipe-
turque substantia, & boni sanguinis adsit copia.

Tertium, quod Phlebotomia pro conseruanda
sanitate administranda sit in aliquo horum trium
mensium: In Aprili scilicet, aut Maio, aut Septem-
bri: differenter tamẽ. In Aprili enim aut Maio, ie-
coraria incidenda venit, ob exundantem nimirum
sanguinis copiam: est enim tempus vernum. In
Septembri vero lienaris: siquidem per id tempus,
cum sit autummale, atra bilis nonnullis plus cæ-
teris colligitur.

DE IMPEDIMENTIS phlebotomiæ.

CAPVT XCV.

Frigida natura, & frigens regio, dolor ingens,
Balnea post coitum, minor ætas, atque senilis,
Morbus prolixus, potus repletio, & esca,
Si fragilis, vel subtilis sensus stomachi sit,
Et fastiditi tibi non sunt phlebotomandi.

Duodecim hic recenseatur impedimenta phle-
botomiæ.

Primum, frigida hominis natura, quippe quæ
venæ sectione augeatur. Fundamentum enim
caloris innati, sanguis est: hoc igitur per phlebo-
tomiam imminuto, & calorẽ innatum imminui,
totumque corpus grauiter refrigerari necesse est.
Galen. capite sexto de curand. rat. per sang. mis-
sionem.

Secundum, regio impense frigida: Hæc enim
largam vacuationẽ, qualis phlebotomia est, haud
sustinet, quod corpus detracto cum sanguine nati-
uo calore satis antea refrigeratum magis subinde
refrigeret. Præterea nec calida nimis regio venæ
sectionem tolerat, quod sua calidatate vires dis-
soluat ac humores discutiat. Tempus etiam anni

mittendo ſanguini expendendum, num ſcilicet calidum ſit, aut frigidum. In frigido enim tempore corpus refrigeratur, ideoque ſanguinis miſſionē impedit. Quid enim attinet corpus antea abunde ſatis refrigeratū ſanguinis detractione magis refrigerare. In calido tempore improbe vacuati ſyncope & reſolutione intereūt, quippe calor ambientis è corpore foras euocatum ſpiritum digerit, reſiccatque corporis habitum, & imbecilliorem reddit. Quocirca tum omnino à ſanguinis miſſione abſtinendum erit. Quod Galenus libro vndecimo, capite 4. method. medendi, his verbis confirmat. Et omnino quidem non mittes in tempore æſtatis, & regione æſtuoſa, & cœli ſtatu calido ac ſicco. Proinde eadem eſt temporis, quæ regionis, conditio.

Tertium, dolor ingens, ſub quo & nimia corporis inflammatio comprehenditur. In his enim ſecta vena multam ſeditionem & agitationem in humoribus excitat, phlebotomia nimirum attrahente ac vacuante humores, dolore vero atque inflammatione contranitentibus, adque ſe rapientibus. Siquidem dolor omnis & calor attrahunt, influxumque humorum efficiunt, quo fit vt inflammatio augeatur, & natura magis debilitetur. Et hoc quidem, vbi temperatior & artificialis fuerit phlebotomia. Si vero aceruatim, vel ad animi deliquium vſque fiat, in prædictis caſibus plurimum adfert emolumenti. Quippe hoc præſidio feruentis ſanguinis copia in maximis inflammationibus educitur, & laborans phlegmone pars refrigeratur. In vehementiſſimis autem doloribus ideo ſanguinis miſſio confert, quod ſanguinis confluxum, dolorē reſcindendo, inhibet. Accedit quod excretoria facultas cauſā dolorum, elicere properans phlegmonem, interdum excitet. Quum enim p imis ſuis conatibus nihil profecit, vehementius aggreſſa quod infeſtat expellere ſanguinis aliquid e ſuperpoſitis partibus in afflictam ſimul exprimit,

mit, vt copiose libro 23. methodi medend. capite tertio Galenus ostendit. Quapropter ne id accidat, sanguinem mittere expedit. Et hæc fuit intentio Galeni commentar. 23. libro 1. aphoris. vbi sic scriptum reliquit. In ardētissimis febribus si vsque ad animi defectionē sanguis mittatur, statim totius corporis habitus refrigeratur & febris extinguitur. In maximis vero doloribus nullum maius noui remedium, quam vsque ad animi defectionem euacuare. Lege plura apud eundem libro 9. methodi medend. capite 4. & in libro de curā. rat. per sanguin. missionem cap. 11. & Leonhardum Fuchsium libro 2. Sect. 5. capite 4. & 6. Institut. medic.

Quartum, Balneum, & maxime quidem διαφορητικὸν id est, resolutiuum. Hoc enim, cum Galeno in libro de vtilitate respirationis, capite septimo teste, spiritus ex toto corpore euacuet, adeoque vires debilitet, phlebotomiā impedit. Nā plurimū & repente euacuare periculosum est. inquit Hippocr. lib. 2 aphorism. 51.

Quintum, coitus: post quem Prohibetur incisio venæ, quod is corpus iam plus æquo excalfecerit, vires deiecerit ac debilitarit. Porro quonā modo Venere vires dissoluantur, diserte admodum Galenus libro 1. de semine, capite 25. his demonstrat verbis: Circa tempus, inquit, concubitus testes ex venis seminatim humorem, quantum eius in ipsis continetur, trahunt. Est autem modicus hic, & ad roris similitudinem sanguini ammixtus: huiusmodi autem illæ opus habent. Violenter igitur eo per testiculos, vtpote potentiori facultate præditos, quam venæ detracto, venæ ipse rursus à supra positis reuellunt, hæ vero rursus àb his quæ deinceps sitæ sunt, deinde hæ rursus à vicinis, atque hoc fieri non cessat, donec ad omnem corporis particulam transsumptio perueniat, adeo vt omnes totius animalis partes proprio alimento euacuentur. Reuellit enim semper id quod perfecte est euacuatum, ab eo quod plus

habet velut violenter eripiens. Hoc igitur quum ſemper fiat, & omnia velut in choro inter ſe mutuo participent, in tãtum ſane omnia vaſa ac partes totius animalis euacuari neceſſe eſt, donec fortiſſima ex omnibus pars depleatur. Neque vero ſolam ſeminariam humiditatem ab omnibus animalis partibus auferri continget hoc tempore ſed etiam ſpiritum vitalem. Nam & hic ex arterijs vna cum ſeminali humiditate euacuatur. Quare nihil mirum eſt, immoderato coitu vtentes imbeciliores reddi, à toto corpore vtroque ſynceriſſimo ablato, accedente inſuper voluptate, quæ ipſa per ſe ſufficiens eſt vitalem firmitatem diſſoluere, adeo vt etiã quoſdam ex nimia voluptate ac iucunditate mortuos eſſe conſtet. Quæ omnia Marſilius Ficinus libro primo de ſanitate tuenda, capite ſeptimo his etiam confirmat verbis. Venereus, inquit, coitus ſi vel paululum vires exceſſerit, ſubito exhaurit ſpiritus, præſertim ſubtiliores, cerebrumq; debilitat, labefactat ſtomachum atque præcordia, quo malo nihil ingenio aduerſius eſſe poteſt. Curnam Hippocrates coitum comitiali morbo ſimilem iudicauit? niſi quia mentem, quæ ſacra eſt, percellit, tantumque obeſt, vt Auicenna in libro de animalibus dixerit. Si quid ſpermatis ſupra quam natura toleret, coitu profluat, obeſſe magis, quam ſi quadragies tantundem ſanguinis emanarit, vt non iniuria priſci Muſas atque Mineruam virgines eſſe voluerint. Plura de hoc lege apud Galenum, capite octuageſimo ſexto artis medicinalis. Paulum Æginetam libro primo, capite trigeſimoquinto, & Aetium lib 3. cap 8.

Sextum, ætas, vel maior vel minor, quam phlebotomia requirit, qualis eſt infantiæ, & ſenij. Horum omnium meminit Auicenna 4. 1. capite 20. in hunc ferme modum ſcribens. Cauere debes à venæ ſectione in complexione vehementis frigiditatis, & in regionibus fortis frigiditatis, & in hora fortis doloris. & poſt balneum reſolutiuũ,

& poſt

& post coitum, & in ætate quæ est minor 14. annis quanto plus poteris, & in ætate senum, quãto magis poteris: nisi in figura confisus fueris, & in soliditate musculorum & venarum amplitudine, & earum repletione, & colorum rubedine: hos namque ex adolescentibus & senibus phlebotomare audebis. Adolescentes tamen secundum ordinem ad phlebotomandum paulatim prouehere debes cum pauca minutione.

Septimum, morbus prolixus: virtus enim temporis tractu exoluta non tolerat venæ sectionem, vt quæ à morbo plus satis iam debilitata phlebotomia facile exhauriretur. Galenus de curan. rat. per sang. miss. capite 20. Idem Auicenna etiam loco citato confirmat: In corporibus, inquiens, quæ prolixas perpessa sunt ægritudines, abstinendum à venæ sectione, nisi sanguinis affuerit corruptio, quæ ad hoc te perducat: quoniam tunc sanguinis subtractione vteris.

Octauum, nimia potus repletio.

Nonum, largior cibi ingestio, sub qua inconcoctio, siue cruditas etiam comprehenditur, causa horum omnium est, vt ex Auicenna. 11. doct. 6. capite 3. colligitur, quod tria sint materiam attrahẽtia, loca scilicet inanita, membrorum caliditas, ac totius corporis habitus. Sãguis igitur si sic affectis mitteretur, venæ proprio & commodo destitutæ nutrimento, quod nondum in ventriculo ac hepate concoctum est, attraherent, hoc vero in membra raptum non corrigeretur. Siquidem tertia concoctio, vt Galenus autor est, non emendat erratum secundæ, nec secunda primæ. Atque interim excrementorum copiam in corppre, ac inde tandem ægritudines prouenire necesse est. Tanto igitur tempore differenda est phlebotomia, quantum satisfacere tum ad eorum concoctionem, tum vt excrementa descendant, videbitur.

Præstiterit tamen intemperantibus vinosisque ac ventri gulæq; deditis, vt capite sexto libri de

curand.rat ,per ſanguin. miſſionem Galeno viſum eſt, à venæ ſectione in totum abſtinere, vt quos neque purgatione, neque ſanguinis miſſione magnopere adiuueris. Nam per vitæ intemperantiam, crudorum humorum copiam ocyſſime colligunt: verum his ne manum quidem admouere tentandum eſt. Quorſum enim attinet apud vulgum infamare præſidia, quæ multis fuere ſaluti? Galenus lib. 11. cap 9. method. medend.

Decimum, fragilitas, id eſt, debilitas virtutis: quippe ſanguine miſſo virtus ſemper ijs extremè concidit, nec poſtea reuocari recolligique poteſt. Galen. cap. 6. de c[illegible]ād. rat. per ſang. miſſ. & lib. 11. cap. 14, meth. med.

Vndecimum, os ventriculi ſupra modum ſenſile ſub quo imbecillum etiam comprehenditur, & quod amara bile redundat: ob hæc enim multi in venæ ſectione ante iuſtā euacuationem per initia ſtatim animo deſtituuntur.

Porro os ventriculi magno ſenſu præditum eſſe ex eo maxime conijcitur, inquit Auicenna, quod acria mordaciaque citra offenſionem nō facile tranſglutiat. Imbecillitatē arguit deiecta cibi potuſque appetentia. Amaræ vero bilis redundantiam, oris amaritudo, nauſeæque perſeuerantes, & bilis frequentiores vomitus oſtendunt. Hę itaque indicationes à ſanguinis ſubtractione dehortātur. Siquidem humores venæ ſectione exagitati ſic affectis ad os ventriculi haud raro, ceu ad conſuetū locum, confluunt: ſed cum id membrum debilius iam ſit, quam vt tali humorum confluxui reſiſtat, multa omnino ex ſanguinis miſſione contrahunt mala. Et hæc vna cauſa eſt, cur multi ex ipſis animo linquantur. Bilis namque in ſtomachum refuſa morſu ſuo cor nonnunquam ac cerebrum ἐις συμπαθέιαν, id eſt, in conſenſum trahit, ſyncopenque parit, quandoque vero ſubitam etiā adfert mortem. Galenus libro 9 capite 5. method. meden. & Auicenna loco citato.

Duodecimum, nausea: in hac enim si sanguis mitteretur, venæ exhaustæ prauam illam ac nauseosam ad se facile attraherent materiam. Neque ob dictas solum causas, sed ob alias etiam non paucas à phlebotomia interdum abstinemus.

Ac primo quidem ob αἱμοῤῥοΐδων mensiũque fluxum. Quod certe Galenus libro nono, capite quinto method. medend. his innuere verbis voluit: Si tempore, inquit, mittendi sanguinis mẽses moueri contigerit, siue etiam hæmorrhois sit reclusa, si inspecto fluẽtis impetu ipse satis fore videbitur, qui solus quod requiris vacuet, naturæ rem omnem permittes: sin minus, tantum ipse detrahes, quo ex coniunctis ambobus perficiatur quod postulas. Nonnunquam tamen reuulsionis etiam causa in immodicis sanguinis è naribus, vtero, sede aut thorace eruptionibus venæ sectio citissime conspicuam adfert vtilitatem.

Deinde ob corporeæ constitutionis raritatem, hoc est, humidam calidamque temperaturã. Eius enim substantia celerrime in ambientẽ dissipatur, alias in halitum sensibilem, alias in perspirationes, quæ visum fugiant, sed ratione deprehendantur. Itaque etiam huius causa aut prorsus venam non secabimus, aut parum detrahemus. Galenus lib. 9. cap. 17. method. medend.

Tertio, ob lentorem ac cruditatem humorum: hæc enim venæ sectione augentur. Vnde in diutinis morbis sanguinis missione vtendum non est, ne cruditas scilicet augeatur, virtus debilitetur, & morbus eousque producatur, vt nequaquam postea curari queat. Hinc præcipit Auicenna, vt in morbis chronicis pharmacia venæ sectioni præmittatur, & non contra, licet vtraque opus habeant ægrotantes.

Cruditas porro humorum duabus potissimum de causis accidere solet. Primum quidem ob aggrauantem humorum copiam, quę innatum calorem velut suffocando in tantum debilitat, vt ipsos

euincere

euincere postea nequeat. Et in hac phlebotomia vti licet, quemadmodum id ipsum Alexãder Trallianus libro 9. capite 2. in curatione Anasarcæ his confirmat verbis. Omnium curatio à vacuatione incipienda est, sed Ascitis quidem dicti aut Tympaniæ à sola purgatione. Cui autem Anasarca nomen est, ea venæ sectionem interdum requirit, vt quæ ex sanguine frigido nascatur. Ac frigiditatis quidem ratione illa non indiget, sed quoniam copiæ detractio naturam leuat, vt hæc minorem illã effectam facile superet, non alienum, sed rationi consentaneum est, hic quoque venæ sectione vti. Videmus enim quod etiam ignis externus, cum à lignis viridibus propemodum extinguitur, refocillatur rursus, si illa quæ ipsum suffocabant auferantur. Deinde vero ob caloris innati debilitatem vt hominibus frigidæ naturæ, quales à diuturno morbo conualescentes cumprimis sunt, & senes, phlebotomia ex vsu non est. Subtracto enim sanguine, qui fomes natiui caloris ac vitæ thesaurus est, necesse est vt corpus vehementius refrigeretur, humorumque cruditas augeatur. Sãguis igitur ipsis, vt humores concoquat & euincat, relinquẽdus est. Quinetiam post χόλεραν, diutinos vomitus, διαῤῥοίαν, inediam, vigilias, labores vehementiores, & vno verbo, post omnia quæ corpus impensius calfaciunt, excitantque ac vires dissoluunt, à venæ sectione abstinendum. vt copiose admodum docet Rhaces libro 6. capite 11. ad Almansorem.

QVAE CIRCA VENÆ SEctionem obseruanda.

CAPVT XCVI.

HÆc facienda tibi quando vis phlebotomari,
Vel quãdo minuis, fueris vel quãdo minutus,
Vnctio siue lauacrum & potus, fascia motus,
Debent non fragili tibi singula mente teneri.

Quin-

Quinque in sanguinis missione obseruanda esse hoc loco traditur: & ex ipsis alia quidem prius quã vena tundatur, quædã interea dum sanguis emittitur nonnulla vero eo subtracto.

Primum, est vnctio: alias enim membrum in quo vena incidi debet, oleo irrigatum fricamus, vt tepore eius sanguis reddatur fluxilis: interdum ipsi etiam φλεβοτόμῳ siue scalpello olei nonnihil allinimus, vt inflictum dolorem mitiget. Quandoque vero & vulneri olei cuiuspiam parum illinimus, quo nimirum cicatrice tardius obducatur, humoresque in venis relicti liberius expirent, & mali fumi discutiantur.

Secundum, potus: & præcipue quidem vini. Hoc enim cum in ipsa sectione, si syncope obuenerit, tũ post eam etiam ad boni sanguinis generationem spirituumque recuperationem conuenientissime exhibetur. Supra cap. 8 & 10.

Tertium, lauacrum, id est, balneum: quo certe per biduum aut triduum ante & post sanguinis missionem vti conceditur, nequaquam vero eodem die. Ante quidem, in illis quos crassorum humorum copia aggrauari suspicio est, hos enim balneum incidit, mobilesque facit ob eandem etiam causam paululum dimoueri ante phlebotomiam conuenit, & assumere nonnihil syrupi acetosi. Eodem quoque tempore membrum incidendæ venæ fricandum est, vt humores è propinquis venis ad locum sectioni destinatum alliciantur, & ad exitum properent. Post vero emissionem sanguinis, valet ad humorum vaporumque reliquias discutiendas. Verũ eo supersedere in ipso die oportet, cutem enim nimis reddit mollem; quo fit vt plaga facillime cedat, quod non est citra periculum.

Quartum, fasciæ, hoc est, ligatura, ex pannis scilicet lineis, quas tam ante, quam post venæ sectionem administrari oportet. Ante quidem, & vt inde venæ incrassescant conspicuæque magis fiãt, & vt humores ad constitutum incisioni locum facilius

cilius prolectentur. Post vero, ad sistendum reprimendumque fluxum.

Quintum, motio siue inambulatio, moderata nimirum ac tranquilla: qua quidem & ante & post venæ incisionem vti conuenit: ante quidem, vt humores dissoluantur extenuenturque: post vero, ad dissipandas humorum reliquias.

Ea hodie apud vulgum inualuit consuetudo, vt venæ ieiuno fere ac vacuo incidantur stomacho: sed hoc ipsum Doctoribus quibusdam minus probatur, vt quibus conducibilius esse videatur, vt ouum molliusculum siue sorbile cum haustulo vini prius exhibeatur, idque circiter horam nonam, vel decimam ante meridiem, ac confestim deinde vena incidatur. Natura enim stomacho existente vacuo, ne alimento destituatur, sanguinem pertinacissime retinet. Contra vero pauculo eoque exigua mole plurimum nutriente (cuiusmodi vinum & oua sorbilia cumprimis habentur) ingesto cibo, eundem facillime exire patitur.

Porro quod ad diei, in quo fit venæ sectio tempus attinet, sciendum sanguini mittēdo conuenire maxime tempus matutinum, sic tamen vt non protinus excitis è somno, sed horam vnam antea vigilantibus vena secetur. Quibusdam etiam posteaquam rerum solitarum quidpiam obierunt, siue in ludo literario, siue in officina, siue in foro, siue in ædibus, sanguinem auferre expedit. Ægris autem nullum est venæ sectionis præscriptum tempus, quamobrem nec per noctem sanguinem mittere ijs, si morbus sic expetat, verearis. Sic Galenus in libro de curand. rat. per sanguin. miss. capite decimotertio & vigesimo, & in præsagio experientia comprobato, capite 4.

Oribas. li. 1. cap. 11. Synops. ad Eusta. Aetius lib. 3. cap 6.

DE

DE QVIBVSDAM PHLEBOtomiæ effectibus.

CAPVT XCVII.

EXhilarat tristes, iratos placat, amantes,
Ne sint amentes phlebotomia facit.

Hic tres phlebotomiæ referuntur effectus.

Primus, quod contristatos exhilaret, ac lætos reddat.

Secundus, quod animos iratorum placet reconcilietque. Ac vtriusque quidē causa est, quod hæc, scilicet ira maxime fiat, cum sanguini admiscetur multum flauæ bilis: illa vero nempe tristitia, cum multum melancholiæ: sed horum humorum vterque vna cum sanguine per phlebotomiam educitur, ergo, &c.

Tertius, quod præcaueat, ne amantes ob rabidos quosdam appetitus ad insaniam adigantur: humores enim à capite ad partes subiectas reuellens expellit.

Ob quinque porro causas venæ sectio adhiberi solet, quarum vna tantum directa est, reliquæ vero omnes indirectæ.

Directa sane habetur sanguinis vacuandi causa ipsius abundantia, sed cum is vtilis sit naturæ, propе hanc administrari conuenit, sic vt quod inutile naturæ sit emittat. Fit autē sanguis naturæ inutilis bifariam, vel cum propriam qualitatem ad vnguem nō seruat, nec amplius nutrire sicut prius, cum vtilis esset, potest, vel ita multitudine creuit, vt aut vires premat, aut tum venas, tum arterias vel distendat, vel findat, vel obstruat. Ac in his quidem missio sanguinis vtilis est, ceu vacuantium præsidiorum vna. Differenter tamen adhibenda est. Siquidem in sanguinis multitudine copiose detrahere, in reliquis vero pauca vacuatione vti oportet. Hinc est quod libro nono, capite decimo, method. medend. Galenus in hunc prope modum

scriptum

scriptum reliquit. Si sanguis vitiosus in corpore fuerit, paulatim quod vitiosum est, vacuare oportet, & paulatim inuicem quod salubre est pro eo reponere. Vocant medici eiusmodi vitiosi succi curationem Græce ἐπικρασιν. Huic subscribit Alexander etiam Trallianus libro nono capite secundo, his verbis: At hoc non vna vice faciendum est, ne vires deijciantur. Etenim quamuis id quod vacuatur recrementitium est, tamen vniuersa ac subita mutatione magis offendit. Satius igitur est paulatim & tuto euacuare, quam festinando perturbandoque vna cum morbo etiam ægrum è medio tollere. Atque hinc certe liquet, quam peruerse phlebotomia abutantur qui vitiosum sanguinem studiose auferunt tam diu dum bonus effluere cœperit, cum vniuersus forte sanguis citius erupturus sit, quam bonus appareat Paucam igitur esse decet, & vt Galenus præcipit, in eiusmodi casibus ante venæ incisionem ἐπικρασει vtendū est hoc est, cibus exhibendus est probum generās sanguinem, quo nimirum in vitiosi locum bonus succedat: ac paulo post sanguis extrahendus est modicus. Hæc quidem directa dicitur phlebotomia: quod per se fiat, ad euacuationem illius quod per se venæ sectione euacuari debet. *nempe ad multitudinis humorum, siue sanguinis euacuationem: principaliter tamen secundum quod cum eo sunt humores.

Reliquæ quatuor dicuntur indirectæ: & administrantur, vt humorum vehementiorē impetū ad diuersam reuocent partem, vel ad latera deriuent.

Prima, adhibetur ob magnitudinem morbi, siue vehementiorē apostematis cuiuspiam inflammationem. Nam in apostemate vehementis inflāmationis, in febribus, & doloribus maximis, non inuenitur excellentius remedium quam sectio venæ, teste Galeno lib. 1. aphor. commentar. 23.

Secunda, vt materia alliciatur ad locum, per quē euacuanda est: vnde in mensium atque hæmor-

thoidon

rhoidon suppressione saphena aperienda est, quẽadmodum in libro de curand. rat. per sang. missionem capite 9. in hunc scribens modũ Galenus atte statur, Plenitudines à suppressis mensibus ortas omnino per crura euacuabis, siue venam secare oporteat, siue sacrificare. Sectæ enim in cubito venæ mulierum reuellere purgationem assolent.

Tertia, vt humores deriuentur ad partem oppositam loco, ad quem sua sponte rapiuntur, & hoc quidem, vt materia à membro, in quod confertim ingruit, auocetur reuellaturque, & propterea in immoderatiore mensium fluxu secamus basilicã, id est, interiorem cubiti venam, quæ hepatitis etiã vocatur, vt reuulsa materia ad locum oppositum à fluxu suo diuertatur.

Quarta, vt portiuncula materiæ quapiam per venæ incisionem euacuata, natura residuum euincere valeat. Atque ita tandem venam incidere conuenit, vbi repletio in corpore fuerit, ne generetur apostema, virtute scilicet imbecilliore existente, quam vt vniuersam illam humorum redundantiam simul moderetur ac regat. Ideo portiunculam eius emittimus, ne ob naturæ impotentiam imbecillitatẽque in debiliores partes ingruens, inibi abscessus aut tumores præter naturã excitet.

DE SCISSVRÆ QVANTITATE in venæ sectione.

CAPVT XCVIII.

Fac plagam largam mediocriter, vt cito fumus,
Exeat, vberius liberiusq; cruor.

Hic vnicum habetur præceptum de scissurę quãtitate in venæ sectione, nempe vt ea mediocriter sit ampla, quo nimirum crassior sanguis ac fumi liberius exeant. Fissura enim stricta existẽte tenuior sanguis duntaxat effluit, crasso intus remanente. Vbi hoc quoque sciendum, quod in venę sectione aliquando amplum, nonnunquam vero arctum

arctum infligere vulnus oporteat. Et amplum quidem, tribus maxime de causis. Primo. cum humore sunt crassi, & crassior sanguis educendus est: vt fascilius exire queat. Hinc melancholicis etiam amplum infligendum est. Secundo, ob temporis ac regionis frigiditatem: per eam enim humores crassescunt, quare per hyemem, sic necessitate iubente, amplo potius vtendum est vulnere. Tertio, ob redundantiam humorum, qui melius certe amplo, quam arcto, euacuantur vulnere. Contra vero arctum vulnus magis conuenit, cum virtus imbecilla est, ne scilicet immodice spiritus excernantur, & calor innatus extra modum debilitetur. Eadem habenda est ratio in calido tempore, & cum sanguis subtilis ac tenuis euacuatur.

QVÆ IN VENÆ SECTIONE consideranda.

CAPVT XCIX.

Sanguine subtracto sex horis est vigilandum,
Ne somni fumus lædat tibi sensile corpus,
Ne neruum lædas, non sit tibi plaga profunda.
Sanguine purgatus ne carpas protinus escas.

Primum, vt is cui vena secta est non dormiat illico post phlebotomiam, nisi sex ad minus horæ præterierint, ne fumi scilicet, quos somnus efficit, sur-

rursum ad caput euecti cerebrum offendant. Possunt, tamen & aliæ adsignari causæ. Ac prima quidem, ne æger vertendo sese inter dormiendum supra membrum voluatur, in quo vena secta est, itaque læsionem percipiat. Secunda, ne inter dormiendum humores transfluant in partem ex scalpelli ictu dolentem, inibique apostemata generent. Siquidem partes dolentes, vt capite 95. artis medicinalis, & in libro de curã. rat. per sanguin. missio. capite septimo, Galenus asserit, natura solent fluxionem suscipere, & præcipue quidem in somno. Auicenna vero hanc adfert causam, nempe quod ex dormitione phlebotomiæ propinqua plerunque accidat in membris confractio. Dum enim huc & illuc inordinato atque inopinato voluuntur reuoluunturque motu, facile dissoluuntur quo fit vt rectæ & adhuc à recenti sectione hiantes plagę immodicam nonnunquam sanguinis vim inscientibus effundant: quod quam sit vitæ discrimini coniunctum, nemo est qui ignoret. Ad hæc fumida quoque excrementa per somnum intro rursum ad principalia reuocantur membra. Quinetiam spiritus, sanguis & calor venæ sectione ad exteriora prolectati per somnum ad centrum retrahuntur, atque ita certe haud raro cum ob venæ sectionem excitatam commotionem, tũ somni quoque retractionem, ebullitio in humoribus cõtingit, ac inde febris tandem accenditur. Satis igitur liquet, confestim à venæ sectione non esse dormiendum: præsertim si interea nihildam cibi ingestum fuerit. Quod si vero à cibi sumptione in vnam atque alteram horam, imo & in plusculas (ita si patitur animus) somno indulgeatur, nihil aut parum admodum offendit. Siquidem exagitatio humorum tanto temporis spacio ad plenum contrahi sedarique potest. Satius tamen fuerit à somno abstinere: aut certe si qua necessitas dormire omnino cogat, quam breuissimo vti somno, adhibita semper cautione quadam, ne discinctæ fasciæ

ciæ ægrotantes in vitæ diſcrimen adducant. Nonnulli hanc quoque adſignant cauſam, nempe quod materia per ſomnum craſſeſcat, confractioque in membris eueniat, perinde atque in quartanę typo ob materiæ craſſitiem frigiditatemque ſolet. Tum nerui præterea atque lacerti frigidi ſunt, fumus igitur ad ipſos perlatus in ſomno, in quo calor naturalis totus in profundum corporis retrahitur, craſſeſcit ſimul & refrigeratur, is ſic refrigeratus & craſſior effectus frigiditatem quoque & craſſitiem, ſiue confractionem cum membris communicat. Simili namque à ſimili facile afficitur. Et hæc quidem de ſomno phlebotomiæ propinquo, & non de remotiore intelligenda veniunt.

Secundum, nec venæ ſector profundam nimis incutiat plagam, ita vt ſcalpello neruum, aut arteriam venæ iunctam attingat. Nerui enim punctura ob ſentiendi præſtantiam, ob idque quod cum principio pars hæc continuitatem habet, prōpte dolorem accerſit, quem neceſſario comitatur humorum defluxio, hanc excipit phlegmone, quam ex neceſſitate deinde non ſolius quidem pūcti nerui, ſed totius etiam inſtrumēti conſequitur conuulſio, & inde acerbiſſima tandem mors, vel ad minus membri, vtpote brachij aut digiti, & c. amiſſio. Quod Cornelius Celſus libro 2. capite 10. his etiam verbis ſignificare voluit. Iuncta eſt, inquiens, vena arterijs, his nerui. Ita ſi neruum ſcalpellus attigit, ſequitur neruorum diſtentio ea quæ hominem crudeliter conſumit. Lege Galen. cap. 92. artis medicinalis, & lib. 1. cap 2. de motu muſculorum & lib. 6. cap. 2. method. medend. Porro ex arteriæ punctura fluxus ſequitur ſanguinis arterialis difficillimæ curationis.

Tertium, ne is cui vena ſecta eſt, protinus à miſſione ſanguinis cibum ſumat, ſed expectet dum humorum exagitatio ſedetur, ne cibus nondū cōcoctus ad ſubueniendum membro læſo cum ſanguine

guine simul attrahatur. De hoc Galenus lib. 4. c. 10. de sanitate tuenda.

QVÆ POST PHLEBOTOMIAM VITANDA.

CAPVT C.

Omnia de lacte vitabit rite minutus,
Et vitet potum phlebotomatus homo,
Frigida vitabit, quia sunt inimica minutis,
Interdictus eritq; minutis nubilus aer.
Spiritus exultatque minutis luce per auras,
Omnibus apta quies, & motus sæpe nociuus.

Hic quinque ab incisa modo vena cauenda esse præcipitur.

Primum, lac & lacticinia omnia. Siquidem ex humoribus venæ sectione agitatis ac commotis sæpe in ventriculum nonnihil transfluit. Lac igitur, quod per se alioqui corruptioni obnoxiū est sumptum dictisque humoribus admistum facillime omnino & corrūpitur, & dulcedinis ratione incoctum ac crudum ab inanitis venis attrahitur. Supra cap. 7.

Secundum potus: quippe qui & ipse pari modo incoctus facile ab ijsdem abripiatur. Supra capite 95.

Tertium. frigida omnia, tam intro sumenda, quam foris admouenda. Eiusmodi autem cumprimis sunt, alimenta frigidiora, potus frigidus, balnea frigida, ambientis nos aëris frigiditas, vestium exilitas, super petram nuda sessio, capitis ac pedū frigiditas. Hinc enim corpus, calore nimirum innato plus satis iam venæ sectione imminuto, præter modum refrigeraretur.

Quartum, ne is, cui vena secta est, versetur siue ambulet in aere turbido ac nebuloso: hic enim est qui (vt supra capite decimoquarto ostēdimus) sanguinem melancholicum efficiens animā contristat: sed versetur potius incedatque in aere luci-

do, claro atque sereno. Hoc enim spiritus recreantur omnes, & iucundissima quadam voluptate distracti, ad eum ceu sibi similem promouentur.

Quintum, vt idem temperatam amplectatur quietem, motionemque vitet. Hæc enim humores venæ sectione agitatos magis adhuc commouet, & vires vsquequaque debilitat: illa vero commotionem contrahit ac sedat.

Sunt qui tradant cauendum etiam esse à salitorum piscium vsu, postquam vena alicui incisa est: ἀλίφες τε γὰρ πολλάκις καὶ ψώρως ἀπογεννῶσιν, id est, vitiligines enim & scabiem sæpenumero gignunt. Simeon Sethi in Syntagmate de piscibus.

QVIBVS MORBIS ET ÆTATIbus phlebotomia conueniat, & quantum sanguinis quoque tempore detrahendum.

CAPVT CI.

Principio minuas in acutis, perperacutis.
Ætatis media multum de sanguine tolle.
Si puer atque senex tollet vterque parum.
Vir tollat duplum, reliquum tempus tibi simplu.

Quatuor phlebotomiæ præcepta hoc loco traduntur.

Primum, vt in principio acutorum & peracutorum morborum vena incidatur: pro cuius pleniore intelligentia sciendum initio, peracutum morbum esse duplicem: exquisite peracutum qui vltra quartum non producitur diem (hunc recentiores Medici barbaram sectantes medicinam, peracutum vocare solent.) Non exquisite peracutum, cuius vigor in septimo futurus est. Hi itaque morbi cum breues sint, ac statim summos, id est, maximos obtineant labores, neque inducias concedãt, illico per initia curandi sunt.

Iidem porro, quod à calidis magna ex parte humoribus, sanguine nimirum & flaua bile, nascantur, venæ sectionem potissimum exposcunt. Hinc non temere Hippocrates libro quarto de victus ratione in morbis acutis aphorism. 19. ita scriptum reliquit: In acutis morbis sanguinē detrahe, si vehemens morbus videatur, floruerítque ægrotanti ætas, & virium adfuerit robur.

Secundum, quod in ætate media siue florenti, ab anno nimirum 30. ad 45. vel 50. copiosius quam in alijs sanguis detrahendus sit. Etenim hic corpus solidum esse incipit, quod nequaquam tantum sanguinis quantū solebat, in se traducit, sed plus solito in venis relinquit. Quo fit vt eius subtractio incrementum non impediat, neque virium robur dissoluat. Corpus namque in ea ætate neque augeri sensibiliter, nec imminui, sed velut stare videtur.

Tertium, quod senibus ac pueris parum sanguinis detrahendum sit: vt per pueros intelligamus etiam eos, qui pubertatis, hoc est, 14. ætatis annū excesserunt. Nam vsque ad pubertatis initium tota illa ætas pueritiæ mollis est & tenerior, quam quæ phlebotomiam toleret: quoniam licet concoctio & nutricatio in ijs liberalis sit, tamē spiritus & sanguis modicus, vtpote qui continuo atque affatim in corpus, quod nutriri simul & augeri postulat, transfunditur: neque natura citra noxā illius vacuationem sustinere potest. Nā esto quod natura nostra in solidis habitet, tamen ad immodicam omnem euacuationē labefactatur, aut interit. Pubertas ergo primam sanguinis missionem tolerat. Hic igitur pro mutatione naturæ sanguinem mittere licebit, neque tamen id facere decet affatim, sed admodum breuiter.

Porro per senes eos inaudire oportet, qui adhuc in prima atque secunda senectute consistunt. In his enim audacia mittēdi sanguinis paulatim de-

crescit,adeo vt in decrepitis , hoc est,post 70.annum ob virtutis imbecillitatem vix liceat. Plura Galenus in libro 4.Hippoc.de vict. rat.in morbis acu.comm.19. & ibidē etiam Hieremias Thriuerus Brachelius.

Quartum, quod dupla sanguinis portio,respectu nimirum reliquorum temporum, vere detrahenda sit.Tunc enim sanguinem maxime crescere in corporibus nostris apud omnes medicinæ scriptores in confesso est. Cæterum quod ad primum præceptum attinet,regulæ nōnullæ circa sanguinis missionem obseruandæ sunt.

Ac prima quidem, vt ab initio morbi non fiat phlebotomia. Medicus enim , vt capite 87. artis medicinalis,& comment.22. lib.4. aphor.Galenus adserit, naturæ minister est. Sed natura ipsa nunquam in morbi principio dum crudi adhuc sunt humores,vllam vacuationem instituit.Ergo nec medicus ipse in principio morbi, dum adhuc omnia cruda sunt,vacuationē vllā moliri debet. Cruda enim cum vacuationi non obediant,grauia ea de causa symptomata excitant. Galenus comment.22. lib.1. aphor.

Fallit tamen hęc regula in tribus casibus.Primo, quādo noxij humores turgent,hoc est,sua sponte concitati ad excretionem nos adducunt, tum enim in principio etiam morbi nondum coctis humoribus vacuare licet, ne scilicet humores parum stabiles,& ab vna parte ad aliam sine ordine moti,ad principem aliquam partē decumbant. Raro autem accidit vt humores mobiles ab vna parte ad aliam transfluant ,sed plerunque sunt in parte aliqua firmi ac fixi,ideoque non est in principijs morborū vacuandum,nisi rarissime,hoc est quando humores turgent . Hinc non temere 4.1. cap.20.& 22.3.tract.2,cap 7.& 1.4.tract 1.cap.33.ab Auicenna præcipitur, vt in principijs morborum venæ incisio penitus dimittatur,vt que superfluitates extenuet , vt per corpus fluant ac sano san-

guini permiſceantur, non extrahat tamen quod extrahi neceſſe erat: quo fit vt poſt temporis interuallum phlebotomiam repetere oporteat, interim eodem die, interim poſtridie. Atque hinc profecto vires nimium debilitantur.

Secundo, in materiæ multitudine: hic enim circa principia quandoque, quemadmodum comment. 29. lib. 2. aphor. Galenus teſtatur, venæ ſectionem, nonnunquam vero & purgationem adhibere oportet, quo minorem iam factam materiam natura poſſit concoquere.

Tertio, in morbi magnitudine ac vehementia, vt in magno vehementiſſimique doloris apoſtemate: licet non ſit multa in corpore materia, ſcilicet antecedens. Nam repellendus humor eſt, ne apoſtema citius, quam par eſt, crepet aut aperiatur. Venæ igitur ſectio, vt magna hæc & parua ſymptomata euitētur, circa initia ſtatim adhibēda eſt. Quod Galenus libro decimotertio, capite vigeſimo, method. medend. his innuere verbis voluit, inquiens: Itaque incidēda in talibus affectibus vena ſtatim ab initio, ſi modo tam valens virtus ſit, vt ſine noxa miſſionem ſanguinis toleret, ac nihil prohibeat eorum quæ de ſecanda vena retulimus, ſicuti vel crudi humoris copia, vel puerilis ætas, vel anni tempus, vel regio, in qua ſit extremus calor aut frigus. Non ſolum autem in morbis acutis, atque adeo inflammationibus, verum etiam in vulneribus & contuſionibus particularum, præſertim nobilium, ſanguis ex oppoſita parte mittēdus eſt, vt inflammatio prohibeatur, etiamſi ſanguis modicus fuerit.

Secunda, ne fiat phlebotomia in die motus ægritudinis, velut in criſi: vt in qua neque venæ ſectio neque aliqua alia vacuatio tentanda ſit: ne materia ſcilicet diuertatur à loco, ad quem natura ipſam, vt excernatur, pellit. Pari modo nec in ipſo paroxyſmo tale quippiam tentandum: recteque commentar. 29. libro ſecundo aphoriſm. Galenus

præcipit, vt morbo iam consistente neque venæ sectio, neque purgatio adhibeatur, quod coctiones morborum tunc maxime fiant: quæ melius in quiete, quam motu perficiuntur. Cæterũ sicuti se habet status ad integrum morbum, ita & paroxysmus respectu dierum ἀπυρεξίας, id est intermissionis: quemadmodum igitur in statu non est vacuandum, ita nec in paroxysmo.

Tertia, ne phlebotomia circa initia statim morborum fiat, quando crisis adhuc remota est, Sanguis enim insiti caloris fundamentum est, ipsum nimirum sustinens, licet cor generet, & spiritus ipse deferat: sed sanguis est fundamentum eius: ex ipso enim vt materia natiuus calor gignitur: per sanguinis igitur subtractionem calor, qui coquere materiam morbi debebat, vacuatur: quo fit vt morbus in longum protrahatur, viriumque robur deijciatur, vt timendum sit, ne ob morbi diuturnitatem ac virium imbecillitatem natura succumbat.

Auerrh. lib. 7. cap. 1. collect.

Quarta, ne in corpore, cui stercus multum inter intestina cohibetur, phlebotomia adhibeatur, Tria enim sunt, velut supra capite 95. ostendimus attrahentia: loca scilicet inania, membrorum caliditas, ac totius corporis habitus. Venæ igitur sanguinis missione exhaustæ à membris rursum propinquis attrahunt, quemadmodum & mesaraicæ è ventriculo: quo fit, vt aluus magis cohibeatur, & materia in venis contenta corrũpatur. Mesaraicæ enim humiditatem è stercore penitus exugentes ipsũ exsiccant. Proinde molli clystere aut subiecta glande æger prius vacuandus est, ne venæ putridam quampiam superfluitatum essentiam ab intestinis venentur attrahantque. Galenus in Præsagio experientia confirmato, cap. 5.

Quinta, vt ne frequens ac multa phlebotomia fiat: Hinc enim circa senium multi ac mali generantur morbi, sicut est epilepsia, apoplexia, & paralysis, siquidem ob sanguinis & caloris imminu-

minutionem multæ generantur phlegmaticæ superfluitates, quæ dictas tandem ægritudines excitant. Hinc non temere vulgo dici solet, Qui in iuuentute phlebotomiam exercent, hoc est, sanguinis missione citra necessitatem sæpius vtuntur, senectutem deflebunt.

Sexta, ne venæ sectio adhibeatur mulieri, cui menses fluunt, aut vtero gerenti. Vtero gerenti quidem ne abortiat: calor enim cibum concoquēs venæ sectione diminuitur, & alimentum a fœtui subtrahitur, & maxime quidē si is auctior fuerit. Nam fœtus ex mensibus nutritur: cum autem nō inueniat, vnde nutriatur, fame conficitur, & mouetur, & dissoluitur, exciditque ex naturalibus vinculis: magis autem hoc contingit, si maior sit fœtus, quippe qui maiori indiget alimento. Non inuenit autem, ipso sanguine misso: Plura de hoc Leonhardus Fuchsius comment 3'. lib. 5 aphor. Hippoc. Cui vero menses fluunt, naturaliter scilicet & secundum resolutionem mensis, vena secanda non est, nisi in immoderatiore fluxu, nempe ad reuellendam materiam. Sed quando naturaliter & secundū debitum naturæ cursum erumpunt, naturæ res omnis permittēda est, supra c. 95.

Septima, ne phlebotomia fiat post immodicam vētriculi perturbationem, infra & supra factā quā χόλεραν Græci, Latini choleram etiam appellāt: Barbarā sectantes medicinā cholericā & choliticam passionem nomināt. Cū enim venæ sectione humores commoueantur, timendum, ne per hoc biliosus humor in ventriculū transfluens ipsū inflammet. Plura supra, circa finem capite 95.

Postremo videndum etiam est, quibus hominibus phlebotomia conueniat: cuius sane rei regulæ etiam nonnullæ ponendæ sunt.

Ac prima quidem, quod hominibus delicatis, otiosis, desidiosam vitam agentibus, valde corpulentis & multum nutriente cibo vtentibus potissimum conueniat.

Secunda, quod illis etiam, qui sanguine abundant: quod quidem per vrinæ crassitiem cognoscitur. Abundantia enim sanguinis eam efficit crassam: flaua vero bilis, tenuem.

Tertia, quod ijs quoque ex vsu sit, qui melancholico abundant succo: vnde multa melancholia naturali cum sanguine per corpus discurrēte, quod ab ea sanguis in hepate ad amussim non depuretur, purgationem antecedere debet, phlebotomia, sequi vero purgatio. Duplex porro melancholia est, naturalis scilicet, & non naturalis. Qnando naturalis abundat, cum sanguine simul discurrit: quare ad eius euacuationem primum quidem venæ sectio adhibenda est: ab eodem enim calore temperato nimirum, sanguis & melācholia generantur: deinde vero post temporis aliquod interuallum, nempe post concoctionem, purgatio phlebotomiæ succedit.

Quarta, quod illis cumprimis etiam conferat, in quibus periculum est, ne ob humoris redunvantiam in corpore accidat calfactio, ebullitio & conturbatio. Nonnulli tamen per hanc regulam sæpenumero falluntur. Quando enim calfactionem aliquam percipiunt, humorum ebullitionem adesse suspicati, venæ sectione statim vtūtur, cum ex flauæ bilis feruore & incensione hoc interim accidere etiam possit. In qua sane tantum abest, vt calfactio & ebullitio per venæ incisionem cohibeatur, vt magis etiam incitentur & augescant. Phlebotomia enim humores commouet, vt maiore deinceps impetu per corpus discurrant. In tali igitur casu phlebotomia vtendum non est, nisi sit ex humorum redundantia. quod quidem ex sudoris multitudine dignoscitur & præcipue cum is matutino tempore oboritur: Aliqui enim non sudant, nisi cum euacuatione opus habent.

Quinta, quod venæ sectio illis potissimum adhibenda sit, quibus vires adhuc firmæ sunt, quiq; san-

ſanguineæ, & non frigidæ ac ſiccæ ſunt tempera-turæ. Hinc Rhazes lib. 7. ad Almanſorem, cap. 21. Corpora, inquit, quæ venas habent amplas & conſpicuas, quæque hirſuta ſunt, & colore & inter rubrum fuſcumque medio, adoleſcentium nimirum, iuuenum, & ſenum nondum decrepitorum, phlebotomiæ præſidia magis tolerare poſſunt. Pueris vero & infirmis vena ſecanda non eſt, niſi maxima incumbente neceſſitate.

QVÆ MEMBRA QVOQVE tempore venæ ſectione vacuanda.

CAPVT CII.

Ver, æſtas dextras, autumnus, hyĕsq; ſiniſtras
Quatuor hæc membra, hepar, pes, cepha cor, vacuanda.
Æſtas hepar habet, ver cor, ſicq; ordo ſequetur.

Hic oſtenditur, quæ membra quoque tempore per phlebotomiam ſint vacuanda.

Ac primo quidem dicitur, vere & æſtate venas dextræ partis eſſe ſecandas; dextræ ſcilicet manus brachij vel pedis. Sed autumno ac hyeme ſiniſtras: ſiniſtræ nimirum manus, brachij, vel pedis. Vere enim creſcit atq; augetur in corpore ſanguis, æſtate vero flaua bilis: quo fit, vt vere ac æſtate vacuandæ ſint venæ, quæ ſanguine & flaua bile magis abundant: tales autem cumprimis ſunt venæ dextræ: Siquidem in dextra corporis parte ſitum eſt membrum ſanguificationis, nempe hepar, & κύστις χοληδόχος id eſt, folliculus flauæ bilis. In autumno vero humor generatur melancholicus: qui aceruatur etiam, nec diſſoluitur per hyemem, vnde autumno & hyme illæ venæ potiſſimum ſecandæ ſunt, in quibus melancholia magis dominatur, ſuntque venæ ſiniſtræ. Nam in ſiniſtra corporis parte ſitus eſt lien, receptaculum melancholiæ.

Secundo deinde loco traditur, quatuor hæc mēbra, nempe, κεφαλὴν, id est, caput, cor, pedem & hepar, vacuanda esse iuxta quatuor anni tempora. Cor quidem vere, hepar æstate, caput hyeme, & pedes autumno.

DE COMMODIS EXSECtione Saluatellæ.

CAPVT CIII.

EX saluatella tibi plurima dona minuta,
Splenē, hepar, pectus, vocē, præcordia purgat,
Innaturalem tollit de corde dolorem.

Sex commoda hoc loco recensentur sectionis venæ, quam saluatellam vulgo vocant. Ea inter digitum medicum & medium frequenter admodum & sæpissime inciditur. Alius incisionis eius locus est. vt vulgus autumat, inter medicum & auricularem.

Ac primum quidem eius commodum, quod lienem expurget.

Secundum, quod iecur emundet.

Tertium, quod pectus purificet.

Quartum, quod vocis auferat incommoda,

Quintum, quod à nocumento tueatur, ac conseruet præcordia: quo nomine os ventriculi, mēbra spiritus, & quæcunque cordi vicina hic intelligenda sunt.

Sextum, quod non naturalem cordis dolorem tollat: ac ratio quidem omnium est, quod huius venæ sectio, vt latius pauló post declarabitur, ab omnibus illis locis sanguinem educat.

Pro pleniore autē huius rei intelligentia primo quidem sciendum est, aperiri nonnunquā venas, nonnunquam vero arterias. Verum propter difficilem fluxus arteriæ compressionem arterias Medici incidere metuunt: quippe cū si quis in secanda forte vena arteriā vulnerarit, ægre statim sanguinis eruptionem compescat, ac vbi res optime

cadat

cadat ad cicatricem perducta diuisione, tamen ἀνεύρισμα, hoc est. arteriæ incisæ dilatatio existat, teste Galeno in libro de curand. rat. per sanguin. missio cap. 21. & 22. Difficilis porro est fluxus arteriȩ compressio, partim quidem ob arterialis sanguinis feruorē: hic enim promtissime mouetur, arteriamque dilatando aperit: quare sanguinis eiaculationem in arteriæ incisione admodum iuuat: Partim vero, quod motus arteriarum, vt libro secūdo, capite vigesimo, de sanitat. tuend. Galenus attestatur, nunquam intermittatur, quo fiat, vt ipsarum vulnera tardius etiā curentur: cum vtique quietem requirant ea, quæ sananda sunt. Galenus libro quinto, capite octauo, meth. med. & commentar. 6. lib. 6. aphoris. Prodest autem arteriȩ incisio quando corpus redundat sanguine tenuiore aut flatuoso, aut feruidissimo. Sedes enim sanguinis subtilis ac tenuis, vnde calor naturalis & spiritus procreantur, atque itē flatuosi, in arterijs est. Quin feruidissimus etiam sanguis, qui à calidissimo membro, corde scilicet, perficitur, inq; singula corporis membra digeritur, in arterijs continetur. Crassioris vero quo membra nutriuntur, receptaculum in venis est. Sane vero, quæ Galeno occasio extiterit secandæ arteriæ. ipse capite 22. de curādi rat. per sanguin mission. asserit. Monitus, inquit, per quædam insomnia, quorum duo perspicue mihi visa sunt, accessi ad dextræ manus arteriam inter indicē ac pollicem sitā sinique fluere, donec sponte sanguis subsisteret: nam ita somnium præceperat. Effluxit autē non tota libra. Subito itaq; diuturnus extinctus dolor est, in illa maxime parte fixus, qua iecur septo transuerso committitur. Mihi quidem hoc ætate iuuenili euenit. At minister Dei Pergami diutino lateris cruciatu laborans liberatus est arteriam summa manu incisa, aggressus & ipse illud insomnij monitu.

Secundo vero loco sciendum, quod venæ se-

ctio multis admodum membris adhiberi soleat. Aliquando quidem brachio, siue manui magnæ, nonnunquam paruæ, quandoque pedi, interdum naso, aliquando fronti, nonnunquam labijs, quãdoque linguæ siue palato. nonnunquam etiam angulis oculorum frontem versus. Quinq; venæ secandę veniunt in manu magna, per quam intelligitur apud Medicos totum brachium cum summa manu, vt per pedem totum crus, hoc est, quicquid ab ischio vsq; ad plantas pedum est, quemadmodum docuit Rhazes li.7.ad Alman, ca.21.& Auicen.4.1, ca.20.

Vna vocatur humeraria siue humeralis, Græce ὠμιαῖα quod per humerum in manũ feratur vel exterior, quoniam cubiti exterius latus perreptat: vel κεφαλική, id est, vena capitis.

Altera interior cubiti vena, quæ ἡπατῖτις Græcis dicitur: Latini iecorariam & lienarem, hodie facientes medicinam Basilicam vocant.

Tertia media, quam nonnulli & alio nomine non inepte communem, vel cardiacam, vel nigram vel matrem nuncupant. Barbari vero medianam appellant.

Quarta axillaris, quæ est ramus basilicæ.

Quinta funis brachij, quæ est ramus cephalicæ descendentis. In minori siue summa manu est Sceilen, siue saluatella. Et ita in manu sex venæ secandæ veniunt.

Cephalica. Cephalia incidenda est, vbi superiores pectore partes, facies nimirum, aut cepot male afficiuntur: quare confert passionibus capitis. vt hemicraniæ, maniæ, & similibus. Galen. cap.16. de curan. rat. per sang. miss.

Basilica. Basilica à partib. statim euacuat, quæ infra ceruicem sunt, verbi gratia, à lateribus, pulmone, corde, iecore, liene, aut ventriculo.

Mediana. Communis situ & compositione inter duas iam dictas media est. Nam ea ex fissione vtriusq; oritur:

tur: Est etiam in vacuando media; vndiq; enim vacuat, ab inferioribus nimirum partibus infra ceruicem, à collo, & supra collum. Vnde exquisitissima omnium humorum & vniuersalis toti corpori per huius venæ sectionem fit euacuatio. Vniuersalis quidem, non vt quibusdam placet, quod à corde oriatur, sed quod sit ramus cephalicæ & basilicæ. Sanguinem igitur è cephalica detracturus, ea non apparente, mediam potius quã basilicam secabis. Quod si nec basilica se ostenderit, ad mediam potius, quam ad cephalicam confugies.

Saluatella siue salubris, Sceilen Auicennæ 1. 1. doct. 5. sum. 5 capite 4. appellatur, & est vena sub annulari & medio digito exporrecta, verum alias subinde apud Arabes & Barbaros illam Sceilen vocari obseruatur, quæ iuxta brachiale ab humerariæ ramo & axillaris venæ propagine constituitur, cui eadem quæ axillari medicorum vulgus nomina imponit, hanc quoque saluatellam & salubrem vocans. Hæc obstructo hepate in dextra manu, liene vero in sinistra incidi solet. Quare hoc fiat, ratione ostendere non est, sed experientia licet. Porro manus illius cui hæc vena secatur, in calidam aquam ponenda est, donec locus infletur, & leuiter extumeat, conspicuusque fiat: secta autem iam vena, iterum in aquam ponenda est, ideo vt sanguis cito eiaculetur, si eius eruptio debilis fuerit, sicut solet in pluribus eorum, quibus per hanc venam sanguis extrahitur, & ne sanguis in ore venæ coagulatus illico restringatur: Cum autem ex ea quantum volueris emanarit, parum olei ac salis imponendum est, ne iusto citius vulnus cicatrice obducatur. Rhazes libro septimo, capite vigesimoseptimo ad Almansorem, & Auicenna 4. 1. capite 20. *Saluatella.*

Axillaris ramus est basilicæ, & apparet in curuatura brachij versus inferiora; de hac idem quod de basilica iudicium.

Funis

Funis brachij similis: est cephalicæ. est enim ramus eius. Quanquam autem venæ sectione, quẽadmodum idipsum à Galeno & Auicenna adseritur, vniuersalis è toto corpore fiat euacuatio, non tamen ex omnibus venis æquabiliter, sed tantum ex communibus, vt visum est. Licet etiam venæ è toto corpore vacuent, non tamen æqualis in omnibus est timor. Imo cephalica Rhazæ est securior: basilica vero & cardiaca magis timendæ, quanquam hæc quam illa minus,

Cephalica omnium minus est noxia, quod nullus neruus, nulla arteria, nullus etiam tendo ab ea vena procurrens sectionem impediat.

Cardiacæ siue medianæ incisio admodum difficilis ac periculosa est. propter subiacentem neruum ac tendinem: maxime si in ipso brachii sinu profundius incidatur.

Basilica inter cæteras eius loci periculosissimam habet sectionem: tum propter arteriam quæ subiacet, tum etiam propter incertum & varium neruorum in ea parte procursum, qui te dubium & anxium reddunt: præsertim in interiore brachij plexu, qui minus carnosus est.

Sceilen siue saluatella non periculosa, sed tamen subtilis: vnde conuenit vt in sectione eius manus in aqua calida detineatur, quo expeditius erumpat sanguis.

Pedis vena. In pede tres venæ sunt, ischiatica scilicet, saphena & vena poplitis, quas incidere consueuimus sanguinem deorsum reuulsuri, vt in mensium prouocatione.

Sed in hoc vena poplitis, iuxta Auicennæ sententiam efficacior est saphena, aut ischiatica: propinquior enim est vtero, vnde melius ab ipso deorsum trahit.

Saphenæ sectio à renibus, ab vtero, testiculis, & virga sanguinem educit.

Ischiatica ab ancha, id est, ischio, siue à coxa. renibus & membris versus exteriorem partem

sitis

sitis melius trahit, Iuuamentum sectionis eius magnum est in ischiade, podagra, varice & elephantiasi,

Saphena ab vtero trahit, & membris versus interiorem partem sitis, licet eiusdem venæ sint rami: menses prouocat, & hæmorroidum orificia aperit.

In media fronte inter duo supercilia sita est vena, cuius incisio confert grauitati capitis, & præcipue illi quæ est à parte posteriori, & antiquis faciei vitijs: nempe morpheæ, impetigini, scabiei, & oculorum affectibus, incisa tamen prius cephalica. *Frontis vena.*

Est in naso quoq; vena, in cuius incisione collum sudariolo stringere oportet, donec capitis partes intumescant, & vena conspicua fiat. Idem etiam in sectione venæ frontis faciendum. *Nasi,*

Inter labra item & gingiuas venæ sunt, quæ propter oris aut gingiuarum abscessus scindi solet cephalica tamen prius incisa. *Labioru͂.*

In palato venæ sunt quatuor, quarum incisio confert fluxioni rheumaris ad dentes, ac in eis dolorem incitantis. Suntque omnes conspicuæ, & incidendæ potissimum post concoctam materiam.

Sunt quoque venæ quædam in angulis oculorum lachrymalibus frontem versus, quæ incidun tur in passionibus oculorum, doloribus capitis, ophthalmia antiqua, & lachrimis, secta prius cephalica. *Oculoru͂,*

Præterea venæ quæ sub lingua conspiciuntur possunt in multis affectibus incidi, præsertim in angina, secta tamen prius cephalica. *Linguæ,*

Quinetiam in temporibus iuxta aures venæ sunt, quæ inciduntur propter vertiginem, hemicraniam, vehementem capitis dolorem, & ægritudinem diuturnam: sed hæc incisio, vt in libro de genitur. & in lib. de aere, aquis, & locis Hippocrates auror est, hominem reddit sterilem. *Te͂porum,*

Quibus-

Quibuscunque, inquit, iuxta aures venæ sectæ sunt, hi coeunt quidem, & genituram emittunt, verum modicam, & debilem ac infœcundam. Nam plurima genituræ pars à capite iuxta aures in spinalem medullam procedit. Ipse autem genituræ meatus cicatrice sectioni inducta obstruitur. Et proceres Scytharum, incisis iuxta aures venis sterilescere affirmat. Auicenna eas iuueniles vocat.

In collo etiam venæ sunt, quas Greci σφαγίτιδας, Latini iugulares id est, venas faucium & gutturis, Arabes Guidez, Barbari Subeticas, Apoplecticas & somni venas appellant, quod pressæ, ligatæ & complicatæ afferant κάρον, id est, somnum veternosum, & torporem quendam apoplecticum. Hæ inciduntur, cum Anhelitus in principio lepræ maxime constringitur coarctaturque, & in principio fortis anginæ, in asthmate acuto, in raucedine vocis, in abscessu pulmonis in dispnœa, quæ est ex multo sanguine calido, & in ægritudinibus splenis ac laterum. Plura in libro anatomiæ viuorum Galeno adscripto capite vigesimooctauo, & apud Rhacen, & Auicennam locis citatis.

EMIS-

EMISSI SANGVINIS

obseruatio, ex Ioannis Fernelij vacuandi ratione, cap. 20.

EFfluens sanguis excipiendus mundis tersisque peluiculis, terrenis, vitreis, stanneis aut argēteis: non item æneis, ne ab his vel proprię substantię vel coloris, vel alterius qualitatis conuersionem subeat, quæ nostrum de corporis affectione iudicium peruertat. Sint & peluiculæ multæ in quibus sanguinis varietas dispici ac distingui possit. Seponantur loco mundo, quo nec puluis, nec fumus, nec ventus, nec Solis radij pertingant.

Omnium prima in his obseruabitur sanguinis substantia. Viscosus est qui lente fluxit, & tanquam glutinum digitis adhæret: quorum neutrū efficit probus atq; mediocris. Crassus est & densus, multasque fibras habet qui ocyus concrescit atq; conglatiat. hic obstructionem aliorumque inde morborum fit autor. Qui tardius concrescit ac durescit, tenuis est: qui vero iam refrigescens minime durescit, is omnino vel aquosus vel putridus est, cuius fibræ omnes direptæ atque corruptæ vanuerunt. Idipsum planius distinguit fissio. Crassus ac compactus difficile finditur, tenuis facile, putridus vero non finditur, verum simul atque attingitur, totus in partes exiguas discerpitur. *Iudicium de sanguine emisso ex substātia.*

Serum multum tanquam aqua citrina concreto sanguini innatans vel potum liberaliorem, vel iecur infirmum, quale hydropici, vel imbecillos renes. *Serum.*

nes, vel eosdem obstructos ostẽdit: qaibus ex caussis serum redundans in venas sanguini permiscetur, Hunc tamen non eo prorsus destitui par est, velut in his qui frugalius bibunt, aut immoderatius sese exercent; crassescens enim sanguis difficile in tenues venas distribuitur. easq; prompte intercludit.

Spuma. Spuma innatans, nisi fluoris impetu nata sit, incendium atque feruorem eius humoris ostendit, cuius colorem præ se fert: rubra quidem sanguinis. citrina, bilis: alba, pituitę: liuida, melãcholiæ.

Color. Durescentis sanguinis color per summa rubicũdus boni vtilisque sanguinis est index: ruber quidem ac lucidus ardentis, qualis est arteriarum, ruber vero & obscurus mediocris, qualis est venarum. Color citrinus, bilem, albus, pituitam, viridis, bilem retorridam, liuidus aut plumbeus, atram bilem cum pernicie, vt disparium colorum permistio varios humores exuperare commõstrat, qui an etiã putridi sint nec ne, sanguinis substantia palam facit. Est autem quum albus color ex optima cõcoctione proficiscitur, quod his præsertim accidit, quorum plenior est virtus, & quorum vrinæ bene coctæ visuntur, multo alboque sedimento conferræ. Illorũ quippe sanguis in venis tenuioribus concoctione iam albescit.

Sanguinis parte summa innatat nonnunquam pingue quiddã & adiposum instar telę aranei cohærens. Hoc, si admodum pingue & obesum corpus est, ex ipso sanguine causam habet, qui est in adipem pronus, Sin corpus strigosius fiat minusque opimum, id ipsum colliquari & marcescere portendit.

Subsidentia. Ima parte concreti sanguinis subsidet, quod terrenum magis est atque fæculentũ. Id quum scinditur, sæpius apparet vel rubrum, obscurum, vel nigrum, vel lucidum, vel viride, vnde humoris, qui sanguinem perfundit, naturam videre est, atque ex coloris copia assequi, quantum vnusquisque

que

ne humor in venis abundet.

Si diffiſſo ſanguine grana quædam arenularum ...nula offendantur, aiunt vel Elephantiaſin, vel ... hanc propenſionem notari, quanquam obſer... ntibus nihil tale deprehenſum eſt. *Grana.*

Rarum eſt ſanguinem à venis graueolere, quod ... contigerit, putredinis corruptioniſq deplo... rattæ eſt indicium. *Graueolẽtia.*

Detractum ſanguinem nemo deguſtarit, ac ſi cui ... os fortaſſe incidet, dulciſq; apparebit, ſecun... um naturam eſt, qui amarus, bilioſus, acidus ... ut ſtypticus, melãcholicus, inſipidus, pituitoſus, ... lſus, pituita ſalſa perfuſus, *Sapor.*

Sanguinis ſubſtantia atq; colore animaduerſis ... ferendę inuicẽ erunt peluiculæ. Quæ ſi omnes ... ptimum ſanguinem æquabiliter exhibeant, cre... ibile eſt reliquum in venis ſimilem haberi, illũ ... men detrahendũ fuiſſe, quod multitudine pec... aret, quæ vna corpus grauat, ſenſus offendit, & in ... utrediuem, aut in grauiorum malorum pericula ... onijcit. Si vitioſus & impurus ſanguis cõſpicitur ... multo etiã vtilius eductus eſt, vt qui & copia & ... ualitate moleſtus corpori negotium faceſſeret, ... ed & poſt hac diligentius vacuari corpus debet, ... ut pharmaco, ac venæ ſectione. Si qui prius ... nauauit, ſyncerus, qui autem poſterius, prauus ... xiſtit, multi huiuſmodi reſidẽt in corpore, proba... ictus ratione idoneiſque vacuatiõibus extermi... andi. At ſi hoc ex phlegmone accidit, bono eſſe ... olet: nempe indiciũ completæ & integræ vacua... ionis, quæ morbi materiam ex affecta ſede extir... auit. Si poſtrema peluis purior eſt primis, con... ummata eſt vacuatio, quæ ſanguinem vitioſum ... mnem detraxit, dum vtilis ac bonus dimanaret. ... anguis in tepeſcentem aquã effuſus diuulſis ſe... retiſque ſubſtantijs multa profert. Serum aquæ ... mnino cõfunditur, vt internoſci nequeat, illi e... iam permiſcetur tenuior ſanguinis portio, ex cu... us colore liceat de humoris natura & ſpecie quo- *Indicium ex collatione peluicularum.*

dammodo iudicium facere. Crassior sanguinis portio & fibrosa subsidet in imo, quæ pura & secundum naturam esse iudicabitur, si lucida, tenuis, subalbida & cohærens fuerit. At crassior, crassum etiam sanguinē inesse, obscura & nigra, alioue infecta colore sanguinem vitiosorum humorum fæcibus inquinari commonstrat, quos ipsa coloris differentia discernit. Si parum illa cohæret, distractaque facile dilaceratur, summæ putredinis est argumentum.



DIOCLIS CARYSTII MEdici ab Hippocrate fama & ætate secundi aurea ad Antigonum Asiæ Regem Epistola, de morborum præsagiis, & eorundem extemporaneis auxiliis, è Græco Latinè reddita per Antonium Mizaldum.

DIOCLES ANTIGONO
Regi salutem.

Antigoni Regis eruditio non vulgaris

QVONIAM summa tibi inter omnes Reges, ANTIGONE, comparata est eruditio, & iam senilis procedit ætas, vniuersæque philosophiæ ac mathematicarum non vulgaris tribuitur cognitio, quibus singulis clarissimus haberis, & palmam alijs longe præripis. Ego regiam quoque & familiarem tibi esse debere existimans eam philosophiæ partem quæ ad tuendā sanitatem pertinet, idcirco tuæ Maiestati hac nostra epistola paucis complecti volui, vndenam infirmitates hominibus contingant, & quibus indicijs præcedentibus augurentur, quibusve præ-

Similitudo sane

præsidijs opportune eis prospiciatur. Quemadmodum enim signa quædã minime obscura cœli temp estatem fere semper præueniunt, quibus naturæ, & alij rerum naturæ periti, quid faciendum sit vt tutiores euadant, facile colligunt: sic nullus præter naturam affectus homines corripit nisi certis præcurrentibus signis ille indicatus fuerit. Tu itaque nostris ea de re præceptiunculis admonitus, illas obuijs vlnis excipere, & ad vnguem obseruare minime dedignaberis. *quam apposita.*

. Distribuimus humanum corpus in partes quatuor, Caput Thoracem, Ventrem & Vesicam. *Corporis partes quatuor.*

Præsagia instantiũ morborũ capitis.

CAPVT.

CVM itaque morbus quispiam caput prehensurus est, certa præsagia & signa illum magna ex parte solent prædicere. Cuiusmodi sunt capitis ad supercilia vsque grauitas, aurium murmurans sonitus, & temporum pulsatio. Mane lacrimãtur oculi & caligant: hebetatur odoratus, ac gingiuæ intumescunt. Itaque dum eiusmodi præsagiorũ & signorum quippiam animaduerteris, caput confestim repurgandum esse iudicato, nullis, in quam pharmacorum præsidijs, verum sumptis hyssopi, vel origani summitatibus tritis, & in ollula ebullitis cum passo vel iuris semisextario, quibus os ieiunum collues. & quoad pituita educatur gargarizabis. Hoc sane morborum capitis facillimum est remedium. Saluberrimum quoque fuerit, decocto sinapis, in aqua mulsa & calente præmacerati, ieiunum os itidem colluere, & gargarizando humorem è capite deducere. Oportet autem caput ipsum antea perblande fricare, & tegumento quopiam calfacere, vt liquefacta pituita sublato obstaculo, melius fluere possit. Quisquis præuisa signa, etposita remedia neglexerit, se morbis istis opportunum fore certo sciat: nempe ophthalmiæ, glaucomati, auriũ dolori, strumis in ceruice, tabi cerebri, & σφακι-

Remedia morborũ capitis.

Semisextarius vncia decem.

Cautela notatu digna.

Accidẽtia ex neglectis remediis capitis.

λισμῷ

λισμῷ coryzæ, raucedini, anginæ nocturnæ, lapſui vuluæ, capillorum defluuio, vlcuſculis capitis, & dentium cruciatui.

THORAX.

Signa morborū thoraci impendentium.

Remedia morborū thoracis.

Vomitorum paratu facillimū

Incommoda ex neglectis præſidijs thoracis.

QVando vero mali quidpiā thorax paſſurus eſt, his præſagitur & præſignificatur notis. Sudor quidam per corpus vndique diffluit, ſed omnium maxime ad thoracis regionē Lingua craſſeſcit, & ſalſa, amara, aut biliosa exſpuūtur: ſpōtanei dolores in lateribus & ſcapulis citra manifeſtā cauſam oboriūtur, oſcitationes crebræ fiunt, vigiliæ fatigant, vrgent ſuffocationes, ſitis adeſt, & ex ſomno labor & animi anxietas, infeſtant pectoris anguſtiæ, & brachiorū laſſitudo, ac manuum tremula affectio Quibus nec male, nec imprudēter ad hunc ſuccurritur modum Imprimis vomitus haudquaquam crapuloſus, à cæna quoad eius fieri poteſt, proritandus eſt ac mouendus: ſed abſque medicamento. Proſunt etiam vomitus ante paſtum matutini & ieiuni, à græcis συρμαίσμοι nuncupati. Quibus igitur hoc pacto vomere placuerit, radiculas tenues, ſeu raphanos, naſturtium, erucum, ſinapi, aut portulam deuorent, deinde aqua tepida affatim hauſta vomant, Qui dicta præſagia & præſidia negligendo prætermiſerint, hos metuant affectus, pleuritidem, peripneumoniam, melancholiam, febres acutas, phrenetidem, veternum, & cum ſingultu faucium ardorem & phlegmonem.

VENTER.

Indicia futurorum ventris morborū.

SI quis autē morbus ventrem inuaſurus eſt, his deregitur indicijs. Venter in primis conuoluitur, obmurmurat, & perturbatur: eſculenta cum poculentis amarorem præ ſe ferunt: genuum adeſt grauitas, ſpinę & lumborū rigor inflexilis. cū vniuerſi corporis laſſitudine, citra manifeſtā cauſam Vbi hæc ſigna obſeruas, venter, nullo quidem medicamento,

dicamento, sed victus ratione emolliendus ac lubricandus est. Nam & melius & longe tutius est ijs vti, quibus non facile potest delinqui. Ex horum classe & numero sunt betalaqua mulsa incocta: allia elixa, malua, ramex, mercurialis, & omnia melle condita: cuncta enim hæc alui excrementa clemẽter ac benigne deijciũt. Quod si præsagiorum, quodpiam magis atque magis intentatur, cnici seu carthami liquorem omnibus decoctis infundes, nam is & suauior & tutior est. Vtilis etiam fuerit læuis brassica, multa aqua elixata. Huius & enim iusculũ heminæ dimidiæ seu vnciarum quinque mensura cum melle & sale haustum, summe iuuabit, perinde atque cicerum decoctum ieiuno stomacho eadem mensura potum. nam eundem habet effectum. Hæc signa & auxilia parui pendentibus affectiones istæ sæpenumero succedere solent, diarrhœa, dysenteria, lienteria voluutus, coxalius morbus seu ischias, tertiana febris, podagra, apoplexia, hæmorrhoides, & articularis cruciatus.

Remedia morborũ ventris per illius lubricationem. Aluum blande & facile soluentia. Quæ sequãtur neglect. ventris curationẽ

VESICA.

QVando autem vesicæ mali aliquid imminet, his indicijs dignoscitur. Post exiguum cibum plenitudo infestare deprehenditur, oboriũtur flatus & inflationes, ructus & pallor vniuersi corporis. Somni adsunt graues, vrinæ graues, aquosæ & ægerrime stillãtes, nec non circa pudẽda bubones, vel œdemata. Vbi sese proferent eiusmodi signa & presagia, auxilijs lotia impellentibus & promouentibus, opportune succurendum erit. id quod sine periculo præstabunt apij & fœniculi radices. in vino albo, tenui & odorato, maceratæ & decoctæ: modo cyathi duo iusculi, seu vnciæ tres quotidie exhibeantur: mane nimirum & vesperi, cum aqua dauci, smirnij vel enulæ cãpanę, quodcunque horum ad manum fuerit, nam æque singula prosunt. Cicerum quoque præmaceratorum

Signa morborũ vesicæ propinquantiũ.

Auxilia affectuũ vesicæ

Incõmoda

& coctorum aquam si cum vino biberit ægrotans, idem prorsus consequetur. Qui vero scripta signa & auxilia imprudenter neglexerit, à sequentibus morbis sibi metuat: nimirum ab hydrope, lienis tumore, hepatis dolore, lithiasi, nephritide, stranguria, colico cruciatu, & torminibus. Cæterum, in omnibus signis & malis quæ hactenus proposuimus, infantibus quidem & iunioribus, clementiora medicamenta, grandioribus vero, & natu maioribus, validiora ac efficaciora exhibere conueniet.

Sequētia neglectā curationē vesica affecta aduertenda & notanda.

Cæterum, quoniam statis anni temporibus certi quidam morbi ingruere solent, quæ in singulis alimenta tibi sumenda fugiendaue sint, paucis exequar, auspicatus à solstitio hyberno.

SOLSTITIVM HYEMALE.

Solstitium itaque hyemale vsque ad vernum æquinoctium auget in hominibus destillationes humiditatesq; ac propterea calidioribus vti cibis, parciore potu, sed meraciore, atque ex origano bibere oportet. Numerantur ad æquinoctiū dies nonaginta.

Hac, postrema ex I. Guinterii Ander. interpretatione tran- (o) scripta sunt, Corn. odoratissima.

ÆQVINOCTIVM VERNVM.

Hoc tempore pituita in hominibus crescit, & dulce serum sanguinis vsque ad Vergiliarum ortus. eoque tum maxime succosa (o) acriaque assumi debent, & corpus exerceri. Sunt autem vsque ad Vrrgiliarum ortum dies sex & quadraginta.

VERGILIARVM EXORTVS.

Hoc tempore bilis amara augetur, amarumque serum vsque ad æstiuum solstitium. dulcia omnia tunc quæ aluum moueant conueniūt. Venus quam parcissime exercenda. Hinc ad solstitium æstiuum dies quinque & quadraginta existunt.

Sol-

SOLSTITIVM ÆSTIVVM.

HOc anni tempus atram bilem adusque Æquinoctium autumnale promouet: Quapropter [...]na frigida atque odoratis omnibus vtendum [...], Venus perniciosa, aut innocentius saltem quæ [...] ea præscripsimus adhibeto. Porro sunt ad Æ[...]inoctium autumnale dies tres & nonaginta.

ÆQVINOCTIVM AVtumnale.

HÆc anni pars pituitæ copiã generat, tenuesque defluxiones, donec Vergiliæ occidant. [C]onuenit igitur tũc humores ex capite elicere, at[q]ue acerrima maximeq; succosa assumere, vomi[tu]m rarissime citare, exerceri, atque concubitum [vi]tare, Numerantur ad Vergiliarum occasum sex [&] quadraginta dies. Corn. odoratissima.

VERGILIARVM OCcasus.

HOc tempore pituita ad vsq; Solstitium hyemale in hominibus redundat, quamobrem [a]cerbissima quæque, vinum suauissimũ assumere oportet, pinguibusque vti & exercitari. Sunt autem ad Solstitium hiemale dies quinque & quadraginta dies.



DE SALVBRI DIÆTA incerti autoris Liber, Hippocrati quondam falso adscriptus.

Iano Cornario medico physico interprete.

Argumentum in librum sequentem Ioan. Culm. Gepping.

I.

Diæta idiotarum & priuatorum, qualis hyeme, vere, æstate, & autumno esse debeat.

II. Diæta ad ætates, ad omne tempus, & ad corporum species constituenda.

III. Ambulandum hyeme velocius, æstate tardius, nisi per æstum iter facias. Carnosi gracilibus citius ambulent. Balneis quomodo vtendũ, Vestes pure hyeme induendæ, æstate sordidæ, & oleo imbutæ.

IV, Gracilitatem corporis quo studio consequaris. Pinguis ex gracili quomodo fias.

V, Vomendum sex mensibus hybernis,

VI Quæ infusa, quibus temporibus, quibusq; naturis conueniant. Infusa crassa & tenuia quæ.

VII. Crassos & graciles quomodo ad vomitum præpares. Bis in mense vomere consueti, ijs melius est, vt consequenter in duobus diebus, quam per maiora interualla vomant.

VIII. Cibos reuomere consuetorum, aut quorum

um alui non probum transitum habent, curatio.

IX. Puerorum infantium educandi & cibandi ratio,

X. Mulieribus ficcioris modi diæta conuenit. Exercitiorum ratio iuxta temporum anni differentias instituatur.

XI. Alui profluuij in exercitijs vtentibus & excrementis ciborum speciē referentibus, curatio diatica: Itē quibus tēperamētis hic morbus sit familiaris. Corpora densam carnem habentia, ijs quæ raram habent, à carniū esu magis læduntur.

XI, Cibum postridie eructantes, largiori somno & alijs laboribus curantur.

XIII. Siti correptis cibi & labores detrahendi, vinum vero aquosum & frigidissimum exhibendum.

XIV. Aquæ aut muci per nares vel aures eruptio capitis torporem soluit. Sanitas res preciosissima.

EOs qui propria priuataque negotia agunt homines, hac diæta vti oportet. Hyeme quidem comedere quam plurima, bibere autem quā parcissime. Sit potus vinum quam meracissimum, cibi panis, & obsonia assata omnia. Oleribus quam paucissimis hoc tempore vtendum est. Sic enim corpus maxime siccum ac calidum reddetur. Vbi vero ver apprehenderit, tunc sane potum ampliorem assumere oportet, vinum dilutius & paulatim: cibis quoque mollioribus ac paucioribus tum vtendum est. ablato pane mazā exhibere conuenit, & iuxta eandem rationem obsonia detrahere, & loco assatorum omnia elixa facere. Oleribus vero paucis tunc vti oporter, donec ad æstatem perueniat homo, cibis mollioribus vtendo, & obsonijs elixis, & oleribus, tam crudis quā

coctis, similiterque potibus quam dilutiſſimis ac plurimis: ita tamen vt paulatim non derepente his vtatur, ne videlicet magna mutatio fiat. At vero æſtate maza molli nutriatur, & potu aquoſo ac multo, obſonijs omnibus elixis. Sic autem his vbi æſtas fuerit vti oportet, vt frigidũ ſit corpus & molle. Tempus enim calidum & ſiccum, facit corpora æſtuoſa ac ſqualida. Quapropter tali ſtudio auxilari oportet. Iuxta eãdem vero rationem, quemadmodum ex hyeme ad ver, ſic ex vere ad æſtatem deducendus eſt, cibo quidem detracto, potu vero aucto. Sic quoque contraria faciendo ex æſtate ad hyemem perducatur. In autũno vero rurſus cibi plures exhibẽdi ſunt & ſicciores, & obſonia iuxta eandem rationem: potus vero pauciores & meraciores, quo etiam hyems bona fiat, & homo in ipſa vtatur potibus meracioribus ac paucis, cibis vero quã plurimis ac ſicciſſimis. Sic enim & maxime ſanus fuerit, & minime frigore impetetur. Nam tempus hoc valde frigidum & humidum exiſtit.

2. Porro habitibus corporum carnoſis & mollibus ac rubris plurimo anni tempore ſiccioribus diætis vti conducit. Humida enim eſt ipſorum natura. Verum ſiccos & graciles, fuluoſque ac nigros, humidiore diæta maiore temporis parte victitare oportet. Corpora enim talia ſicca exiſtunt. Sed & iuuenibus corporibus, mollioribus & humidioribus diætis vti confert. Nam ætas ipſorum ſicca eſt & corpora compacta ſunt, Seniores autem ſicciore victus modo maiori temporis parte degere oportet. Corpora enim in hac ætate humida ſunt, & mollia ac frigida. Oportet igitur & ad ætatem, & ad tempus anni, & ad corporum ſpecies ac habitus, diætas conſtituere, ita vt conſiſtentibus & caloribus & frigoribus nos opponamus. Sic enim maxime ſani fuerint.

3. Quin & ambulandum hyeme quidem velociter eſt: æſtate autem leniter, niſi per ſolis æſtum iter faci-

faciendum sit. Oportet autem & carnosos citius ambulare, graciles vero tardius. Balneis quoque multis æstate vtendum est, hyeme paucioribus. Gracilibus autẽ magis expedit lauari, quam carnosis. Vestes autem puras induere hyeme oportet, oleo imbutas ac sordidas æstate. 4

Cæterum pingues, & qui graciles fieri volunt, omnes labores ieiuni facere debent. & cibos assumere anhelantes adhuc ex fatigatione, & non refrigerati, præpoto vino diluto, & non valde frigido, & obsonia præparata assumere ex sesamis, aut condimentis hortẽsibus; & alijs huiuscemodi sint autem obsonia pinguia, quæ offeruntur: sic enim á quam paucissimis impleri poterunt: Sed & semel in die cibum sumere, & illotum manere, & stratum durum habere, & nudum deambulare oportet, quantum eius maxime fieri potest. Quicũque vero graciles sunt, & pingues fieri volunt, tũ alia his quæ dixi, contraria facere, tum ieiunos nullum laborem subire oportet. 5

At vero vomitibus, & alui per infusa elotionibus hoc modo vtendum est. Sex menses hybernos vomendum est. Hoc enim tempus pituitosius est æstiuo, & morbi circa caput fiunt, & regionem eã quæ est supra septum transuersum. Quum vero æstas ac calor fuerit, infusis vtendũ est. Hora enim hæc æstuosa est, & corpus biliosius, & lumbi ac genua grauantur. & calores oboriuntur, & in ventre tormina fiunt. Quapropter corpus perfrigerare oportet, & quæ in sublime eleuantur, inferne subducere ex istis locis.

Sunt autẽ infusa pro crassioribus ac humidioribus salsiora & tenuiora, pro siccis vero & gracilibus ac debilioribus, pinguiora ac crassiora, Crassa autẽ & pinguia infusa sunt quæ ex lacte fiunt, & cicerũ decoctum, & alia huiusmodi. Tenuia vero & salsa, sunt muria & aqua marina, & eiusmodi. 6

At vero vomitus sic facere oportet.

Quicunque homines crassi ac pingues sunt & 7

7. non graciles, ieiuni vomant à cursu aut ambulatione cita iuxta meridiem. Sit autem dimidia hemina hyssopi in aquæ congio contriti, atque ho ebibat affuso aceto & adiecto sale, quo iucundiu euadat. Bibat autem primum sensim ac lētius, postea citius. Qui vero graciliores sunt ac debiliore à cibis vomitum faciant hoc modo: Lotus calida præbibat meri heminā, deinde cibos omnigeno edat, & neque dum cibum sumit, neque à cibo bibat, sed contineat se donec quatuor stadia qui percurrat. deinde vina tria permixta ipsi in potu offerantur, austerum, dulce, ac acidum: primum quidem meracius & paulatim, & per multum tēporis spacium, deinde vero dilutius, & citius & multum. Quicunque autem bis in mense vomere consueuit, huic melius est vt consequēter in duobus diebus vomat, quam per quintum & decimū. Verum aliqui penitus contrarium faciunt.

8. Quibuscunque vero commodum est reuomere cibos, aut qui alui non probum transitum habent, his omnibus conducit sæpe in die comedere, & omnigenis edulijs vti, & obsonijs varijs modis præparatis, vinumque bibere duplex aut triplex. Qui vero reuomunt cibos, aut aluos habent humectas, his omnibus contrariū huiusmodi facere conducit.

9. Cæterum puerulos infantes per multum tēpus in aqua calida lauare oportet, & vinum bibendū dare aquosum, & non penitus frigidum. Dandum est & id vinum, quod minime ventrem eleuet ac inflet. Hæc autem facere oportet, vt & conuulsionibus minus corripiantur, & maiores fiāt, & meliorem calorem adipiscantur.

10. Mulieres porro ficcioris modi diæta vti oportet. Nam & cibi ficciores ad muliebrium carnium mollitiem commodiores sunt, & meraciores potus præstabiliores sunt ad vteros ac fœtuum nutrimenta. Qui exercitijs vtūtur, hyeme currere ac luctari debent: æstate vero luctari quidem parum currere

currere autem minime, ſed multum deambulare ſecundum frigus. Quicunque ex curſibus fatigati fuerint, eos luctari oportet. Qui vero ex lucta fatigantur, eos currere expedit. Sic enim laborans, fatigata corporis parte vel maxime calefieri componique ac recreari queat.

Quoſcũque exercitijs vtentes alui profluuia corripiunt, & recrementa ciborum ſpeciem referẽtia ac cruda habẽt, his exercitiorum non minus quã tertiam partem detrahere oportet, & ciborum dimidium ſaltem exhibere (palam eſt enim quod ventriculus confouere non poteſt) quo ciborum multitudo concoquatur. Sint autẽ his cibi, panis quam maxime aſſatus in vino intritus, & potus quam parciſſimi ac meraciſſimi, & deambulatio m ero nibus à cibo ne vtantur. Oportet autem ſub hoc temperatũ tempus ſemel duntaxat in die cibum ſumere. Sic enim quam maxime concaleſcit vẽtriculus, & ea quæ ingeſta ſunt exuperauerit. Fit hic profluuij alui modus his corporibus, quæ denſam carnem habent, quum ad carnium eſum homo cogitur, natura eiuſmodi exiſtente. Venæ enim dẽſatæ cibos ingeſtos non ſuſcipiunt. Eſt autem hæc natura acuta, & in vtramque partem vertitur, & ad modicum tempus viget bona habitudo in talibus corporibus. At vero rariores ac hirſutiores corporum ſpecies ac habitus tũ carniũ eſum ſuſcipiunt, tum labores magis tolerant, & bonæ habitudines ipſis fiunt diuturniores.

Quicunque poſtridie cibos eructant, & præcordia ipſis eleuantur, vtpote cibis crudis & incoctis exiſtentibus, his longiori quidem tempore dormire conducit, verum & alijs laboribus corpora ipſorum cogere oportet. Vinum autem meracius & amplius bibant, & cibis paucioribus ſub id tẽpus vtantur. Palam eſt enim quod ventriculus præ imbecillitate ac frigiditate, ciborum multitudinem concoquere non poteſt. 12.

Quoſcunque vero ſitis corripuerit, his & cibi & labores

labores detrahendi sunt, & vinum bibant aquosũ & quam frigidissimum. Quibuscunq; autẽ dolores fiunt ex visceribus, siue ex exercitijs, siue ex aliquo alio labore, his quiescere conducit cibis abstinentes: potione autem vtantur, quæ quã paucissime in corpus assumpta plurimam vrinam ducat, quo venæ visceribus insitæ non distendantur repletæ. Ex talibus enim tũbercula oboriũtur ac febres. Quibuscunq; vero morbi à cerebro fiunt, torpor primum caput occupat, & frequenter mingit æger, reliqua velut in vrinę stillicidio perpetitur, atque hæc sane ad dies nouem patitur

Et si quidem erumpat per nares aut aures aqua siue mucus, à morbo liberatur, & vrinæ stillicidiũ sedatur Mingit autẽ multum, & citra dolorẽ, idque albũ, donec viginti pręterierint dies, & capitis dolor hominem relinquit. Intendenti autem oculos splendor occultatur. Porro virum prudentem id secum reputare oportet, quod res pretiosissima est sanitas, & proinde scire vt ex suo ipsius consilio in morbis vtilitatem percipiat.

DE RATIONE VICTVS SALVTA-ris post incisam venam & emissum sanguinem, ad Armatum Epigramma Anastasij.

VEnam Armate, tibi medici incidere, timẽti,
Nescio ventriculi qualia damna mali.
Nunc quo vita modo fuso peragenda cruore,
Sitq; diata tibi qualis habenda rogas.
Illi morborum dicant, Armate, periti.
Hæc non est nostra falce metenda seges.
Non missum facis, & cupio ex te audire diserte,
Atq; aliquid tua quod Pieris ornet, ais.
Accipe, quandoquidem nugas ad seria ducis,
Quæ facias, octo versibus. octo dies.
Prima cœna die sit misso sanguine parca,

Lux

Lux abeat lætis aucta secunda modis,
Tertia sed placide debetur tota quieti,
Quarta & quinta sibi mollius esse volunt,
Balnea sexta petit, mox septima colligit auras,
Fertq; vagos circum rura nemusq; pedes.
Octaua amplexus dilectæ coniugis, & quæ
Ante fuit, vitam restituisse solet.

VICTVS ET CVLTVS RATIO exposita quaternis in singulos menses versibus, per Ioachimum Camerarium.

IANVARIVS.

MEnsis amat tepido Iani decurrere victu,
Et refici grato sæpe liquore iubet,
Vena tibi nullos exudet secta cruores,
Sed calida fas est mergere corpus aqua.

Februarius.

Februa olus, volucresq; cibis & odore palustres,
Esseq; inertifica febre timenda solent,
Pharmaca tunc hauri, tũc scinde in pollice venã,
Et calido multum flumine membra foue.

Martius.

Martius humores & terra & corporis auget,
Tunc ratio est puri magna tenenda cibi,
Dulcia tum prosunt acri condita sapore,
Pharmaca non prosunt, venam aperire nocet.

Aprilis.

Frigore vim lenta reuocat telluris Aprilis,
Tunc etiam est tenuis perq; forata cutis,
Tũc intus sunt aucta magis, suntq; omnia plena
Soluere se venter, vena aperire iubet.

Maius.

Omnia iam florent, iam formosissimus annus,

Iamq; sibi cuncti mollius esse volunt.
Balnea nunc cole, nūc sit pharmaca sumere cura;
Et tibi nunc misso sanguine vena fluat.

Iunius.

Iunius & gaudet gelidis, & pascitur herbis.
Viuifico humori tunc inimica fuge.
Lætitia & recreet tunc mentem blanda voluptas;
Affligat corpus nec medicina tuum.

Iulius:

Aeris ignifluos intendit Iulius æstus,
Hoc breuior somno tempore danda quies,
Balnea vitentur, nec venam tangere ferro,
Nec domina petulans accubuisse velis.

Augustus siue Sextilis.

Ipse etiam Augustus somnum restringit & escas,
Et Veneris cupidos gaudia ferre vetat.
Pharmaca nemo bibat; laceret neq; corpora ferro
Nec gelidas intra delicietur aquas.

September.

Poma dat, & gratos September ab arbore fuctus.
Tunc etiam presso pascere lacte capræ,
Pharmaca nil prohibet tūc sumere. scindere venā
Nec tuus externum vitet aroma cibus.

October.

Octobri, offertur venatio, vina, volucres.
Vtere, nec dubites non tenuisse modum.
Sic tamen vt ne oneres nimio præcordia victu,
Cumque modo studeas non tenuisse modum.

Nouember.

Esse salutaris perhibetur mulsa Nouembri,
Gingiber & dulci fissile melle natans.
Tū neq; sæpe laues, Veneris neq; sacra frequētes,
Ante senex tempus ne videare suum.

De-

December.

Iuxta mense focum calidis vtare Decembris
Tunc iaceant mensis gramina nulla tuis.
Incidas capitis defensi à frigore venam,
Cinnameoq; tuus fragret odore calix.

LOCI ALIQVOT DE MODEratione cibi & potus, item somni & vigiliarum.

1. Modus organorum hortatur ad temperantiam. Cum enim immodice onerantur, non potest coctio perfici; & vitia primæ coctionis deinde non possunt corrigi in alijs coctionibus. Quare cibo immodico ingesto, cum fit malus chylus, etiam postea fit insuaue nutrimentum, & corpus vitiosis humoribus impletur.

2. Traditur vtilissima regula: Vitium prioris coctionis non potest corrigi in posteriore. Quare cum ventriculus non facit suum officiũ, nunquã fiet ex crudo chylo sanguis bonus. Ideo intemperantes, qui non concedunt ocium primæ coctioni replent corpus vitiosis humoribus, fiũt pallidi, & prosternũtur vires vẽtriculi, ac deinde hepatis,

2. Sæpe citatur dictum Hippocratis, in quo cõplexus est & res vtiles corpori, & earum modum & ordinem: πνόοι, σιτία, ὕπνοι, πάντα μέτρια. Primum locum tribuit labori qui propter multas causas præcedere cibos debet. Excitatur enim calor, superfluitates consumuntur & expelluntur quod vtile est antequã ingerantur alij cibi. Vt enim si ad focum calfacias aquam, & iam feruenti infundas frigidã, rursus extinguitur calor, ita turbatur coctio, cum rursus cibi ac potus ingeruntur crudi: id cauere iubet Aphorismus, τὰ μὴ καταρὰ τῶν σωμάτων ὁπόσω ἂν θρέψεις, μᾶλλον βλάψοις. Sunt autem vtiliora exercitia, in quibus agitantur brachia, & thorax panditur.

Labores cibi, potus, somni, omnia sint moderata.

Non pura corpora.

tur vt discutiantur superfluitates in pectore & pulmone, & motus calorque diaphragmatis in ventriculo prosunt. Post cibum cauendi sunt omnes vehementiores motus corporis & animi, cauenda & vocis intentio. Tribuenda enim quies ventriculo amplexo iā cibum, qui cū agitatur, nō potest integre concoqui. Motus enim aperit orificium, vbi exhalant calor & spiritus: aperit & pylorum, vbi crudus chylus ante tempus effunditur, Ac interdum subitum exitium afferunt illi vehementiores motus post cibum. Nec quisquam est qui non experiatur sibi tales contētiones nocere: Itaque videmus natura etiā pecudibus hunc sensum inditum esse, quietem vt ament postquā pastæ sunt. Qualis est autem immanitas, homines prorsus contemnere ordinem à natura institutū, vtilē vitæ & conseruandis non solum ventris, sed etiam ingenij viribus? Est etiam quædā diligentia, quæ eruditos decet, cibi & potus discrimina considerare, qui iuuent aut offendant corpus, vt calidis & siccis minime prosunt calida aromata, & pleniora vina: Ad somnum conciliandum prosunt lactucæ & cibi ex amygdalis facti. Obseruet igitur quisque qualibus cibis opus habeat.

quanto plus nutries, tanto plus lædes.

De somno.

4. Conducit quies ad recreandas tres virtutes: Ad rigationem cerebri, ad generandos spiritus, & ad perficiendum officium ventriculi & hepatis. Vere igitur Ouidius.

Is quoq; qui gracili cibus est in corpore somnus.

Et Virgil.

——Fessos sopor irrigat artus.

Nam cum coctio recte perfecta est, omnibus membris distribuitur nutrimentum, quod membra irrigat, gignūtur spiritus, qui nouas vires addunt, & tamen æstus corporis ipsa quieteq; mitigatur: perfunditur etiam corpus quadam vtili & suaui rigatione ex cerebro. Recipit & cerebrum vires, vnde fiunt nerui viuaciores.

De ordine cibi & somni.

5. Nec inanes suauiter dormiũt, nec immodico cibo onerati. Balneæ antecedant cœnas, à cœna exiguum sit interuallum ad somnum. Molli ambulatione cibus ex orificio ventriculi descendit, & orificium clauditur. Deinde quies gratissima est ventriculo, ac primum in dextro latere cubandum est, ne hic tos ventriculi. Fit igitur collecto calore in somno coctio, prohibetur cruditas, conseruatur calor naturalis, gignitur sanguis suauior, sequitur & viriũ & coloris bonitas. Nec dubium est, certissimam esse pernicim virium corporis & ingenij, extendere vigilias post cœnam in multam noctẽ. Quia non tantũ cruditas sequitur, sed dissipatur calor naturalis, lãguescit virtus vẽtriculi, gignitur sanguis impurus, corpus vitiosis humoribus repletur, sequitur aut κακόχυμια, aut macies, accedunt pallor, conturbatio spirituũ debilitas cerebri. Quare assuefacienda est iuuẽtus, non modo ne conuiuia produeat in multã noctẽ, sed etiã vt lucubrationes omittat principio noctis, nec tempus ad quietem diuinitus constitutũ omnibus animãtibus trãsferat ad exitiosos labores.

6. Est etiam opus animi tranquillitate. Nam dolor cordis, item sanguinis ac spirituum æstus in metu, mœstitia, ira, nimis intenta cogitatione impediunt cerebri quietem, nec sinunt cor vacare huic actioni naturali.

NON-



NONNVLLA DE REGIMINE SANITATIS, *iuxta*

SEX RES NON NATVrales, Placita ex Hippocratis & Galeni libris desumpta, cum alijs, tum literarum studiosis, & ijs qui minus exercentur, cognitu necessaria:

PER D. IOANNEM KATZCHIVM, Hallensem Med. Doctorem iam olim edita sed recens à varijs mendis repurgata per I. A. S. L.

TAMETSI duo esse humani corporis principia Galenus in primo de tuenda sanitate libro adfirmet, semen videlicet viri, sanguinemque menstruum mulieris: tamen tum veteres, tum neoterici Medici omnes ipsum sequuti ptudentissime septem res numerant, quæ corporis humani constitutionem ingrediuntur, quas quidem res naturales vocant: expeditque easdem tueri conseruareque perpetuo similibus. Nam Medicus, qui harum rerum naturalium exactam cognitionẽ non habuerit, neque per morbum

... um ſanandũ earum vires ſedulo tuebitur in eum ... haud dubie incidet ſermonem. Morbus quidem ... curatus eſt; Homo autem obijt: id quod à quam plurimis quotidie factitari videmus, præſertim ab ijs, qui rationi experientiam ſine ratione prætulerunt, teſte Galeno ſecundo artis curatiuæ libro ad Glauconem,

Sunt autem ſeptem res vocatæ naturales.

1. Elementum.
2. Temperamentum.
3. Humores.
4. Membra vel partes.
5. Virtutes ſeu facultates.
6. Operationes vel Actiones.
7. Spiritus.

De his ſingulis nunc diſſerere non eſt noſtri inſtituti. Verum hoc non eſt ſilentio prætereundum principio, Sanitatem non eſſe abſolute elemẽtorum, ex quibus conſtamus, aut medium temperamentum, quam Euexian vocant, aut debitã conuenientiam, quam Symmetrian appellant: ſed eam duntaxat, quæ ſimilarium eſt partium.

Deinde inſtrumentalium partium ſanitatem in figura, numero, magnitudine ac compoſitione ſimilarium conſiſtere: functionibus vero ſecundũ naturam obeundis ſanitatis habitum diſcerni.

Poſtremo duplicem eſſe ſanitatem: Vnam, quæ optima, conſummata ac ſumma eſt: Alteram, quæ imperfecta, & ceu ab hac deficiens eſt: quarum vtraque maioris minoriſque ratione diuidua ingentem habet latitudinẽ. Veluti enim album corpus aliud magis, aliud vero minus album cernitur: ita & quod ſanũ dicimus magis minuſq; tale eſſe videtur. Cuius rei duplex eſt demõſtratio, Prima ſumitur ex mutatione, quæ ætatum viciſſitudines ſequitur. Alia enim ſanitate fruuntur Infantes, alia itidem Iuuenes, & alia denique Senes cum tamen omnibus per omnes ætates liceat eſſe ſanis. Tametſi ſint qui ſenectutem ipſam morbũ eſſe

esse velint. Altera administratio ab actionū differentia habetur, Siquidē nec qui sani sunt, omnes oculis æque cernunt: sed alij perspicacius, alij obtusius: Nec auribus pari modo audiunt. Sed nec pedibus nec manibus ex æquo similiter valēt. sed hi probius, illi deterius. Neque reliquorum denique membrorum munia similiter omnes obeunt, imo in singulis pene magna est in excessu defectuque diuersitas: Tamen cuique propositum est seruare tuerique eam quam ab initio accepit sanitatem, Nam si quis eos duntaxat sanos esse contendat, quorum singula membra functiones suas obeunt absolutissime, cæteros qui minus probe sint affecti, non esse sanos, is vniuersæ artis quæ de sanitate tuenda instituitur, fundamentū subuerteret. Hæc ex Galeno eam ob rem assignaui, vt quisque intelligat haud similē vniuersis hominibus naturam contigisse, ob idque nihilo felicius eandem victus rationem omnibus præscribi posse quā si sutor vnum calopodium omnibus hominibus adaptare conetur,

1. libro de sanitat. tuend.

Porro ex prædictis septem rebus naturalibus humanum corpus constitutum formatumque duobus potissimum modis in sanitate conseruatur. Vno quidem ac primo modo (quia corpus in continuo fluere est) per restitutionem illius quod effluxit. Si enim ex corporibus nostris nihil efflueret, sed æqua moles substantiæ semper seruaretur, nulla foret alimenti necessitas.

Altero vero modo conseruatur corpus per excrementorum, quæ per concoctionem collecta sunt, expulsionem.

Quæ ambo si rite à medico ac sedulò procurantur, necessario sequitur, corpus præproperè nec senescere, neque putrescere: Atque sic primo modo à celeritate mortis naturalis: Secundo vero modo à morte accidentali securus redditur. Nemo enim existimare debet, Artem de sanitate tuenda corporis immortalitatem præstare, quemadmodum,

[quem]admodum Galeni temporibus quidam sophista e-[dito] libro immortalitatis viam docere aggressus [e]st. Huius similes hodie sunt, qui tametsi omnis [b]onarum literarum expertes sint, mira tamen [β]ατtολογία aureos de se mõtes polliceri au-[d]ent, Sed non est nunc de his locus. Vterque vero [...]conseruãdi modus perficitur per sex ineuitabiles [r]es, quas tum veteres, tum neoterici Medici pru-[d]enter non naturales vocant: propterea quod tam morbi quam sanitatis causæ esse poterunt. Si nã-[q]ue, vt necessitas corporis exigit, cum mensura & æqualitate opportuna adhibẽtur, sunt res salubres causæque sanitatis: Sin præter necessitatem citra-que modum corpori adferuntur, sunt res insalu-bres, causæque morbi: ob id commodam artificia-lemque requirunt administrationem.

Sunt autem hæ sex res non naturales

1. Aer.
2. Cibus, & potus,
3. Repletio, & Euacuatio,
4. Exercitium seu motus & quies,
5. Somnus, & vigilia,
6. Accidentia seu motus animi.

Porro per hasce sex res non naturales (quibus duæ virtutes, scilicet pulsatiua & vitalis, & naturalis deseruiunt) in sanitate conseruatur totum humanum corpus, si rite ac debite administrantur. Per easdem enim fit non modo refectio eius quod corpore effluxit, verum etiam excrementorum expulsio.

Quod vero è corpore nostro assidue effluit, aut est substantia aerea & ignea, & potissimum restauratur per aerem, mediante virtute pulsatiua: Aut est substãtia sicca, & restituitur per cibum: Aut est substantia humida, & restauratur per potum, agente virtute naturali: & sic primæ duæ res non naturales, Aer videlicet, & cibus ac potus, potissimum refectioni deseruiunt, quemadmodum deinceps videbimus.

DE PRIMA RE NON Naturali, Aere.

Quando vero Aer tam per inſpirationem, quam per arteriarum motum ac pulſum attractus nobiliſſimam corporis noſtri partem, videlicet ſpiritus vitales, animales, naturaleſque, qui ſunt de ſubſtantia ignea aereaque, conſeruat: primum de ipſo, tanquam de nobiliore dicemus.

Sciendum quod aer inter cæteras res non maturales priucipatum obtinet, fortiuſque humanũ corpus alterare poterit omni alia re non naturali, partim quia continuo degimus in ipſo, nullaque eius vitandi ratio eſt, quãdo ſine eo inſpirato nõ conceditur viuere, inuitiſque nobis hauriendus eſt, partim quia nunquam non nos vndique ambiens ſubtilitate ſuæ ſubſtantiæ in profundũ corporis ingreditur, per vniuerſos corporis poros dilatatione arteriarum attractus, partim quia eſt pabulum, imo de ſubſtantia ſpiritus vitalis.

Ipſe vero aer in ſe multas patitur mutationes, tum propter ſubſtantiæ ſuæ raritatem, quæ valde mutabilis eſt, tum quia inter quatuor Elemẽta (ſi Aſtrologis credimus) plures habet Planetarum Sphæras quæ ipſum continuo mouent ac alterare poſſunt. Sphæra namque Solis tantũ mouet ignẽ: Sphæra Lunæ aquam: Sphæra ſtellarum fixarum terram: reliquæ vero Sphæræ omnes, ſicut Saturni Iouis, Martis, Veneris & Mercurij, mouent aerem. Si credimus, inquam, Aſtrologis.

Cuius rei gratia aer vbi bonus eſt & commodus, plus iuuamenti humano corpori adfert omni alia re naturali. Contra vero vbi nocuus eſt maluſque, ibi omni re eſt nocentior, imo peſtilentiſſimus eſt.

Saluberrimus vero vniuerſis hominibus aer iudicatur, qui optimus ac puriſſimus. Optimus autem ac puriſſimus aer is eſt, qui nec ſtagni, nec paludis halitu ſit infectus, nec aliquid ex metal-

lis,

is, aut caminis, aut barathris sibi admixtum habeat, nec ex profundo specu pestilentem auram spiret: Nec qui ex cloacis, quæ vrbẽ aut numerosum exercitum purgant, vitium contraxerit: Nec qui ex animalium, olerum, aut leguminũ, aut cuiuscunq; rei putredine coinquinetur. Nec qui ob stagnum aut flumen vicinum nebulosus sit. Nec qui editis vndique montibus aut ædificijs in cauo loco occlusus nullum recipit perflatum: suffocans enim putrisque est, similis ei qui in domibus quibusdam est inclusus, in quibus ob putredinem & perflatus defectũ plurimus aceruatur situs. Huiusmodi ergo aer omni ætati est noxius; sicut, è diuerso qui purus omnino est, nulli non ætati est saluberrimus.

Hinc admodum prudenter mihi agere videntur Principes ac magnates, qui in locis liberis, veluti ad finem ciuitatum, ad Orientẽ, Septentrionem, aut Occidentem arces suas ædificare solent; vbi commode perflari possint, & ab hominum mechanicorum fœtore, præcipue cadauerum, sint liberæ.

Sic aeris quidem essentia vniuersis hominibus æqualiter conuenit, quæ optima est.

At vero quæ ex ipsius qualitate, calido scilicet aut frigido, humido aut sicco contingit diuersitas, nõ perinde se ad omnes homines habet: Sed corporibus quę optimo temperamento sunt, etiã optime temperatus aer est saluberrimus. Optime autem temperati aeris termini hi sunt, vt in aere quidem ambiente, neque horreat corpus propter frigus, neque sudet propter æstum. In quibus vero aliqua exuperans qualitas dominatur, his vtilissimus aer est, qui ei qualitate maxime est aduersus, vtpote frigidus aer calidæ, calidus frigidæ, humidiori qualitati, siccus aer: sicciori quã par est tanto humidior, quantum siccitas ipsa modum excessit. His omnibus prospiciat oportet qui vires illæsas tueri velit.

DE QVATVOR MVNDI PLAGIS.

Quod autem ad quatuor mundi plagas attinet, Orientem videlicet, Occidentem, Septentrionem & Meridiem, non ignorandum est, quod aer & venti Septentrionales omnium pene saluberrimi censentur.

Galen in 1. de temp. lib.

Quippe qui non modo putredinem aliquam non adferunt, verum etiam ipsam, si adest, corrigunt. Quamobrem tempore pestilitatis huic plagæ fenestras nonnunquam apertas esse expedit, quia Boreas, qui frigidus & siccus natura ventus est, pestilentem aerem, sicut & solares radij, corrigere solet, omniaque imputria seruare. Orietales vero venti, quia calidi & sicci, Occidentales vero, quia frigidi & humidi censentur, non insalubres existunt.

Omnium deterrimi sunt Meridionales venti, quia calidi natura & humidi sunt: qua de re omnia facillime Austrino flatu putrescunt. Vitandi igitur sunt, præcipue vero infecti aeris tempore.

DE ANNI TEMporibus.

Ver.

Inter quatuor anni tempora saluberrimum ver esse Hippocrates testatur, ideoquè temperatum esse constat: longeque errant qui ipsum ver calidum humidumque esse autumant, cum nullum temperamentum putredini magis obnoxiū sit, quam calidum & humidum. Quod sane temperamentum (ex Galeni sentētia) in quatuor anni temporibus inuenire nequeas: in graui ac pestilenti aeris statu nonnunquā incidit. Aer itaque Vernalis, tum quia temperatus est, tum quia ob solem ascendentem à commixtis vaporibus depuratur, saluberrimus minimeque mortifer censendus est.

Autūnus

Autumnalis vero aer sedulo fugiendus est, non quod frigidus & siccus, vt falso quidam illi hoc temperamentum absolute adscribūt, sed propter in-

inæquabilem eius temperiem, quæ maxime autumnum morbiferum facit & exitialē, sicut Hippocrates illa sententia significauit: Cum eodem die modo frigus modo calor nos vrget, Autumnales expectandi morbi sunt. Gal. 1. lib. de temp.

Hyems vero frigida & humida Æstas autē cōtra calida & sicca est. Et huiusmodi quidem temporū vicissitudo. iuxta Prouerbiū ἡ μεταβολὴ τῶν πάντων γλυκεῖα nō solum suauis est, verū etiā ad valetudinē necessaria. Nam si vnum anni tēpus frigidum in corpore pituitoso aut parato cōmouere poterit Epilesiā, Apoplexiam, Paralysin. aut similes morbos: tempus vero calidum, in corpore bilioso & parato maniam, febres acutas, & id genus alios morbos: Quanto magis si duo triaue tempora, aut totus annus eiusmodi fuerit: præcipue si totus annus (aut magna ex parte) Austrinus fuerit, pluatque per æstū imber largus assidue. Id namque humidi ac calidi status proprium est, vt in æstu assidue pluat. Tū vero necesse est, vt aut magna pestilentia succedat, aut magna hominum corruptela ob putredinē subsequatur. Quapropter excedens temporum qualitas cum contraria sibi qualitate semper corrigenda est. Hyems & æstas. i. omnium rerum vicissitudo suauis est. Galen de tempera lib. 1.

Hæc quidem de aere, qui deperditam aeream igneamque corporis substantiam, videlicet spiritus, restaurat, nūc sufficiant: si modo hanc restaurationem per virtutem pulsatiuam seu spiritualē perfici denuo admonuerimus. Nunc vero de restauratione humidioris sicciorisque substātiæ quę effluxit, dicendum est. Atque hæc quidem restauratio per virtutem naturalē nutritiam perficitur. Cui quatuor virtutes naturales nulli non corporis parti insitæ, attractrix inquam, retentrix concoctrix & expultrix deseruiunt, Cibus namque & potus non nutriunt, nisi per dictas virtutes probe mutati confectique sint & adsimilati.

De

De secunda re non naturali,

CIBO ET POTV.

1. lib. de cibis boni ac mali succi.

Circa cibi potusque administrationem multa à multis dici solent, omnia tamẽ fere eo referũtur vt bona commodaque comestorum in ventre fiat concoctio Neque enim quisquam (si Galeno Medicorum principi credimus) morbo corriperetur, si accurate obseruaret, ne in cruditates incideret, nec post cibum vehementer exercitaretur. Hinc idem Galenus à crassi lentique succi cibis nõ prohibet eos, qui nulla re impediti exercitatione multa somnoq; ad satietatẽ vti possunt. Breuiter igitur circa cibi rationem sex consideranda sunt.

Primum cibi substantia, secundum cibi quantitas, tertium cibi qualitas, quartum tempus, quintum ordo, sextum consuetudo:

DE CIBI SVBSTANTIA.

Primum quoad substantiam, An tenuis, aut crassi succi cibus sit, obseruandum est.

Quamuis neque crassus neque tenuis cibus damnandus sit; neuter tamẽ quandoque vitio caret. Siquidem crassus cibus difficulter concoquitur, lentumque ac glutinosum succum gignit, qui calorem innatũ suffocando extinguere potis est. Tenuis autem cibus parum nutrit, corporaque quæ eo aluntur, & gracilia & imbecilla reddit: imbecillitas vero morbis facile est obnoxia.

Ad bonam itaque tenendam valetudinem cibi sunt eligendi, qui neque tenuem neque crassum penitus succum gignunt, sed qui mediam quasi inter tenue crassumque naturam habeant. Cuiusmodi sunt,

DE PANE.

Panis mundissimus ex farina triticea cum sale ac fermento secundum artem probe confectus, cuius grana non in aere infecto, nec de terra corrupta, sed sana sunt collecta, quique ob vetustatem

tem non corruptus sit, nihilque viciarum lolijue, quæ oculis neruisque incommodare solent, commixtum habeat.

Ex Gallinaceorum genere sunt tam mares, quam fœminæ, & caro pullorum.

DE AVIBVS, ET Piscibus

Ex auibus phasiani, perdices, columbæ, turtures, & omnes fere aues syluestres. *Gale. in lib. de boni maliq; succi cibis.*

Ex piscibus sunt saxatiles, marini, & squamosi, qui in aqua munda, arenosa & nati & capti sunt, habentes carnes duras, friabiles, sapidas & bene odoratas.

Aues namque & pisces fere omnes boni succi censentur, exceptis lacustribus, palustribus, & qui in immundis fluminibus ac turbidis degunt: minus enim sese natationibus exercent, vitiatoque tum aere, tum victus genere vtuntur: præsertim si in aquas illas vrbis alicuius amplissimæ latrinarũ balneorum culinarumq; loturæ purgamenta defluant. Caro enim animantium, quæ in eiusmodi aquis viuunt ac immorantur, deterrima est.

De syluestribus & quadrupedibus.

Syluestrium animalium caro, quia multis cursitationibus se fatigant, & in aere sicciore versantur, quam domestica incolumior censetur. Pluribus enim diebus à putrefactione adseruatur. Caro tamen hœdina, vitulina, aliorumque id genus laudabilium animalium, non est reijcienda.

DE LACTE.

Lac omnium vere Medicorum sententia probatissimi succi habetur. Muliebre tamen lac primas sibi vendicat, deinde lac asininum, postea caprinum, tandemque vaccinum & ouinum.

Necesse autem est vt animal, ex quo lac sumitur, sit boni habitus bonique succi, qui quidem

ex optimis pascuis ac nutrimentis eueniunt.

Immiscenda tamen lacti est vel mellis puri vel sacchari & salis nonnihil, ne in stomacho coaguletur: vacuo præterea stomacho sumendum est seorsim, præsertim absque piscibus.

Porro assiduus lactis vsus dentibus ac gingiuis officere solet, has enim humentes & flaccidas, dentes vero putrefactioni & erosioni obnoxios facit. Assumpto igitur lacte conuenit vino diluto, cui aliquid mellis sit admixtũ aut (quod præstantius est) primum melicrato, deinde vino adstringente os abluere. Sic enim si quid ex lacte caseosum dentium interstitijs gingiuisque infarctum obhæsit, abstergetur.

DE OVIS.

Inter cibos mediocres numerantur oua gallinarum. Eliguntur autẽ paruula, oblonga, ad mediocritatem cocta. Nã si nimis sorbilia sunt, vt facile digeruntur, ita & eorum nutrimentum facile euanescit, dissipaturque.

DE CASEO.

Caseus omnis crassi, vetus vero etiam mali succi est, recens autem nonnunquam mali, sed minus crassi succi est quam vetus.

DE CIBIS OMNIBVS HOminibus vitandis.

Cibi vero vniuersis hominibus noxij sunt qui excellentem in primis qualitatibus virtutẽ obtinẽt siue in calido siue in frigido, siue in humido, siue in sicco: vti sunt allia, cepæ, porri, caules, sinapi, & fructus pene omnes qui asseruari exiccarique nequeunt, sed antea quam exiccentur putrescunt, vt mora, persica, fungi, pepones, & id genus. Hæc de cibi substantia sufficiant.

DE CIBI QVANTITATE.

Secundo consideranda est cibi quantitas, quæ tanta

tanta esse debet, vt commoda eius fiat in ventre concoctio, & quantũ naturæ, non appetitui sufficiat, quæque minime grauet ventriculum: quod cum vitari in imbecillo ventriculo nequeat, proximum est vt quam citissime grauis esse desinat. Solus enim temperatus stomachus tantum appetit, quantum concoquere potest.

Frigidus vero natura stomachus melius appetit quam concoquit: Calidior autẽ stomachus contra melius concoquit quam appetat: potius ergo cibi crassi, quam subtiles ei conueniunt, quia illi concoquuntur, hi vero in eodem corrumpuntur. Exploranda igitur est stomachi temperatura, quæ pro ætate, sexu & alijs variatur.

Ac hoc sciendum, quod vt nimia quantitas, ita & nimia cibi paucitas stomachi coctionem impedire poterit. Nam si in magno stomacho adeo exiguus sit cibus, vt stomachi corpus corrugatum vndique amplecti cibum non possit, non exacta, nec commoda fiet cibi concoctio, A nimio autẽ cibo stomachus multo vehementius lęditur. Membrũ enim vltra modum extensum in continuitate sua nonnunqum soluitur, quare virtus eius naturalis omnino deficit, fitque cruditas, quæ mater est omnium ægritudinũ; ob idque dici solet, Plures mori crapula, quã gladio. Etenim multis nominibus exitialis est cruditas. Primum enim crudi succi si copiosi in corpore sunt, grauãt. Deinde tum multitudine tum crassitudine sua exiguos corporis meatus obstruentes calorẽ innatum extinguunt. Rursus manifesta sua qualitate non tantum alterant temperamenti mediocritatem, verumetiam corrumpunt. Denique cum nutrire corpus, priusquam concoquantur, crudi succi nequeant, syncopæ obnoxium reddunt.

Galen. in art. med.

Quotquot enim superflue se repleuerunt, aut rupta vena, aut suffocato calore naturali subito interierunt, vt Galenus de quibusdam athletis testatur. Et Hippocrates, Vbi cibus (inquit) præter naturam

turam copiosior ingestus est inde morbum creari sanatio indicat. Hinc est quod medici communiter ferculorum multitudinem in vna mẽsa damnant, ne ob varietatem, quæ delectare solet, plus cibi quam concoqui possit ingeratur. Quãuis mihi nõ pauci sunt noti, quos vnius cibi repletio magis quam moderata varietas lædit, vt in hoc certe consuetudo experientiaque non parum momẽti habeant. Breuiter vero sciendum est. Quod

Cibus	Multus, plenus seu crassus	corporis virtutem	auget,
	Moderatus		conseruat,
	Paucus seu tenuis		minuit.

Si igitur augere corporis robur voluerimus, vtemur alimẽto multo seu pleno: si custodire, mediocri. Si vero minuere ac demoliri vires corporis voluerimus (id quod per sanitatem nunquam, in morbis vero non omnibus; sed quibusdam iisque acutis moliendum est) vtemur alimento pauco, ac tenui victu.

2, Aph 4. Sicut igitur in substantia cibi dictum est, medios cibos eligendos, ita in quantitate etiam mediocritatem seruasse optimum fuerit. Hinc recte Hippocrates inquit. Non satietas, nõ fames, neque illud quicquam, quod modum naturæ excesserit, bonum: Omne enim nimium naturæ est inimicum.

Quando tamen à medio ad aliquod extremorum declinare necesse fuerit; tutius, meo quidem iudicio, erit vt plurimum in paulo pleniore, quã nimis tenui victu excedere, vt clarissime Hippocrates testatur. Quiuis, inquiẽs error committitur grauior in tenui victu quam paulo pleniore. Propterea etiam sanis valde tenuis stataque & exquisita victus ratio parum tuta, quoniam errores grauius ferunt, ob hoc igitur tenuis victus atque ad modum exquisitus, eo qui paulo plenior est, vt plurimum magis periculosus existit. Et his Hippocratis verbis manifestum fit, per victũ paulo pleniorem

niorem vires corporis augendas potius, quam per tenuē deijciendas esse. Sicut enim corporis imbecillitas morbis fere omnibus obnoxia est, ita cōtra natura fortis nulli non morbo resistere potest, dum materiam morbi mire expellit, Galeno teste. Atque hæc fere causa est, cur violenti nonnulli homines omnibus pene in rebus inordinate viuentes nullam tamen ægritudinē incurrere videantur. Adde quod nocumentum cruditatis & morbi materiales facilius sanantur, quam morbi immateriales & arefactionis.

Summe tamen curandum, vt si quando mediocritas plane seruari nequeat, excessus saltem sit mediocris. Ne habitus corporis ad summū bonitatis attingat: siue enim refectiones, siue euacuationes, si ad extremum perueniant, periculosæ sunt teste Hippoc.

DE CIBI QVALITATE.

Tertio consideranda est cibi qualitas. His enim qui æquali temperamento sunt præditi, æquales ac temperati cibi ac potus maxime cōducunt. Tanto enim melius est nutriens, quanto ijs iucundius est quod comedunt. Itaque cibis medicamentosis vti ijs temere non expedit, siquidem calidiores cibi (vt allia. cæpæ, sinapi &c.) sanguinē adurunt & excoquunt: frigidiores autē cibi phlegmaticum humorē generant, qui tum manifesta sua qualitate, tum substantia sua crassa & viscosa calorem innatum suffocando extinguit. *6. lib. de sanitat. tuend.*

Porro intemperatum quidem temperamentum si vertere quis in melius velit, alimēti species cōtraria esse superanti qualitati debet. Sensim vero id citraque noxam fiet, si & præsit medicus, & is cui curatur, à negotijs ita liber sit, vt omnia suo tempore peragat. Nam qui negotijs districtus est, illi longe tutius fuerit, vt nec tentet temperamētum suum mutare, sed accommoda sibi nutrimēta sumat: Apta autem sunt humidis quidē humi- *6. de sanit. tuend.*

da, ſiccis vero ſicca. Nutritio enim fit, cum cibus corpori aſſimilatur. Citius vero adſimilâtur ſicca ſiccis, & humida humidis: hinc rectiſſime Hippocrates: Humidus victus omnibus febricitantibus (inquit) confert, maxime vero pueris, & alijs qui tali victu vti conſueuerunt.

1. lib Apho 16. 6. de ſanitate tuend.

Qui vero calidiore frigidioreve temperamento ſunt prædití, ijs contraria dare ſemper expedit. Facilius enim ſimilibus alimentis in morboſam intemperantiam abeunt, quam qui humidiore aut ſicciore ſunt temperamento, ob calidi frigidique vehementem efficaciam phyſicis notam.

Porro tametſi moderata ciborum varietas concedenda ſit, ſedulo tamen cauendũ eſt, ne cibi vna vice ſumendi ſiue ſubſtantia, ſiue qualitate valde inter ſe diuerſi ſint: Nam ob ſubſtantię diuerſitatẽ inæqualis fit concoctio, vt patet de carnibus boũ & hœdi in eadem olla ſimul decoctis.

1. de alimentorum faculta.

Ob qualitatis vero contrarietatem ac pugnam inter ſe oriuntur in vẽtre tormina & inflationes, quæ non niſi pugnantium expulſione finiri ſolẽt, vt Galenus de braſſica teſtatur, quæ licet ſimplex eſſe videatur natura, tamen compoſita eſt. Succus enim eius ad expulſionem ſtimulat, ſolida autem eius ſubſtantia ſtringit ventrem: ob id tutius eſt ſuccum à ſubſtantia ſeparare.

DE CIBANDI TEMPORE.

Quarto obſeruandum eſt in cibando tempus: quod trifariam conſideratur. Primo ratione anni, ſecundo ratione ætatis. tertio ratione diei. Non parum enim ad victus rationem inſtituendam anni tempora conferunt Hyberno namque tempore & plus appetunt homines, & cibum facilius concoquunt, quam in æſtate. Cuius rei cauſam reddit Hippocrates, Ventres, inquiens, hyeme & vere natura calidiſſimi ſunt, & ſomni longiſſimi: quare per ea tempora alimenta copioſiora ſunt exhibenda. Etenim calor innatus tũ plurimus

1. Aph. 15

rimus

rimus est, vnde & pluribus egent alimentis. Oportet enim esse alimenta non solū quantitati eius, quod ex corporibus nostris effluit, sed & innati caloris multitudini proportionata.

Hip. de vict. rati. pri.

Porro Hyemi adsimilatur & Veris initium, & Autumni finis. Æstati vero finis Veris, & Autūni initium similia sunt.

Quod autem ad temporum qualitatem attinet, Hyemis quidem tempore, cum immoderate frigida humidaque sit, corpus calefaciendum exsiccandumque est: ideoque plurimo cibo, sed calido & sicco: potu vero paucissimo, eoque meracissimo carnibus magis assatis, quam elixis: oleribus paucissimis hoc anni tempore vtendum est.

Hyems,

Vere autem, quia temperatum est, temperatis cibis ac potibus vtendum, paulo plus dilutiusque quam in hyeme bibendum, ciboque paululum demendum est.

Ver.

Æstate vero, quia hoc anni tempus calidum siccumque est, corpus exuritur, squalidumque euadit: ob id humectandum refrigerandumque corpus est. Commodissimum igitur fuerit tum temporis nutrimento vti humido & molli: carnibus potius elixis, quam assatis: potio sit multa, magisque diluta, quam in vere.

Æstas.

Per Autumnum verò cibo paulo pleniore & sicciore boni que succi vti expedit: minus vero sed meracius bibere commodum est. A fructibus vero qui tum abundant, quia communiter putrescibiles sunt, abstinendum est, exceptis fructibus austeris, qui non facile corrumpuntur.

Autūnul.

Differentia ætatum etiam nonnihil conducit ad victus rationem capiendam: Siquidem senes facile ferunt inediam, pueri difficulter, mediæ autem ætates inter senes & pueros, quanto alteri ipsorum proximiores sunt, tanto minus aut magis ex longis inedijs offenduntur. Egregie igitur Hippocrates: Senes inquit, facillime ieiunia ferunt, secundo loco, qui ætatē constantē a-

Secūdum tempus ætatis

gunt, minus adolescentes, omniũ minime pueri, præsertim qui inter eos viuidiores sunt: Qui enim crescunt, plurimum habent calidi innati: plurimo igitur egent alimento; alioquin corpus absumitur. Senibus vero parum calidi innati inest: paucis propterea fomitibus egent, quia multis extinguuntur.

Ex his manifestum est, pueris multum cibi ac sæpe in die dandum esse, propter multum eorum calorem innatum, qui alioqui in substãtia humida ac molli absumitur defluitque. Senioribus vero ac decrepitis sæpe quidẽ, sed parum pro vice comedendum esse, ne paucus eorum calor multo alimento extinguatur: sicut parua flamma multo oleo simul infuso extingui solet.

Tempus vero diei sic considerandum est: vt per æstatem sæpius quidem in die, parum tamen pro vice vna, & horis & locis communiter siue arte siue natura frigidis, cibũ sumamus: in Hyeme vero contrario modo. Nunquam tamen, nisi priore cibo probe concocto verus & naturalis adsit appetitus, edendum est: sicut rursus nec famelico stomacho cibus denegandus est, ne impleatur malis humoribus, videlicet biliosis, pituitosis ac serosis, quos iecur nonnunquam stomacho valde appetenti trahentique remittit.

DE ORDINE CIBORVM.

Quamuis melius sit minime varios neque substantia, neque qualitate cibos simul in vna cibatione coniungere: tamen quando id ob consuetudinem, aut magnatum reuerentiam hoc nostro tẽpore vsu venit, tum si stomachus fuerit frigidus, qualis in senibus & ociosis hominibus esse solet, semper mollia & humida, & quæ concoctu sunt facilia præmittere expedit. Contra vero, si stomachus fuerit præcalidus, vt est in quibusdam
1. Alimen. iuuenibus laborantibus ac exercentibus se (quos Galenus facilius carnes bouinas quam saxatiles pisces

piſces concoquere poſſe ſcribit) ijs expedit craſſos ſiccos, duroſque cibos præmittere ſubtilibus ac mollibus, Craſſi namque cibi ſat belle in eorum ſtomachis concoquuntur: ſubtiles autem in nidorulentam, ac fumoſam quandam qualitatem corrumpuntur. Eiuſmodi vero cruditas, ſi Galeno credimus, deterior eſt, ac promptius febres accēdit, quam ea quæ ob frigiditatem cibos in acidam qualitatem vertit. 8. lib. ar. curat.

Communiter tamen humida, pinguia & dulcia primo loco: quæ ſicca aſtringentiaue ſunt, ſecundo loco aſſumuntur.

DE CONSVETVDINE.

Conſuetudo non ſolum in cibo & potu, verumetiam in omnibus alijs rebus non naturalibus diligenter obſeruanda eſt: Maximam namque vbique & maxime principalem habet vim tam in recuperanda, quam in conſeruanda ſanitate. Cuiuſque enim corporis naturam oſtendit, adeo vt Galeno ſui temporis medici nonnulli etiam ſenſu communi caruiſſe videantur, qui eam velut inutilem reijcere audebant. Quis enim adeo ſtupidus eſt, vt magnopere ex aquæ frigidæ potione læſus, hanc in diutinum vſum duxiſſe velit? 9. methód. medend.

De conſuetudine ſic inquit Hippocrates: Qui conſueti ſolitos labores ferre, etſi fuerint imbecilles & ſenes, nō conſuetis fortibus atq; iuuenibus facilius ferunt. Quæ enim ex longo tempore conſueta ſunt, etſi deteriora ſunt, inſuetis minus moleſtare ſolent. Ac cum nemo ſit hominum, qui inopinatis rerum ſortibus non ſubijciatur, periculoſa eſt vnica tantum conſuetudo. Addit ergo Hippc. Oportet igitur ad inſueta permutari: mutatio tamen debet eſſe modica. 2. Aphor. 49. 50.

Quod vero conſuetudo longo tempore contracta temere mutanda nō ſit, aptiſſime Galenus ex iſta Hippocratis ſentētia euincit. Humidus omnis 1. Aphor. 16.

victus febricitantibus est idoneus, potissimum autē pueris, & alijs qui ita cibari sunt sueti. Febricitātibus enim, vt inquit, ex ipsa contrariorū indicatione, humidus victus cōducit. Pueris vero, & alijs qui tali victu vti cōsueuerūt, ex indicatione similiū. vt enim ætas pueris, non morbus, sed secundū naturā est: ita consuetudo ascititiam quandam naturam in corporibus gignere solet, cui contraria dedisse imprimis est noxium: gaudent enim naturæ consuetis semper. Ergo assuetudines tametsi prauæ sunt, tempore ægritudinis non sunt mutādæ. Imo nec per summam sanitatem semper id tentandum est: sed tum cum à negotijs maxime liberi sumus.

8. lib. meth. med.

5 lib. de tuēda sanitate Galen.

Ad consuetudines etiam naturarum proprietates pertinent, quas recentiores Medici Naturas specificas, aut insequentes materiam appellant. Secundum quas quidem proprietates (ex Galeni sententia) alij semper ad alios cibos & potus recte se aut non recte habent. Et in hoc certe fallūtur nonnulli, ac imprudenter operātur, qui exhibent vinum, aut aliud quippiam secundum proprietates specificas alicui contrarium, quantūuis cognouerint illud secundum qualitates manifestas cōuenire. Proprietas enim in omnibus, siue specifica, siue insequens materiā, est supra omnes dispositiones manifestas obseruanda. Et hoc est, quod Hippocrates ait: Parum deterior cibus & potus, delectabilior vero, melioribus quidem, sed minus suauibus est præferendus. Atque in hoc experimentum vincit rationem.

7. art cur t. 1. br.

2. Aphoris. 38.

DE POTV.

Quoniam compendiose de ratione cibi, quo substantia sicca è corpore nostro effluxa restauratur, actum sit: nunc breuiter dicendum est de potu, qui substantiam corporis humidam effluxam restituit, tametsi sint qui esse ipsum vehiculum tantum cibi existiment,

DE

DE POTIONIS MODO.

Potionis, si Galeno credimus, is modus erit, vt nec in ventriculo innatet, nec fluctuationis vllius sensum inuehat. Illico etiam post cibum antequam concoquatur, bibendum non est: siquidem innatant cibi si bibatur, ita vt eos ventriculi corpus propter interpositum humorem non contingat: veruntamen sitibundus si quis fuerit, prohibere eum in totum vt graue est, ita nec expediens: sed tantillum indulgendum est, quod & desiderium soletur, & sitim leuet. Posteaquam vero nutrimentum concoxerit, abunde bibere sinendus est: quippe celerrime, si ita fecerit, per corpus alimentum distribuitur, id quod extenuatis cumprimis conducit. Qua de causa potum hora cibationis non in quantitate continua, sed discreta, non vna, inquam, sed pluribus vicibus assumere expedit. *7. lib. meth. medend.*

Potus vero tum substantia tum qualitate eiusmodi essr debet, vt præcordia celeriter transiens non diu in ventre fluctuet.

DE AQVA.

Aqua quidem optima est fontana recens, cuius nulla qualitas vitiosa aliunde sit contracta, cuius fons ad orientem solem erumpit, quæque per meatum aliquem mundum aut puram colatur terram, quæque calefiat, refrigereturque ocyssime. Cauendæ vero sunt aquæ quæ ex stagnis hauriuntur, & quæ turbidæ, & quæ male olentes, & quæ salsæ: Denique in quibus qualitas aliqua gustu deprehenditur: quando quæ optima est non gustui modo, verumetiam olfactui omnis qualitatis expers videbitur. Eadem quoque tum potui iucunda erit, tum plane pura. Quod si præcordia quoque celeriter transit, nihil est quod magis idoneam requiras: quãdo si qua pura lympidaque est, nec potu insuauis, ac nihilo secius tamen circa præcordia hæret, hæc vitio non caret, *Gal. 1. de sanitate tuenda.*

atque abstinendum ab ea censeo: vti cum prorsus frigida est calefacta, non dissuadeo. Tutissimum tamen fuerit experientia ipsa de eiusmodi aqua iudicium fieri.

DE VINO.

Vinum haud ita omnibus sicuti aqua conducit: quam enim iam optimam iudicauimus aquam, hac vti puero, iuueni, seni (velut & de aere dictum est) conducet. Vino autem alijs alias pro ætatis ratione vti expedit: Sciendum enim quod vinū calefacit & humectat, cuius rei gratia pueris, qui calido humidoque sunt temperamento, minime conducit. Nam præterquam quod nihil commodi ex vini potione sentiunt, etiam læduntur, eò quod non solum plus æquo calefiunt humectanturque, sed etiā quia caput ijs halitu repletur, sicuti & alijs omnibus, qui calido humidoq; temperamento sunt præditi.

Quare neque adolescentibus vinum nisi modice sumptum vtile est, quod videlicet & ad irā & libidinem eos præcipites faciat, & animi rationem hebetem turbidamque reddat. Cum autem sit omnis excessus fugiendus, maxime hunc fugere expedit, ex quo non corpori modo, sed etiam animo damnum accedit. Senes autē quia frigido siccoque temperamento sunt, omniū commodissime vino vtuntur.

DE VINI IVVAMENTIS.

Iuuamenta vini sunt humectare ac nutrire quicquid immodice siccatum est, siue ex immodicis laboribus, siue ex proprio ætatis temperamēto siccitas prouenerit. Bilis item amaræ acrimoniam mitigare ac frangere, per sudores vrinasque eandem vacuare, ea quæ in ventriculo aut venis sunt concoquere, vires organorum augere excrementis expellendis viam facere, & cum vina boni succi sint corpus nutrire, quorū tamen iuuamentorum pæne nullo egent pueri.

11. lib. art. curat.

Porro

Porro vina validissima sunt, quæ plurimum aquæ in mixrura sustinēt. qualia mox colore flaua, ætate vetera, bonique odoris esse solent, quę vero paulo minus calida existūt, fulua sunt, quę adhuc plus à vehementia caloris recedunt, rubra ac dulcia sunt, quæ vero colore alba & aquosa conspiciuntur, omnibus minus calefaciūt, & quasi media inter aquam & vinum videntur.

Austera vina roborant quidem ventrem, caputque inter omnia minime tentant, cæterū digestionem in corpus minime accelerant. Gale. lib. 12. meth. med.

Vinum substantia tenui & qualitate calidum conducit phlegmaticis, crudos humores habentibus, ob idque in syncopen incidentibus. Vinum vero substantia crassum confert macilentis, qui impinguari desiderant. Cauendum autem, ne obstructiones inuehat.

Ieiuno præterea stomacho vina communiter cauenda sunt. Quemadmodum autem diluenda sunt vina ratione temporum, dictum est supra cum de cibandi tempore agcretur. Breuiter cuique obseruanda est sua consuetudo. Sunt enim quibus caput ob imbecillitatem, si vel paulo meracius biberint, statim tentatur, rursus sunt, qui meraciore adeo delectantur, vt si dilutius biberint, eorum stomachus subuertatur. Vetus vero vinum adeo sitim non extinguit, vt inexhaustam etiam sitim generet. Quidam enim veteri vino obrutus ac inebriatus siti perijsse legitur. Et immoderatius ingestum, præter cætera nocumenta, etiam apoplexiam, morbum comitialem & id genus alios morbos frigidos excitabit, calorem innatum suffocando.

De tertia re non naturali:

REPLETIONE ET EVACVATIONE.

Dixi hactenus nonnihil de primo sanitatis tuēdæ, scilicet de refectionis eius, quod è corpore effluxit,

fluxit, modo. Nunc breuiter dicendum est aliquid etiam de altero conseruandi sanitatē modo, qui per excrementorum, quæ per concoctionem collecta sunt, expulsionem fit.

De repletione, quod vitanda sit, dictum est supra in cibi quantitate: quia omnis immoderata repletio, siue ad vasa, siue ad virtutē, siue ex potu, siue ex cibo perniciosissima existit.

Hic præter dicta obiter notandum, duplicem esse repletionem: vnam recens factam, alteram paulo ante factam. Recens factam repletionem voco, quando quispiam se nimio cibo & potu sic repleuit, vt grauem se crudumque sentiat. Et ista quidem repletio per purgantia pharmaca, vt non nulli ignari faciunt, haud curanda est, sed potius per abstinentiā, per deambulationem, per somnū multum, & his similia, donec cibus ad inferiora descenderit. Tū enim adiuuari potest, aut glande subdita, aut leni per anum infusione.

4 lib. de sanitate tuend. Nam si crudi humores in corpore collecti admodum pigri & ad expulsionem inepti ob crassitudinem frigiditatemque sunt: quanto magis cibi nondum in ventriculo confecti, neque in humores conuersi? Vbi igitur cruditas in corpore est, alui deiectio plus periculi, quam iuuamenti adfert, præterquā enim quod nec notatu quippiā dignum educit, etiam tormina, rosiones & animi *1. Aphor. 22.* deliquia creat: id quod Hippocrates illo oraculo præcauit, quo breuissime præcipit, Concocta medicamento tentanda esse, non cruda, &c.

Paulo ante facta repletio est, quando cibi & potus longo temporis spatio in humores conuersi, ac per calorem innatum iam nonnihil concocti sunt. Et huic quidem repletioni conuenit euacuatio, quia rectius non curatur, quam euacuatione. Hanc duplicem repletionem innuit Hippocrates *4. Aphor. 41.* illa sententia: Sudor multus ex somno factus absque causa manifesta, &c.

DE EVACVATIONE.

De euacuatione ſciendum, quod Hippocrates euacuationem ſimpliciter vocare ſolet, quando humores omnes æqualiter euacuantur: purgationem vero appellare, quando humores praua qualitate affecti educũtur. Vbi enim æqualiter inter ſe ſucci ſunt adaucti, id & plethoran Grçci vocãt, nos plenitudinem & ſuccorum redundantiam dixerimus; vbi vero vel flaua bili, vel nigra, vel pituita, vel ſeroſis humoribus refertum corpus eſt, eum habitum cacochymiam quaſi ſuccorum vitium dicas, nominant.

4. Aphor. 17.

Gale. lib. 13. metho. med.

Ergo plethora tum ſanguinis miſſione, ſcarificatioueve curatur, tum frequenti balneo: tum exercitatione: tum frictione, præterea digerentibus medicamentis, & præter hæc omnia ex accedente inedia.

Succorum vero vitium, purgatione, quæ cuique ſuperanti ſucco ſit accommodata, corrigitur.

Cum autem purgantium medicamentorum vſus ſanitatis tẽpore rarus eſſe debeat, nec niſi valde indigentibus, & ex longis interuallis vtilis ſit (quoniam earum, quæ quotidie generantur, in corpore ſuperfluitatum euacuatio plerunque minor eſt, quam vt purgantis pharmaci operationem exigat) non erit nunc de ijs locus.

Sed breuiter notandum: cum eorum, quæ è corpore exigenda ſunt, variæ ac multæ ſint ſpecies, non ſolum vacuationem ſecundum eaſdem variandam eſſe, ſed vnumquodque etiam excrementum per conuenientem regionem ac propriam à natura ſibi ordinatam viam excernendum eſſe.

Sunt enim excrementorum ſpecies, aliæ quidem eorum, quæ in ventre perficiuntur, & à ſero ſeparantur, ac per omnia inteſtina paulatim impulſa tandem per ſeceſſum excernuntur. Aliæ vero, eorum, quæ in iecinore perficiuntur, & eſt, aut

flaua, aut atra bilis: quæ & per aluũ, & per vomitum expurgari possunt. Cæterũ aptior est vacuatio per aluum, tanquam vsu iam valentibus intestinis iecinoris superflua tolerare Aliæ eorũ, quæ in arterijs & venis: & est vrinalis aquositas, per renes ad vesicam transmissa. Aliæ eius, quod per singula membra distribuitur alimenti: & est partim sudor, partim materia, quæ per omnes exiguos corporis meatus seu poros euaporat, ac per occultam transpirationẽ euanescit. quæ vt sensum fugit, ita & nomen non habet. Sunt præterea tamen partes, quæ præter hos latentes meatus alios quosdam apertos & conspicuos obtinent, sicut cerebrum propter suam eminentiã plurimis maximisq; canalibus expurgatur, primum per nares & palatum, secundo per vtramque aurem, tertio per caluariæ commissuras, nec non etiam aliquid ab eo confluit ad oculos; Oculus vero, quo probius munus suum obeat, per euidẽtes meatus eijcit quicquid in eo excrementi gignitur, nẽpe per nares genasque. Sic pulmo per sputum ac tussim præcipue expurgatur.

Gal lib 7. metho. medend

Gal. 1. de sanitat. tuend.

Porro omnium excrementorum retensorum commune hoc documẽtum est, quod retentionis causæ semper contraria causa admouenda sit. Exẽpli gratia, si restricta aluus fuerit ob comestorũ paucitatem ac siccitatem, videndũ, vt tum plura, tum humidiora exhibeamus, si vero ob siccitatem tantum, non quidem plura, sed humidiora offeramus, si ob comestorum austeritatem & acerbitatem, dulcibus ac pinguibus cibabimus.

Quod si in ordine ciborum erratum est, vt si ea, quæ adstringunt siccantque, primo; quæ vero humida, dulcia ac pinguia, sunt, secundo loco sunt comesta; tunc corrigendus error, & mutandus ordo est.

Si vero ob vtendi modum, vt si quis cum bis edendum esset, tantum semel comederit, non bis tantum, sed & sæpius citabimus.

Deinceps: si excrementi mora ob ventris intestinorumque intemperiem quãdam euenerit, considerandum est, an naturalis, an recens contracta intemperies sit. De naturalibus quidem hic nihil agetur.

Recentium vero intemperierum octo sunt differentiæ: quatuor simplices, calidæ, frigidæ, humidæ, siccæ: quatuor compositæ, calidæ & humidæ, calidæ & siccæ, frigidæ & humidæ, & frigidæ & siccæ.

Quæcunque ergo ex his recens contracta intẽperies, siue simplex, siue composita fuerit, contrarijs sibi remedijs reducenda ad æqualitatẽ est, quam ad rem peritus nonnunquam ac fidelis aduocandus est medicus.

Sic de reliquorum excrementorum in corpore retentorum speciebus haud dissimile esto iudicium.

DE VOMITV.

Bene inquit Galenus, antiqui medicorum simul cum alijs documentis ad sanitatem tuendam pertinentibus, à cibarijs vomitum singulo mense suadebant, nonnulli quidem semel sufficere existimantes, alij autem etiam bis concitandum censerent. Omnes tamen hi qualitates ipsas comestorum acres & abstersorias eligendas suadent, vt totum phlegma ventris expurgetur, & nihil cacochymia lædatur corpus. Frequens tamen & laboriosus vomitus omnibus fere hominibus cauendus est, præcipue vero ijs, qui stricto pectore & ad sanguinis reiectionem per os parati sunt, Nocet enim pectori, auribus, oculis, dentibus & ipsi quoque capiti, nisi ob stomachi repletionem sit læsum.

5. lib de vsu part.

DE PHLEBOTOMIA ET scarificatione.

Venam per annum sæpius incidere haud conuenit,

uenit: vnà enim cum sanguine vitalis spiritus excernitur, qui si copiosius absumatur, fit vt tota moles reddatur frigidior, operaque naturalia deterius perficiantur. Quamobrem à minus principalibus, puta cruribus, detractio cum scarificatione facienda est.

Ex li. Gal de hyru. & re vul. cucurbitula & scarificat.

Vbi tamen magni cuiusdam morbi metus immineret, cum virium robore florenteque ætate, tuto sanguis mittendus esset.

In hoc tamen consideranda est naturalis hominis temperies. Nã quibus amplæ sunt venæ, quiq; modice graciles sunt, nec candidi, nec tenera carne præditi, securius sanguinis missione vtuntur. Contrarij vero minus tuto: quippe qui exiguũ sanguinis habeant, carnemq; facile transpirabilẽ: cuius rei gratia nec pueris venam secare tutum est vsque ad quartumdecimum ætatis annum. Qui igitur nigriores natura sunt, crassiorem sanguinẽ ac magis melancholicum colligunt: magis vero si etiam magnas habere venas conspiciuntur, ac corpore hirsuti sint, ij secta vena iuuantur. Qui vero albidiores natura sunt, & carnosi, & paruas venas habentes, sanguinem plerunque tenuem aceruare solent: quocirca ijs malleolos aut poplites scarificare, quam venam incidere, præstiterit.

Gal. in li. de rat. curandi per sanguin. mis. & 3. lib. de locis affect.

Senibus præterea venam incidere periculosum est: Ætas tamen senilis, non annorum numero solum, sed & corporis habitu æstimanda est. Sũt enim qui septuaginta nati annos venæ sectionem adhuc perferant; cũ rursus sint, qui ne sexagesimo quidem ætatis anno ferant. Si igitur vires robustæ adfuerint, quas pulsus vehemens cum æqualitate indicare perpetuo solet, vel septuagenarijs (si affectus iubeat) venam secare par est: minus tamen vtique ijs detrahendum est sanguinis, quã ætate florentibus, tametsi affectio sit vtrisque æqualis.

DE BALNEIS.

Balnea, quia per cutem æqualiter corpus euacuant,

euant, recte ad sanitatem tuendam nonnunquam adhibentur. Et quamuis parua sit. quæ per balnea fit euacuatio, tamen à Galeno omnes pene euacuationes, quibus Medici circa ægrotantium corpora vtuntur, recensente, etiam balnea inter ipsas adnumerantur, tutiusq; crebrò, quam purgantia pharmaca adhibentur. Raro autem lauacro vtuntur homines (si Hippocrati credimus) quod ipsum præparare nesciunt: Balneæ namque si veterum Medicorum ritu instituuntur, quatuor partibus varia facultate præditis constant: ob idque Galenus recte easdem calidæ intemperiei hecticisque febribus duplici ratione, tam per se, quam ex accidenti prodesse autumat.

2. Aphoris. Cō. 15. 3. Aphoris. Com. 5. 4. Aphoris. Com. 2. 3. lib. de viuend. rat. in morb. acut. 10. li. meth. medend.

Primum enim homines balneandi in aere versari calido debent, postea in aquam calidam descendere (lauacrum vocant) mox ab hac egressi in frigidam, postremo sudorem detergere. Quibus enim omnia rite adhibita sunt, ij post frigidæ vsum ad huc sudant, & omnia ipsis excrementa euacuantur. Præcipue autem euacuatur per balneas quicquid in corpore vel fuliginosum vel fumidum fuit. Consistunt autem in naturali symmetria, tum caro ipsa tum cutis, solidarum partium ariditas corrigitur, & calor non modo is qui ex lauacro accessit; verum etiam qui prius fuit ex frigidæ vsu, summouetur.

Hæc quidem commoda balnea aquæ dulcis potabilis sequuntur.

Aquæ vero naturaliter calidæ medicamentosæ (quas thermas vocāt) siue marinę atque salsę fuerint, siue nitrosæ, siue sulphureæ, plus quidē bilis educunt, quam dulces, sed non ita humectant, neque prosunt, imo qualitate sua nonnunquam plus nocere, quam euacuationibus iuuare conspiciuntur, vti Galenus testatum reliquit de quodā. qui corrupto iudicio ijs balneis vsus, ad tantam corporis extenuationem ac perniciem peruenit, vt tabe consumptus interiret. Dulcium autem cale-

Gal. 3. lib. de sanit. tuend.

facta-

factarum aquarum, si media temperie sint, vis calida & humida est, si tepidiores sint, humida & frigida. quod si iusto calidiores fiãt, calida quidẽ, sed non perinde humida vis est. Qui carnis augendæ gratia balneantur, sicut macilenti, & qui atrophia vexantur, nullumque ex cibo fructum sentiunt, post comestionem, facta tamen prima & secunda concoctione, balneas ingredi debent, ac tantisper in ijs morari, donec membra ac venæ in tumorem attollantur: sed antequã concidat tumor egrediantur, ne id quod attractum est nutrimentum resoluatur.

Qui vero gracilis esse cupit, ieiunus ac famelicus balneandus est, calide magis quam frigide, moreturque in lauacro, donec tumor ac venarum inflatio minuatur, ac post exitum dormiat.

DE CAPITIS LOTIONE.

Caput vero lauandum est aqua aut lixiuio valde calido, quantũ scilicet quis tolerare poterit, ne superfluitates ob tepiditatem aut frigiditatem in capite retineantur: moxque pannis calidis caput exsiccandum est.

De quarta re non naturali.

MOTV ET QVIETE.

Motus quidem omnis calefacit corpora, contra vero quies refrigerat: Hæc calidis, ille frigidis naturis ex vsu est.

Non omnis motus ex æquo omnibus exercitatio est: Idem enim motus alteri potest exercitatio esse, alteri vero non.

Is vero motus exercitatio dicitur, qui anhelitũ crebriorem citatioremq; reddit. Sed omnium exercitationum vtilissimæ hæ esse probantur, quæ non corpus solum, sed & animũ oblectare poterunt. Hinc admodum sapienter fecisse videntur, quicunque venationes, aliasque animaliũ capturas excogitarunt.

Exer-

Exercitationis iuuamenta licet multa ſint, tamẽ tria præcipue numerat Galenus, quibus reliqua priuatim commoda accepta referuntur. *2. lib. de ſanitate tuend.*

Primum eſt, membrorum durities ac robur, mutuo eorum contritu eueniens

Secundum, innati caloris augumentum.

Tertium, ſpiritus citatior motus.

Porro ex membrorum duritia vtique ſequitur, vt & membra ex labore minus afficiantur, & ad labores valentiora promptioraque reddantur.

Ex calore vero aucto omnes corporis virtutes ſeu facultates, præſertim naturales, vegetiores reddũtur. Atq; adeo tum validior fit deducendorum in corpus attractio, tum immutatio magis expedita, tum nutritio magis fœlix.

Ex ſpiritus vero valentiore motu, & purgari omnes exiguos corporis meatus neceſſe eſt, & excrementa expelli.

Si igitur hoc præſtat exercitatio, ſicque impura atque ab excrementis parum mundata corpora quanto magis nutriuntur, tanto magis lęduntur; vtilius certe eſt ante cibationem omnem adhibere exercitationem. Id quod Hippocrates his verbis indicat. Labor, cibus, potio, ſomnus, Venus, omnia mediocria. Singulorum enim mediocritatem ſeruandam eſſe, per epithetõ mediocria præcipit. Tempus vero ipſo ſermonis ordine definiuit interpretante ſic Galeno. Illud idẽ Hippocrates clarius ſic oſtendit. Labores, inquiẽs, cibos præcedant. Ex his manifeſtũ eſt, prauã atq; erroneam eſſe in omnibus ferme gymnaſijs literarijs conſuetudinẽ; vbi litterarũ ſtudioſa iuuentus nũquam pene niſi ab aſſumpto ſtatim cibo corpora exercitare ſolet. Sicut enim maximi momẽti ad ſanitatis tutelam eſt exercitiũ ante cibos, ita perniciofiſſima res eſt, omnis poſt cibum motio: diſtribuitur namque tum cibus ex ventre per omne corpus, priuſquã concoctus ac vtilis factus ſit, & c. *2. Aphoriſmo. 10.* *Gal. li. de cib. boni ac mali ſucci.*

Commo-

Commodiſſimum ergo ad exercitationem tempus eſt, cum heſternus cibus prorſus iam duplici concoctione ſit confectus, ea videlicet quæ in ventre, & ea quæ in vaſis ſanguinis agitur, ac iam denuo cibandi tempus inſtet. Nam ſi aut prius, aut poſterius exercitatione vteris, aut crudis humoribus hominem impleueris, aut pallidæ bilis prouentum auxeris. Huiuſce vero temporis nota color propriæ vrinæ cuique eſſe poterit. Vrina namq; quæ aquæ ſpeciem præfert, crudum adhuc in venis eſſe ſuccum eum indicat, qui à vētre ſubmittitur. Quæ vero ruffa binoſaq; eſt iamdudum concoctum eſſe huiuſmodi ſuccum, quæ modice pallet, peractæ iam iam ſecundæ concoctionis eſt ſignum, cum namque bili infecta vrina nondum eſt, aquæ ſpeciem albedinemque præfert. Cum vero plus iuſto eius bilis acceperit, ruffa cernitur. Ergo cum mediocriter eſt ruffa, mediocriterve pallens, tum eſt exercitatio adeunda, expulſis tamen prius excrementis, quæ vel in veſica vel in inferiore ventre continentur, ne quid ex his vi caloris (qui per exercitationem accenditur) in habitum corporis rapiatur.

2. de tuenda valet.

Hæc de exercitationis tempore iam dixiſſe ſatis ſit. Quod autem ad exercitationis quantitatē ſeu menſuram attinet, ſciendum quod tum demum à motu deſiſtere fas eſt, quando vel tumor corporis detumeſcit, vel coloris pulchritudo & robur mutatur, aut cum ex motu vel laſſitudo vel ſudoris copia ſequitur, id quod Hippocrates partim in Aphoriſmis teſtatur, partim in ſexto Epidemiorum libro, quem noſtra tempeſtate Leonhardus Fuchſius, Medicus omni & bonarum literarum & rerum cognitione inſignis doctiſſime feliciſſimeque interpretatus eſt, cum primum enim laſſari cœperit corpus, confeſtim quieſcendum eſt.

1 Aph. 6. 4. 8. 6. Epip. 3. Aphor. 5.

Qualitas etiam exercitationis corpus alterare poteſt. Motus namque, in quibus validiſſime ocyſſimeque corpus mouetur gracile, muſculoſum,

tum, durum, compactum ac vegetum corpus reddunt: contra vero remissi, tardi ac languidi motus plane diuersum à prædicto, languidum videlicet ac molle corpus efficiunt.

DE QVIETE.

Esse quosdam eorum qui florente ætate sunt, qui quietem postulant, testatur Hippocrates in libro de vulgo grassantibus morbis, vbi calidis naturis quietem imperat. Magnæ enim flammæ, eo quod calorem accendat minime egent, cum satis ipsæ sibi ad tutelam sint, & vt materiæ dominentur. Vnde præclarus Galenus: Illud multo maxime, inquit, mirandum est, cum Hippocrates moneat, calidis naturis vtilius esse in ocio agere, quam exercitari, non paucos tamen Medicos esse, qui ne norint quidem, cuiusmodi tamen homines sint, sed omnibus iuxtà exercitationes iniungant.

4 p. 6. lib Sent. 3

5. libr. de sanitate tuend.

Non tamen ignorandum est, quod Hippocrates per ocium non plane intelligat desidiam, qua nusquam in totum adiutus quisquam est, sed cũ quietem agere calidis naturis suadet, vehementi motione vti vetat. Qui enim calido & sicco sunt temperamento, ob vehementes motus plerumq; in æstate biliosos morbos incurrunt: intermissis vero immodicis laboribus sani seruantur.

Similiter etiam à cibo tum animi tum corporis quies habenda est.

DE FRICTIONE

Quia corporis frictio eandem fere cum exercitatione vim habet, recte de ea hoc in loco agitur. Debito enim modo adhibita vitale robur exsiccat, & modice calefacit: vnde fit vt distributio alimenti sit facilior, & nutritio promptior. Nam multi quorum corpori longo tempore ex alimẽto nihil accessit, ἀτροφοῦντας Greci vocãt, commoda frictione adhibita paucis diebus carne impleti sunt.

Frictio-

Frictionis quatuor præcipua ſunt genera:

	dura		ligandi	
Fri-	mollis	vim	ſoluendi	car-
ctio	multa	habet	minuendi	nem.
	medioeris		augendi	

Expedit autem varium in frictione fieri manuum iniectum & circumactum, vt videlicet vniuerſæ muſculorum fibræ, quoad fieri poteſt, omni ex parte fricentur.

Porro apud veteres frictionum plurimus erat vſus, adeo vt nemo etiam ex iuuenibus prius exercitaretur, quam fricatus oleoque inunctus fuiſſet. Noſtro vero ſæculo tum potiſſimum eius vſus eſt, quando vel ob impeditum motum, vel aliam quācunque cauſam exercitatio fieri nequit: ſupplet enim vicē exercitationis. Frictionis quantitas, qualitas, ac tempus eundem pene ſcopum quem exercitatio & balneæ, habent.

His enim qui carnis augendæ gratia fricantur, tunc plane finienda frictio eſt, cum corpus & intumuit, & ad ſummum fere tumorem peruenit. Qui autem ad excitandum iam præparantur. his minime id tempus expectandum, ſed longe prius deſiſtendum à frictione eſt: potiſſimum ſi optimi temperamenti & ætate puerili ſunt.

Qui vero carnis minuendæ cauſa fricantur, eatenus fricandi ſunt, donec corporis tumor concidat in ſeſe, molesque deponatur. primum namq; corpus attollitur; deinde fit gracile, veluti aquam calidam infundas, primum quidem corpus intumeſcit, deinde ſi largius infundas, concidit: ita & frictio quoque attollit quidem primum, poſtea contrahit ac molem deponit.

Poſtremo quia frictio vacuādi vim obtinet ma-
Gal. li. xime cōfert ijs qui prauis ſimul ac crudis humo-
22 metho. ribus oppleti ſyncope prehendi ſolent, cuiuſmodi
medend. nonnullos vidi. Hi ſane vacuari poſtulant: verum neque venæ ſectionem, neque alui deiectionem citra noxam ferunt. Nulla igitur alia ijs vacuatio excogi-

excogitari poteſt commodior quam ea quæ ex frictione paratur.

De quinta re non naturali.
SOMNO ET VIGILIA.

Somnus vtrumque fere ſanitatis tuendæ modum adiuuare videtur: Primũ reſtitutionis modum, quia per ſommum ſpiritus reſoluti regenerantur & calor & humiditas radicalis conſeruatur augeturque.

Gal. in lib. de morb. cauſis 8. Aphoriſmo. 15.

Alterum vero, qui per excrementorũ expulſionem fit: quia neminem latet toto hoc tẽpore, quo quis dormit, animalẽ facultatẽ quieſcere, naturalem vero validius agere. Ob id in ſomnis longioribus ſuperfluitates expurgantur: quæ quædã exquiſite extenuãtur per cutẽ: quæ vero in vapores conuertuntur, per exſpirationem: quæ vero ſufficientem habent craſſitudinem, per vrinas.

Gal. de morb. cauſis.

Experientia enim videmus, quod ſomno conuenienter facto omnes fere corporis ſuperfluitates per ſuos meatus rite expurgantur, ſiue id ob naturam inſtauratam contingat, ſiue quia materia concocta ſit. Optima enim fit per ſomnum, non ſolum in ventriculo, verum per vniuerſum etiam corporis habitum concoctio: & ſunt qui præcipuum eſſe ſomni officium putant, adiuuare concoctiooem. Siquidẽ multæ vigiliæ cibos potusque tum crudos, tum incoctos reddunt. Ad hæc quia per ſomnos quieſcit prima ſentiẽdi vis quæ nõ in corde, vt Ariſtoteli, ſed in cerebro reſidet, vt Galeno Medicorum principi placuit: quãobrem temperatus ſomnus non ſolum corporis, ſed & animi ſanitatem conſeruat, eiusque morbis vt Phrenitidi, Melancholiæ, amentiæ & ſimilibus mederi ſolet. Vigiliæ vero, quia ſomno plane cõtrarium effectum obtinent, corpusque exſiccant, omnibus tum morbis, tum naturis ſiccis aduerſiſſimę ſunt. Vt autem ſomnus ſit tẽperatus, quatuor breuiter obſeruanda ſunt. Primum Tempus, ſecun-

Hippoc. 2. reg. ace. vitan. de morb. cauſ.

secundum Locus.tertium Corporis situs. quartum Somni quantitas.

DE SOMNI TEMPORE.

Scribit Hipp. ad hunc modum: Quod ad somni rationem pertinet, quemadmodum secundū naturam consuetum nobis est, interdiu quidem vigilare, noctu vero dormire oportet, ab hac consuetudine si quis aberrauerit, peior erit somnus, qui à tertia diei parte ad noctem vsque capitur, quam qui matutino tempore fit. Pessimum tamē est, si somnus neque noctu, neq; interdiu accedit. Id enim vel ob dolorem laboremque accidit, vel delirium futurum significat. Ex quibus Hippocratis verbis manifestum est, aptissimo somno tempus ob tranquillitatem eius, noctem esse, hanc si quis insomnē transegerit, aptius dormiendo tempus esse matutinum, minus vero aptum tempus pomeridianum, quia somni rum non quieti, nec sine interruptione fiūt, quod citra digestiuæ virtutis noxam non contingit. quāquam dandum sit aliquid consuetudini. Quæ enim ex longo tempore consueta sunt, minus molestare solent insuetis.

2. præsa 11. & 12

Huc pertinet quod illico post assumptum cibum dormire nocet & sensibus, neruis & capiti, multarumque ægritudinū occasio est, præterquā quod somni sunt inquieti, vanis ac phantasticis somnijs perturbati, quæ ob cerebri repletionem sæpe eueniunt. Conducit ergo à cœna vnam & alteram horam ante confabulando, aut instrumentis musicalibus, aut aliter Iatando trāsigere, quam quis somnum admittat. Ieiuno etiam dormire stomacho, corpus debilitat & extenuat, stomachumque malis replet humoribus.

2. Aph. 50.

DE SOMNI LOCO.

Secundo conueniet, vt locus, in quo dormitur, sit subobscurus, radijs solaribus ac lunaribus priuatus, in caliditate vero ac frigiditate temperatus

ratus, aut subfrigidus potius, quam calidus & vaporosus. Si enim in loco præcalido admitatur somnus, periculum est ne accedat syncope, ob somni & caloris extranei multam inter se pugnam. Spiritus enim & calor innatus propter somnum suapte natura ad interiora refugere soliti, ad exteriora & ad circumferentiam corporis à calore extrinseco trahuntur.

DE SITV CORPORIS per somnum

Primus & vltimus noctis somnus fieri debet super dextro corporis latere: medius autem super sinistro capite semper eleuato: quanquam etiam super vẽtre dormire adiuuat stomachum in concoquẽdo. In dorsum vero dormire supine, omnibus malum est, quia præparat corpus ad multas & periculosas ægritudines, superfluitates cerebrales retinendo, atq; ab expulsionis vijs auertendo, quæ in anteriori parte capitis existunt.

DE SOMNI QVANTITATE

Somni quantitas vniuersis hominibus æqualiter præscribi facile non potest. Nihil enim est quod artem Medicam ęque coniecturalem reddat, atq; singulis in rebus quantitas. *Gal in lib. de arcur per San. miss.*

Solum autem optime temperati absque præceptore somno modum præfiniunt; alij autem qui intemperati sunt, egent aut prohibente, aut adiuuante somnum, penes quantitatem suorum lapsuum ad calidum vel frigidũ humidum vel siccum, &c. in frigido enim & humido corpore cum maior soleat esse somnus, quam vt solum restauret quod dissolutum est nimia etiam caloris constrictione ipsum corpus suffocat & extinguit: in corpore vero calido & sicco minor est somnus, quam vt restauret deperditum. Atq; hoc est quod Hippocrates ait. Somnus & vigilia, vtrumq; si modum excesserint, malum.

Tametsi autem sint, qui somnis naturalis ter-

minum communiter in septem horarum spacio consistere contendant: rectius tamen, quod eorum pace dixerim, ex perfecta ciborum concoctione, quam ex horarum numero somni terminus sumendus est. Non enim est dubiũ, quin senibus, & alijs, qui debili ac frigido sunt stomacho, aut, βραδυπεψία id est, concoquēdi tarditate quacunq; de causa laborant, longior somnus sit concedendus.

6. lib. de sanitat. tuend. Ad hæc manifesto nouem horas æquinoctiales somno naturali præscribere Galenus videtur, idq; nō plane liberis, sed aut Romæ, aut in magna Alexandria sic ministrantibus, vt sole occidente libere à ministerio recedant, corporisque curam agant. Nam cum minima nox (inquit) nouem horas æquinoctiales æquet, abunde ijs fuerit, si id totum tempus somno dederint. *Ibidem.*

Somni igitur terminum manifestat perfecta ciborum concoctio. Hanc autem perfectam esse præsumitur, primum ex stomachi contractione, ventrisq; ob ciborum descensum mollitie: postea ructuum paucitate, aut saltem eorum insipiditate, deinde ex capitis totiusque corporis leuitate ac agilitate: postremo ex vrinæ colore &c.

De sexta & vltima re non naturali,

ANIMÆ ACCIDENTIBVS.

Gal. li. de exer par ua pila. Adeo potentes sunt isti motus animi vt multi, morbis sæpe ex lætitia liberati, multi rursus ex nimia conturbatione mente capti sint. Nullus est autem corporis morbus tantus qui vehementior animæ ægritudinibus esse possit: quapropter minime sunt eæ affectiones negligendæ, qualescunque tandem fuerint, sed tanto diligentior istarũ, quam corporis passionum habenda ratio est, quãto anima corpore præstantior censetur.

Gal. li. 12 meth. medend. Non solũ autem subiti timoris, sed & immodici gaudij seu voluptatis occasione nonnullos perijsse, non tantum historicorum, sed & Medicorũ testi-

testimonio constat. Quamobrem manifestum est sanitatis conseruatori vitandos esse omnes animi immodicos affectus videlicet iræ, tristitiæ, furoris timoris, inuidiæ, &c. Hæc enim alterant & à naturali statu corpus auertunt. Imo si magnitudine nō iugulant, at certe facile resolubilem infirmumq; spiritum reddunt, viresq; resoluunt, sicut frequētes vigiliæ. Vehementes sane animi motus, si modum nimium excedunt, biliosum calidumq; hominem reddunt, febresque accendunt: sin intra modum nimium subsistunt, pituitosum frigidūque reddunt, atque adeo viscerum obstructionibus, comitialibus morbis, apoplexiæ, & ceteris frigidis morbis obnoxium efficiunt. Hinc legimus non paucos ægros à Galeno quotannis persanatos esse, solis animi motibus ad debitum modum reuocatis.

Reuocantur autem vehementes animi motus ad mediocritatem, tum per non spernendam artem Musicam, instrumentaque Musicalia, tum per histriones & mimos, & cantilenas ridicularum rerum. Quo nomine non temere, nec sine singulari consilio aut prudentia factum esse arbitror, vt in omnium fere principum aulis id genus moriones alantur, qui facile suis dictis aut factis principum aut magnatum animos, ob varias rerum publicarū curas seueriores mulcere atque ad mediocritatem reducere queant. Id porro Æsculapius, totius fere Asiæ numen, primus instituisse fertur. *Gal. li. de sanitat. tuend.*

Rursus quibus segniores deiectioresque animi motus sunt, illis profecto non solum venandum, equitandum & in armatura corpus exercitandum verum etiam & venationis & armorum & motus species definienda est.

Non enim pari modo excitatur animi vis, quando leporem, aut capream, & id genus fugaces ac timida animalia sectamur, atque vbi cum apris, vrsis, tauris & id genus robore præualētibus

feris agitandis sumus attenti. Nec similiter cũ in leui armatura,& graui exercitamur, nec pariter cum citato cursu dimouemur, & cum mediocri motu agimur: nec vbi cum alijs contẽdimus, aut vbi soli agimus. Iam clamorene an tacitus & labores inhorteris irritesque, non parum interest

Deniq; vnusquilibet immoderatus animi affectus contrario sibi affectu corrigendus est. Perpetuo namque certa atque rata hæc regula est, Contraria contrariorum esse remedia, non solum in elementarium qualitatum, verum etiam in omnis alterius rei excessu,

DE VENERE.

Quia vsus venereus absque imaginatione fieri posse non videtur, solent ipsum Medici animæ accidentibus annectere, deque eo hoc loco nonnihil dicere: quanquam non absurde & inter euacuationes numeretur.

Innoxia autem his tantum venus est, qui calidi natura sunt & humidi, quique genitura naturali abundant. Maxime vero aduersa res est ijs, qui frigidi sunt ac sicci.

Præterea Venus non, sicut cibus & potus, somnus, & vigilia. & exercitiũ, & cæteræ res non naturales cuiusque est ætatis, sed tantũ ætate florentiũ est. Quæ enim hanc vel præcedunt vel sequuntur ætates, aut plane semen non effundunt, aut certe male fœcundum effundunt.

Tempus vero ad vtendum venere opportunum est, quando in omnium excessuum mediocritate corpus constitutum fuerit, quãdo scilicet nec supra modum plenum, neque vacuum extiterit, neque nimio calore aut frigore, neq; nimia siccitate aut humiditate affectum fuerit.

Gal. in 3. techni. Quod si in his alicubi aberrare contigerit, enitendum est, vt excessus sit exiguus. Deinde sciendum, quod tolerabilior tamen excessus, sit si calefacto

lefacto potius quam infrigidato, & pleno quam vacuo, & humecto potius quam exiccato corpore Venereis vtamur: eo quod cruditas & repletio facilius tollitur, quam marasmus, phthisis, aut arefactio corporis.

Tantum denique interualli in Venereorum vsu adhibendum est, vt neque resolutio aliqua inde sentiatur, & homo seipso quodāmodo leuior sibi factus, ac melius spirare videatur.

Tempus vero ad prolem procreandam aptissimum est, vel incipiētibus, vel cessantibus mulieris menstruis: id enim conceptionis tempus est. Cum enim fœmina conceptura est, acetabula, hoc est, venarum ora, per quæ singulis mensibus sanguinis superfluum in vterum deriuatur, mensesque expurgari solent, aperiūtur: quamuis autē reliquo toto expurgationis tempore aperta ora hæc sunt, non tamen tunc concipere mulier vllo modo potest, cum semen nequeat in matrice remanere, sed ab influētis sāguinis copia eleuetur. At cessantibus vel incipientibus menstruis & ora aperta sunt, & menstruum non multum neque vniuersum sed paucum & paulatim effluit, quasi humiditate quadam insudante. vnde efficitur, vt ob asperitatem matricis semen adhæreat, satisq; alimenti ex sanguinis confluentis paucitate habeat. Ante enim quam menses veniāt, conceptus fieri propterea non valet, quia & alimento caret semen, & adhærentiam nullam inuenit. Gal lib. de vul. diff.

Ad hæc tam mari quam fœminæ commodissimum est, post congressum Venereū somnum admittere, mari quidem, vt lassitudo, quæ Venerem comitatur, dissipetur, viresq; resarciantur: fœminæ vero, vt semen genitale eo facilius retineat. Ex immoderato autem Venereorū vsu grauius, quā ex eius intermissione corpus lædi posse existimādum est. A Venere namque & laxius corpus, & frigidius, & imbecillius & siccius efficitur. Nulla præterea res est, quæ sic debilitet senectamque ac-

celeret, atque immodicus creberque Venereorũ vſus: quippe vna cũ ſeminali humiditate vitalis ſpiritus ex arterijs euacuatur, vt minime ſit mirum, intemperantius coeuntes & imbecilliores effici, & voluptate immodica accedente, quæ ipſa per ſe vitale robur diſſoluere poteſt, nonnunquã ſubito interire poſſe. Itaque ſi omnibus in rebus modus ſeruandus ſit, vt Hippocrati placet, profecto in Venereorũ vſu ſapientis hoc dictum, vt ne quid nimis, ſedulo obſeruandum eſt: præcipue tamen peſtilentiæ tempore.

Multis præterea conducit poſt iuſtum cibi modum aliquid eorum accipere, quæ ſtomachum roborãt, cuiuſmodi ſunt auſtera fere omnia, vt mala, pyra & punica: nam horum vſum ventrẽ ſoluere experientia compertum eſt. Non tamen multum de horum ſingulis pro vice ſumendum eſt, ſed quãtum imbecillitatem ſtomachi reficere queat. Nullum autem medicamentum admodũ calidum, quod ad cibi diſtributionem vehemẽter faciat, poſt cibum ſumendũ eſt. Non enim diſtribui tum quæ ſumpta ſunt, ſed concoqui eſt vtilius. Satius ergo fuerit ijs, qui externo aliquo præſidio ad concoctionem egent, hoc tempore exhiberi medicamentum, quod ex tribus piperum generibus fit: Diatriõ pipereõ vocant, non medicamentoſum illud magis operoſum & compoſitũ, ſed ſimplex. Cuius cõpoſitio talis eſt: ad cuiuſq; trium piperum drachmas quinquaginta abunde adduntur aniſi, & thymi & gingiberis, ſingulorũ drachmæ alias octo, alias ſedecim, in puluerem omnibus redactis, ac per tenue cribrum tranſmiſſis, admiſcetur mellis odoris, flaui, acerrimi dulciſſimiq;, adhæc curioſe deſpumati, quãtum ſatis eſt, aut loco mellis admiſcetur Saccharũ albiſſimum, & formatur ad ſumẽtis placitum eclegma: Varianda namque ſunt pro ſumentis, tum natura tum placito pleraque medicamenta. Nec probandi ſunt qui omnibus ſub vna quapiã menſura eadem

4. ſanita. tuend.

dē medicamenta conficiunt. [Simplicissimū quidem medicamentum hoc est, atq; hoc ipso magis simplex, à quo contractum gingiber est. Prudens hic omitto varia quædam medicamenta, quæ tamen fere omnes hoc tempore prædicto medicamento admiscent, veluti ammi, cuius loco nonnulli amomum ponunt, Seseli, libysticum, helenium, nardi spicam, & cassiam. Cum Galeno nāque sentio hæc medicamenta subtrahenda, esse, propterea quod cruda minimeque mutata ab ijs, qui ea sumpserint, longo tempore durare in ventre intelliguntur.

Debet autem, si haberi potest, anisum Cretense esse, thymum vero vel Atticū vel plane ex editis locis ac siccis, piper vero quod quidem longum est, & similiter gingiber, debēt esse vtraque integra minimeque perforata, atq; ex Barbaria allata: Album vero & nigrum piper vtrunque eligendum est quod ponderosum, plenissimum, maximūque sit, quod nec rugosum, nec exile, nec crassā corticis fuerit. Ad hunc quidem modum hoc medicamentum rite paratum auxiliatur ijs, qui parum concoxerunt, & qui recens frigus in ventre habent, ac pituitosum succum: adhæc acidos ructus dissipat: quemadmodum fumosos ructus sanare solet medicamentum ex aloe factum, quod hieram picram vocant; verum sic assidue eo vti non licet, sicut prædicto diatrion pipereon, quo etiamsi quotidie vtatur, quem frigidus vēter infestat, nihil incommodi ex eo sentiet. Imo quia huius madicamenti calor in totū corpus non defertur, veluti aliorum quorundam, sed circa ipsas primas venas extinguitur, non tantum semel aut bis quotidie porrigere conueniet, sed & sæpius: Siquidem mane, & ante cibum, & post, etiam cubitum euntibus recte datur.

1. de locis affectis li. Galeni.

HYPPOMNEMATA.
Seu
PRÆCEPTA SANITATIS.
Ex aureo Henrici Ranzouij De conseruanda valetudine libello.

Quæ corpus alterant, sanitatemq; aut faciunt aut destruunt, sunt,

1. Aer, Aqua, Ignis.
2. Cibus & potus.
3. Motus & quies.
4. Somnus & vigilia.
5. Exeretio seu expulsio exerementorum.
6. Animi symptomata seu passiones.

Hæc recte & opportune administrata hominem in bona dispositione & valetudine conseruant.

Opportune, inquam, & recte, id est, moderate, pro cuiusq; complexione, & viribus. Temperantia enim nutrix est sanitatis.

Aer sit temperatus, patens & liber, à fetoribus immunis, nulla putredine infectus. Vitiosus per suffitus & odoramenta emendetur.

Aquæ potus in æstate non est spernendus, vere autem, autumno & hieme plane vitandus.

Ignis præsertim è quernis lignis, luculentus, pestis tempore aerem corrigit. Hypocaustorum vsus insalubris.

DE CIBO.

Cibo, quicquid siccioris substātiæ effluit, quotidie restituitur: Potione vero, quicquid humidoris.

midioris. Sed qualitatis, quantitatis, temporis & ordinis in primis est habenda ratio. Deligendus est igitur cibus substantia medioeris & bonū succum procreans. Nam si corrupto alimento corpus pastum fuerit, in deterius labitur.

Quippe ex boni succi cibis bonus sanguis, ex mali autem succi cibis malus generatur. Ciborū varia sunt genera. Quædam enim sunt subtilia, quædā mediocria, quædam crassa. Subtilia subtilem generant sanguinem, vt sunt pulli gallinacei bene nutriti, oua, optima frumenta, caro porcina recens.

Mediocrem ordinem obtinent, carnes agninæ, arietinæ, vervecinæ, vitulinæ.

Crassa prosunt hominibus calidis & crebris laboribus corpus exercentibus, vt sunt bubulæ carnes, vaccinæ, suillæ, leporinæ, ceruinæ, aliarumq; ferarum, quæ in venationibus capiuntur, & domesticis salubriores esse censentur.

Facilis coctionis sunt: Vuæ, ficus, amygdalæ dulces, lactuca, apium, hordeū coctum, caro porcina, pulli gallinacei, perdices, turdi, oua volatilium, pisces saxatiles, qui in petrosis locis degunt, auiculæ, &c.

Difficilis vero concoctionis sunt, Panis azymus, faba, lenticula, cicer, cydonia, castaneæ, auellanæ, oliuæ, cucumeres, caules, fungi, rapa, caro hircina, bubula, ceruina, pisces duri & glutinosi, aues in stagnis aut paludib. aut palustribus, aut lacustribus locis degentes, anates, anseres, pulli columbini, grues, pauones, cancri. Item peculiares partes auiū, guttur, hepar, splen, renes, stomachus, & intestina, venter, caseus tam recens quam vetus.

Vitellus oui facillime totusq; fere in sanguinē conuertitur.

Laudatur caro suilla, quæ inter calidum & humidum temperata cæteras nutritione superat: sed tamen quia phlegmatica est, non omnibus pariter conuenit.

Ex piscibus eligantur parui, saxatiles, squami-

geri, minimeq; viscosi, in fluminibus & puris aquis natantes: magni magna adferunt detrimenta: Laudo lucium. Anguillas vero & tenchas minime salubres, sed damnandas esse duco: vtque omnis pinguedo mala & piscium pessima est. Omnes autem promiscue carnes & pisces, quādo assantur, acquirunt duritiam, caliditatem & siccitatem aliquam, & corpora magis nutriunt, maiusque robur adferunt, quam elixæ carnes.

Panis sit triticeus, bene coctus, nō planè, furfuris expers. Vsus calidi & recentis panis in comedendo officit.

Medulla vero adhuc calentis panis indita vino, ad olfactum si adhibeas, prodest, cor ipsum recreat atque corroborat, spiritumque fouet. Crusta panis ijs quorum ventriculus abundat superfluis humiditatibus, conducit.

A fructuum, crudorum præsertim esu omnino abstinendum.

Vuis passis mane antequam cibos attingas, vtiliter vesceris.

Cibus nullus assumendus quo non delecteris. Hunc enim & ipse stomachus respuit.

Quantitas cibi & potus debet esse tanta, vt calor innatus, in quo vita cōsistit, neque propter penuriam alimenti resoluatur, neque propter copiam opprimatur, extinguaturve, sed vt possit vincere & superare. Nam vbi secus fit, & vel nimis parce cibus subministratur stomacho, consumitur corpus & debilitatur virtus; vel si nimius ingeritur, est caussa putredinis & obstructionum. Excessus autem animaduertitur, si anhelitus, pulsus, vrina & egestio mutentur. Tantum igitur cibi & potionis adhibendum, quantum venrriculus facile concoquere possit, vt vires reficiantur, non opprimantur.

Vt autem non plus cibi, quam natura exigit, ingerendum: sic vicissim periculosior est tenuior victus, quam paulo plenior. Sæpius enim accidit.

vt si quæ copiosiore cibo collegeris progressu temporis facile consumas;& si quid etiam superfit,repletioni abstinentia mederi possit. Interim meminisse vos decet, omne nimium naturæ esse inimicum, temperantiæ vero mercedem esse robur & sanitatem.

Vt in alijs rebus omnibus, sic etiam in administratione cibi & potus ordo minime est turbandus. Subtiles itaque, liquidi, humidi, ac facilis coctionis cibis præmittuntur, ne forte dura liquidis exeundi meatus impediant, & corruptio fiat, secundum versiculum.

Præmittas calidum frigidis, & mollia duris.

Sumto cibo modice deambulate, mox vero sedete, secundum versum.

Post pastum stabis, passu mollive meabis.

Inter comedendum sæpe ac parum bibe. Inter prandium & cœnam potu abstinere concoctionem iuuat. Cholericos tamen & pueros hoc præceptum non ita arcte obstringit.

Inter vtramque comestionem ad minus sex horarum spatium interponatur, vt tempore intermedio præcipuę coctiones perfici queant. Hyeme rectius cibis actu & virtute vtimini calidis; æstate vero frigidis. Sed nunc ad potum transeamus.

De potu.

Optimus potus, Vinum. Creditis? Quanto melius tanto salubrius. Sed, vt dictum, moderate sumendum.

Cereuisia non insalubris. Sit bene cocta, clara, non nimus recens, nec nimis vetus. Tempore calido confert plurimum. Ab immoderato tamen vsu abstinẽdũ: quia morbi frigidi inde nascũtur ita vt crapula ex cereuisia peior sit quam ex vino.

DE EXERCITIO & QVIETE

Exercitatio mediocris adhibenda quæ corpus non plane defatiget. Hieme prolixior quam æstate. Phlegmaticis maxime conducit. Moderatis laboribus corpus, honestis actionibus animus roboratur,

Quies necessaria. Ocium ante omnia fugiendum interdiu vigilare, noctu dormire oportet. Lucubrationes nocturnæ vitandæ. Duabus horis à cœna vigilandum antequam incubetur. Somnus 7. aut 8. vel ad summum 9. horarum spacio in iuuentute circumscribēdus: tumque deserendus quum concoctio perfecta fuerit. Id cognoscitur ex vrinæ flauitie, & membrorum alacritate. Si dormire nequeas, & ab vno latere in alterum voluaris, accedentibus imaginationibus, surgendum paullum & lente inambulandum. Primus decubitus fiat in latus dextrum. Cum vestibus simul omnes curæ & cogitationes exuendæ.

Insomniorum significationes naturales sunt: Ignis obiectus oculis flauam bilem, fumus aut caligo atram; pluuia aut aqua frigidi humoris abundantiam; nix & glacies frigidam pituitam designant.

DE EXCRETIONE.

Quum honeste licet, nec flatus ventris, nec vrina retinenda. A sectione venæ, quantum fieri potest abstinendum; vtendum tamen in morbis, ex consilio periti Medici. Si emissus sanguis fuerit rubeus & aqua candida superfluat, signum est sanitatis; si sanguis spumosus, male habet circa pectus; si viridis circa cor.

Scarificatio non tam periculosa est quam venæ sectio. Cucurbitulę ei parti quæ nimis sanguine abundat apponendæ. Potest etiam fieri per hirudines

Purgationes interdum necessariæ; frequentes nocent. Cereuisiæ quædam eam vim habent: Li-

quidiores

quidiores cibi in principio prandii sumti: vinũ item enulatum seu nectarites. Folia quoq; Senæ in cereuisia vel aqua decocta cum prunis damascenis, aluum soluunt.

Vomitus frequens sanitatis est indicium. Ea quæ purgatio non eluit, exstirpat vomitio. Ebrijs inprimis conducit. Singulis mensibus bis vomendum, idque continuis diebus. Nam cibi corrupti in ventre retentio est validi corporis destructio.

Sudor humorem redundantem aqueum frigidumque excoquit, elicit & consumit. Eius prouocatio vtilis, præsertim in morbis pestilentialibus. Seu exercitio seu frictione prouocatus abstergendus est. Cauendum ne à calore ad frigus transeatur.

Balnea arte confecta parum conducunt, maxime septentrionalibus. Subfrigida optima, modo corpus non caleat. Calida lotione capitis non vtendum: quia malos humores prouocat. Balneis corpus debilitatum non inferendum, nec nisi peracta concoctione ingredienda. Post balneum frigus vitandum.

Meminerint omnes:

Sæpe, manus raroq; pedes: at vero caput nunquam esse lauandum.

Inedia ad sanitatem quoque conducit, sed ijs qui viribus valent, nequaquam biliosis: & multi morbi subtractione ciborum depelluntur. Galenus narrat, Antonium Imperatorem inedia vnius diei ventriculi cruditates dispellere solitum, cui aliquid piperis inspersit. Sed cuiusque complexionis obseruanda ratio est. Nam quibus conuenit adhibita prodest, alijs, qui scil. superuacaneis humoribus repleti non sunt, multum obest.

In summa, non alui tantum & vesicæ, sed & aurium, & narium, & palati excrementa diligenter expurganda sunt.

DE PERTVRBATIONIBVS animi.

Corporis cũ animo indiuidua est Sympathia. Quare vtriusque excessus seu perturbationes vitandæ sunt: Mæstitia inprimis, quæ exsiccat ossa: Ira, quæ breuis insania est: Amor inordinatus, qui ipsum animum captiuum detinet, & corpori mille molestias infert. Etiam nimium Gaudium multos extinxit. Dominari affectibus oportet, non seruire.

DE DIÆTA.

E lectis surrecturi omnia membra extendant amas perfricent. Caput a syncipite ad occipitiũ pectant. Matutinum frigus caueãt. Sensuum instrumenta, oculos, aures, nares, linguam, dentes, totamque faciem frigida abluant: oculos etiam aqua rosacea vel feniculi irrorent. Post preces, molliter inambulent, vt facilius succedat excretio. Bis de die cibum sumant. Prandium & cœna à cibis liquidioribus, nunquam à potu incipiatur. Cœna prandio largior sit & longior. A cœna neque animo neque corpore laborandum: tumque facies & os aqua frigida abluenda. Dentes ebore, calamo aut argento, non ferro expurgandi. Antequam cubitum eatur, corpus leni frictione demulcendum. Ex omnibus pellibus lupinæ maxime commodæ, vt quæ nec pulices nec pediculos recipiant: eoque ad tunicas talares aptissimæ: Singulis noctibus vrina ad minimum semel emittenda. Resupinus decubitus semper vitandus. Proprius humor singulis sex horis dominatur. Sanguis à nona noctis vsque ad tertiam diei: Flaua bilis à tertia vsque ad nonam diei artificialis: atra à nona vsque ad tertiam: à tertia vsque ad nonam Phlegma, Crescit sanguis

guis in vere, flaua bilis in æstate, nigra in autumno, phlegma in hyeme.

Singulis septimanis non inutile fuerit vti Theriaca Andromachi ad nucis auellanæ magnitudinem, aut Mithridutero. Ad reliqua antidota quod attinet, sunt præstantissima quæ sequantur.

Medicamentum Marsilii Ficini, quod fouet præcipua membra & purgat nonnihil.

Rec. Cinnamoni electissimi drach. iiij.
Chebularum myrobalanorum,
Emblicarum ana drach. duas.
Croci, rosarum drach. vnam.
Santalorum rubrorum drach. duas.
Corallorum rubrorum drach. vnam.
Sacchari albissimi, quantum satis est.

Funde saccharum, aqua rosacea, atque succo citri vel limonum, æqualibus scilicet portionibus, coquas suauiter. Deinde adde musci tertiam drachmæ partem, atque ambræ tantundem. Demum confice bolos solitos, quos morsulos vulgo nominamus, auroque inuolue,

Descriptio vini sublimati.

Reci. Cubebarum, cinnamomi, galangæ, caryophyllorum, nucis myristicæ, & zinziberis ana vncias tres, saluiæ libr. vnam & vncias duas. Hæc omnia macera in duabus libris & quatuor vncijs aquæ vitæ sexies destillatæ, atque hæc leuiter destilla simul.

Hoc vino sublimato M. Gallus Caroli V. Imperatoris Medicus vsus, vixit annos 129. Est autem calidissimum. Simplicia peracta destillatione possunt stomacho etiam admoueri vel imponi. Hoc Vinum singulis septimanis sumatur mensura ad quantitatem auellanæ. Agit in naturas ob tenuitatē, vimq; illam impartitur spiritibus,

colli-

colliquat ob caliditatem vehementem, nec tamē membra calefacit ob ſubſtantiæ raritatem. Hoc vino ſublimato etiam manus & cutem poteris imbuere.

Medicamentum quo vſus eſt D. Hieronymus Brunſchwig, *Medicus & Pharmacopola Argentinenſis per omnem vitam ſuam, quam Deo adiuuante ad* 110. *annos illæſa valetudine produxit.*

Rec: Cinnamomi, zinziberis, ana ſeſquiunciā.
Nucis myriſticæ, caryophillorū, piperis longi.
Maceris, galangæ, ana drach. j.
Diptami, zedoariæ, calami aromatici,
Pimpinellæ, Angelicæ ana ſeſquidrach. nucum vomicæ drach. j.
Rhabarbari ſemiunciam.
Rhapontici drach. ij.
Croci drach. dimid.

Puluериſentur ſubtiliſsime, & addatur ſaccharæ libra vna & vnciæ pars, ſed ita vt decoquatur ſaccharum ſecundum artem, & fiat confectio in tabulis. Cerebrum & memoriam confortat, vertiginem prauaſque melancholias tollit, ſanguinem purificat & mundat, cor roborat, cibi potuſque appetitum generat, ſedes medicas, naturæque cōmodas prouocat, tuſsiculoſis & phthiſicis mire confert. Apoſtemata calida & pectoris vlcera ſanat, cordis diſtrictionem diſſoluit, omnibus alijs membris prodeſt, eaque confortat.

Mane & veſperi quantitate maiuſculæ nucis ſumptum aduerſus multos noxios & incognitos morbos præmunit vtentem, & præcipue ab acidis ructibus, quod eſt in multis expertum, præſeruat.

Et quamuis hoc medicamentum ex optimis cōpoſitum eſt ſimplicibus: tamen quoniam ſaporis eſt amari (à quo natura mea valde abhorret) rarius hoc vtor. Omne enim id quod à natura alicuius.

cuius abhorret, id eidem inimicum atque minus conueniens esse arbitror. Quod tamen de homine sano intelligi volo.

Ex his vero quæ vires augent & præseruant ab imminente senio est Iulepus de vino & saccharo, vbi in tribus vini libris ponantur duæ libræ sacchari & fiat syrupus, recipiaturq; cum pura aqua. Nam vicem cibi ac potus gerit, cum in eo sint amica & accepta naturæ.

Electuarium cordis Petri Aponensis.

Rec: Corallor. rub. macis, ossis de corde cerui, ambræ, margaritarum, crystalli, auri cocti, argẽti meri, ossis eboris, sapphiri, rubini, hyacinthi ana drachmas quinque. Balsami drachmas duas, musci drachmam dimidiam, anthos, spodij, santalorum, caryophill. galangæ, calamitæ, aromatum cubebarum, spicæ nardi, corticum physticorum, seminis Basiliconis, cardamomi, piperis longi, baccarum lauri, pyrethri, ana drachmas tres; styracis, calamitæ, magnetis, myrrhæ electæ, opij Thebaici ana drach. vnam; se. pæoniæ collectæ in nouissima ætate Lunæ, flor. camæmillorum lilifagi, sampsuchi, balsamitæ, ameos, aristolochiæ, anthos ana drach. tres, croci orientalis drachmã dimid. ligni aloes, papaueris albi ana drachmas duas, sacchari quod sufficit. Dosis a 2. vsque ad 3. cum vino calido.

Restauratiuum.

Reci. Conseruæ rosarum vnc. j.
Boraginis.
Violarum ana vnc. dimidiam.
Radicum cichor. conditar.
Citrinati conditi ana drach: iij.
Spec. Diarrhod. abb. scrup. ij.
Diambr. drach. dimid.
Spodij vel spicæ Indæ.
Corallo. rub. præparat.
Margarit. præparat. ana scrup: vnum cum syrupo acetoso citri conditum.

Moneo autem ne prædictis medicamentis simul aut semper, sed per vices, hac septimana hoc, altera alio vtamini. Varietas enim præterquam quod delectat, efficit, ne frequens & crebra consuetudo in naturam transeat.

Diæta vero singulis mensibus talis est seruanda, vt bis superfluæ cruditates singulis mensibus per vomitum eijciantur, à vomitu oculi dentesque aceto & vino, vel vino austero, aut aqua rosacea abluantur. Æstiuis mensibus aqua frigida corpus lauetur.

Etsi superius diximus caput nunquam esse lauandum, id tamen intelligendum est de aqua seu lixiuio calido: frigida vero quotãnis ter, aut ad summum quater hoc modo lauari potest.

Primum lauetur caput lixiuio tepido: inde aqua fontana, vel putealis ex alto capiti instilletur, paullo post copiosior superfundatur ad quantitatem trium aut quatuor sextariorum. Deinde caput linteolis frigidioribus siccetur. Et quamuis lotio hæc horrorem incutiat non leuem, vtilis tamen est ad multa, ijs præsertim qui ex catarrho laborant.

De Diæta in itineribus.

Aluus semper sit laxa. Ad id prodest syrupus acetosus, aut oxymel simplex, aut ouum molle mane sumptum. Pauxillum rhabarbari cum saccharo rosaceo etiam vim laxandi habet, nec nõ serum lactis trium aut quatuor heminarum mẽsura cum sale & melle sumpta: vt & puluis Enulæ campanæ & cinnamomi.

Si quis forte in itinere casu aut præcipitatione corporis interiores partes læserit, vtatur Ambra, vulgo walradt, in iusculo cereuisiario, mane vel vesperi, magnitudine nucis auellanæ. Sequens etiam vnguentum contra læsionem internarum partium est valde vtile.

Vnguen-

Vnguentum contra lesionem siue contusionem partium internarum.

Reci. Pimpinellæ, lauendulæ, spicæ nardi, rutæ, hyssopi, saluiæ, pyrethri, pulegij, fœniculi, siliginis agrestis, mille folij, prunellæ, ibisci, consolidę, maioris, auryn; amaraci, verbenæ, abrotani, epaticæ, melissæ albæ ac fuscæ, angelicæ, satiuæ, veronicæ, fœni græci, fragrariæ, clematidis, cordialis, pedis leonis, rorumarini, foliorum linguæ ceruinæ, tormentillæ, betonicæ, ana manipulum vnum. Hæc omnia cultello in tenuissimas particulas comminuta, iniice in lebetem, & affunde butyri optimi in Maio confecti, & per cocturam à sale purgati libras 28. & hæc simul ad ignem ex carbonibus confectum probe decoque, tantisper donec virtus egrediatur; deinde cum hæc per mundum linteolum expresseris affunde olei laurini libras duas, & habebis præstans vnguentum. Hoc valet contra internam læsionem, ex casu aliquo ortam, quantitate nucis auellanæ in calido iusculo cereuisiario sumtum. Si primo non medetur, vsus eius bis aut ter est iterandus; quin etiam externæ corporis partes affectæ apud ignem lentum sunt inungendæ.

Contra frigus, præter vestes prodest linimentum ex vrtica & oleo factum, cum pauco sale itemque ad vlcera è gelu contracta.

Membra gelu stupentia non igne aut aqua calida, sed frigida lauanda sunt, ac paullatim recalfacienda. Galenus vsus est euphorbio, quod cum oleo triuit, ceramque inmiscuit liquatam.

Remedium ad curandam ambustionem.

Accipe duo linteola munda, quorum hoc lacteo cremore, qui dicitur Germanice Raum, illud vero sero butyrino imbue, & parti læsæ singulis diebus ter applica, donec feruor interior refrigeretur. De-

Deinde lardo porcino masculino auenam, ne non vnam aut alteram assulam infige. Hæc in cende, & sic porcinam pinguedinem igni am i vas aquæ puræ ex alto cadere facito. Deinde sum sex ouorum vitellos abiecto albumine, quibu adde parum prædicti lactei cremoris, & deind pinguedinem lardi liquatam ac supernatanten adiice, & hæc vnà probe decoque, inde fiet em plastrum, quo ter de die partem affectam inun ges, ac breui eam sanam reddes. Quod si linteol tenaciter adhæserint, imbuas butyro non salito & facile soluentur.

Vulneraria remedia.

QVia non in itineribus tantum & expeditio nibus, sed etiam domi & paſsim vulnera sæpe infliguntur, his ad ea commoda vti poteris remedijs.

Insigne cataplasma vulnerarium.

Rec. 4. Ceræ vnciam cum semisse.

Colophoniæ seu picis Græcæ, Aschenschmaltz, Mumiæ, } ana sesquiunciam.

Myrrhæ vnciam vnam.

Minii vnciam dimidiam.

Corallorum alborum drach. tres.

Magnetis vnciam vnam.

Ceram vnà cum colophonia primum dissolui facito, deinde mumiā adiice, postea das Aschen-schmaltz. Hæc ad lentum ignem collocato & probe versato. Deinde reliquis quoq; prædictis speciebus immiſsis, ad lentū ignem paulisper stare sinito, probe frequenterque moueto, sæpe etiam periculum facito, nū satis sit decoctum, & in fundo subsidere incipiat. Stilla ex alto guttulas aliquas ex calida spatula in frigidam. Quod si illud infrigidari & spatulæ adhærescere senseris, ab igne remoueto, tam diuque versato donec sua sponte

monte sit frigefactum, & in solidam coeat massam, ne sequentia tria gummi in eo adurantur. Adde insuper thuris & masticheis ana vnciam vnam, camphoræ sesquiunciam, & in olla tã diu moueto, vt infrigidatum duritiem contrahat, & manibus tractari prædictoq; adipe subigi possit. Et hoc modo cataplasma rite paratum habes. Quod si igitur vulnus inflictum est recens: panno lineo crassiori illinito, & parti affectæ applicato. Quibuslibet etiam vulneribus siue casu in gladio secante, siue punctim mucrone sint inflicta, hoc cataplasma recte adhiberi potest.

Alia potio vulneraria.

Rec. Limonij siluestris, id est, Wintergrün. & betonicæ ana drachmam vnam; Saniculæ, Sanickel, & pedis leonis, id est, Sinnua, ana drachm. dimidiam, cum duabus mensuris vini in noua olla vitreata firmiter occlusa quæ farina subacta probe obturetur. In medio autem operculi foramen relinquatur, per quod vapor egrediatur. Coctura huius potionis ad spatium duarum horarum continuetur. Ex hac potione homini sauciato singulis diebus mane & vesperi ad quantitatem vnius cochlearis exhibe bibendum, & loco affecto brassicæ folia vel præcedens cataplasma impone.

Pretiosum oleum balsaminum, quod instillari potest vulneribus quæ non capiti, sed alijs corporis partibus sunt inflicta.

Accipe olei rosati vnc. viiij.
Rabarbaæ minutim contusæ vnc. vj.

Hæc firmiter contecta im ampulla siue lagena stannea per tres dies stare facito. Deinde lagenã vna cum prædictis in balneũ Mariæ immittito, & ad horæ medietatẽ probe bullire sinito. Postea in lagenam iniice mastiches subtiliter contusi drach vj. Itẽ thuris, bdellii, opopanacis, camphoræ, ana

næ, ana siue partes æquales vnciam dimidiam, postea illud oleum per mundum panniculum laneum excolato, ita vt omnis virtus prædictarum specierum inde exprimatur, habebisque in hunc vsum paratum oleum præstantissimum.

Ratio conficiendi pulueris vtilis contra dissectionem nerui alicuius qui à Chirurgo est conglutinandus.

Reci. Oculos cancri, in subtilissimum puluerē comminutos in paruo linteolo. Hunc puluerem neruis insperge, & siccis fasciis ex linteolo confectis, locum obliga, ne humiditas aliqua ad neruos penetrare possit. Hanc ligaturam per spatium 24. horarum intactam relinquito. Elapso prædicto temporis spatio Chirurgus neruum inspiciat, ipsiusque conglutinatinationem exploret, & deinceps vulnus illud calidis vinculis deliget instar alterius vulneris recentis, & post diem vnum aut alterum ligaturam dissoluat.

Descriptio noduli odoriferi contra Pestem.

Reci. Styracis calamitæ
Assæ dulcis ana vnciam vnam.
Ladani:
Mastiches ana semiunciam:
Caryophyllorum.
Xyloaloes.
Sandalorum Citrinorum ana drach. I.
Seminis nigellæ Romanæ drach ij,

Cum modico Resinæ terebinthinæ Venetæ. Fiat pila odorifera siue nodulus, qui aromatizetur moschi, ambri, dissolutorum ex oleo Caryophyllorum ana granis sex.

De præscriptis autē paulo ante candelis odoriferis, admoneo vos accendi illas quidē in cubiculis ad vsus cōmemoratos posse, non tamē in ijs cubiculis prius esse versandū plane, quā dissipatus fumus fuerit: qui sane capiti, oculis & pulmoni nocere haud parum posset: ideoq; consulo

vobis

ibis, vt potius orbiculis odoriferis, in aquã ro-
ceã vasculo argẽteo exceptã proiectis, ipso vase
per candelã accẽsam posito, halitu inde emisso
alami aerẽ odore imbuatis: atq; eo modo, at-
ahatis: quo ego in meis cubiculis vti consueui.
Accidit nonnunquam, vt plane omni odoratus
nsu priuemur. Hoc vbi fit, gargarizandum est
ruta, & hyssopo, coctis ex aceto scyllitico &
asticanda est frequenter Zedoaria,

atio conficiendi pastillos odoriferos Comitissæ Arnsburgensis.

℞eci. 4. vnc. Rosarum albarum, iisque folia
decerpe. His in mortario ferreo contusis, adde
enioin vnc 2. per spatium 24. horarum in aqua
osarum maceratas; quibus adiice Ambram ad
ondus duorum granorum, & Moschum, ad pon,
us vnius grani, nec non Zebethi, ad partem
uart. vnius grani. Attere hæc ad lapidem, &
einde vna cum rosis contunde. Omnibus adde
nciam dimidiam sacchari optimi. Atque hæc
ta contrita per biduum in mortario bene obtu-
ato sinas. Postea in modum massæ forma: atque
nde effinge pastillos aut globulos rotundos. Ad-
niscere autem oportet nonnihil gummi traga-
anthi, in aqua rosarum macerati, singulosque
astillos ponere in cochlearium gummi draconis
t tanto firmius coalescant. Postremo singulos
astillos duobus foliis rosarum inuoluere vel in
udere.

Alij Pastilli.

Reci. Benzoi vn. ij. Cinnamomi, Ligni aloes
an. vnc. ſs. Styracis calamitæ vnc. j. Zacchari fini
vnc. viij. Moschi gr. xvj. dissoluti cum aqua Da-
mascena; formentur cum infusione tra-
gacanthi ex aqua ro-
sarum.

Præ

Præcepta aduersus alui fluxum.

NOnnumquam in profectionibus & bell sæpe ex copioso alui profluuio laboratu ideo remedia hunc morbum curātia quoque m nime negligenda esse censeo.

In principio autem istius morbi nolite stati medicamentis comprimendi facultate præditi aluique fluxum sistentibus vti. Etenim oblucta & excretionis cohibitionem moliri, maiore morbum facit. Sed potius candens siue ignitu aurum, vel chalybs laminas, in potu que hausturi estis, iterum atque iterum exstinguite

Genitale etiam cerui siccatum & commin tum in puluerem, in dysenteria efficacissimu est remedium, quemadmodum & argillæ rude ex clibano desumta & decocta cum aqua, q postea in potu vtamini, facultatem sistendi astringendi aluum præstant. In hunc vsum conu nit etiam saccharum rosarum cum rubris cora lis, vsto ebore, electuarioque ex cydonijs.

Contra ardorem stomachi.

NON raro quoque ardor siue æstuatio sto machi proficiscentes infestare solet. Oper pretium igitur visum est remedia huic morl succurentia breuiter obseruare.

Nonnulli contra hunc vtuntur glycyrrhiza, ca pionum, alij lapides in ore detinent, vel oliba grana deglutiunt. Nonnulli contra hanc affecti nem aquam calidam bibunt aut lac tepidum, v cerasorum nucleos, aut panem ex aceto com dunt. Ego autem maxima ex parte sequentia du medicamenta adhibere soleo, quorum hoc à D niele Rantzouio, serenissimi Daniæ regis Frid rici II. in bello contra Suecos primario duc cognato meo, didici, illud vero alioqui vsu con pertum habeo.

Aliud.

Recip. Vetus saccharum rosarum & lapid cancrorum

cancrorum, quos contusos & in puluerem redactos saccharo rosarum insperge, adde paululum de bolo armeno. Misce hæc omnia simul, Obseruetur tamen vt lapides cancrorum dimidiam sacchari partem quantitate sua adæquent.

Aliud.

Recipe: Sesquiunciam cretæ.
Tres nuces muscatas siue myristicas.
Sesquiunciam sacchari electissimi, quod ex Insulis Canarijs aduehitur. Fiat puluis. Nunc aduersus arefactionem linguæ, qui morbus etiam plerumq; castra sequitur, remedia quædam asscribam.

Aduersus arefactionem linguæ quæ dicitur vulgariter Brunella.

Recip. Nucleos cydonei 2. aut corticem medianum tiliæ in aquam colloca; cui si addes cochlearium aceti rosacei, efficitur inde limus vel succus, quo oris humiditas retinetur.

ALIVD.

Lardum putum porci castrati ad longitudinem dimidij digiti, & latitudinem duorum digitorũ transuersorum linguæ ægroti impositum probe insere, ita vt linguam & fauces interiores penitus contingat. Hoc lardum inde non remoue, sed colliquescere sine. Ægrotus autem illud per suctionem attrahat, donec plane in liquorem resoluatur. Postea copiosum vomitum edet; tum caue ne suffocetur postmodũ videbis adusti sanguinis copiam, & cutem tenacem per vomitum eijci. Vtatur igitur ægrotus huiusmodi lardo secunda vice, & tandem conualescet.

MONITA SEV PRÆCEPTA TVENDÆ Sanitatis.

Ex Guilielmi Gratarolì libello.

AD ſanitatem conſeruandam, Galeno auctore obſeruanda ſunt præcipue, *Labor*, *Cibus*, *Potio*, *Somnus*.

Diuerſi corporum habitus diuerſas requirunt exercitationes. Sed & conditio vitæ alias atque alias poſtulat.

Exercitationis rectus vſus à pharmacorũ vſu excuſat: quæ non niſi in neceſsitate vſurpanda.

Exercitatione vtendum quando corpus à prauis humoribus liberum eſt, ne ij per omnes partes diſpergantur: & prius alui & veſicæ onera deijcienda. Poſt cibum plane vitanda, præter leuem ambulationem. Competens tempus eſt, æſtate, in exortu ſolis; primo vere & autumno, duabus poſt exortum horis; hyeme circa meridiem.

Exercitationis genera ſunt, *Deambulatio*, quæ feruidis menſibus ſedata & lenta eſſe debet; verno tempore itidem lenis, ſed longior; hyeme, ſeu frigidis & humidis temporibus, fortis, & maxime per ardua & inæqualia aſcendendo & deſcendendo iteratis vicibus, ita vt anhelitus magnitudo & frequentia adſit.

Parua pila luſus: qui tamen capiti obeſſe ſolet: eoque dum luditur, caput erectum tenendum, admoto inſtar fulcri, ad frontem reticulo.

Equitatio; capiti, ventriculo, ac inteſtinis maiorem in modum confert: cauendum tamen ne curſu nimio aut nimis contento vtamur.

Capiti

Capiti vtilissimum exercitationis genus est
b Auicenna traditum. Ligato ligno in fune tra-
i infixo, appensis manibus, ita vt à terra leua-
us sis, pedes mouendo te exerceas: sed optime
purgatum corpus sit necesse est, ne superfluis hu-
moribus ad imas partes detractis, abscessus na-
scatur.

Qui impense calido, sunt temperamento ex-
ercitari non debent, sed sufficit eis inambulatio,
balneum, & frictus.

Tantisper exercitationi vacandum dum non-
dum lassitudinem contraxerit: quam si subo-
riri sentiat, desistere conuenit.

Tum sudor abstergendus, & corpus moderate
reficiendum. Veteres ante & post exercitatio-
nem fricationes & vnctiones adhibere consue-
uerunt, valde commode.

Balneis moderate vtendum, nec frigidis, nec
nimis calidis. Cruditate laborantibus abstinen-
dum, cibisque nondum concoctis. Vere magis
& autumno quam æstate aut hyeme frequen-
tandæ.

Simplex Cibus vtilissimus: noxia diuersa Ci-
borum genera. non tamen vni omnino assue-
scendum: quia quæ consueta, etsi deteriora, mi-
nus molestiæ adferunt. Humida siccis, frigida
calidis, acribus dulcia miscere concessum est.
Optimi cibi, qui in omnis excessus mediocritate
consistunt, vsurpandi, tamen pro complexio-
num diuersitate. Melancholicis, humidi & cali-
di; biliosis, frigidi & humidi; phlegmaticis, cali-
di & sicci.

Ordo seruandus vt stiptico & duro lubricus
& humidus anteponatur; item facilis concocti-
onis ijs qui difficilis: vt oua sorbilia ante panē,
carnes, &c.

A crudis omnino abstinendum: coctis & con-
ditis vesci licet. Condituris apperitus non nimis
irritandus, ne ventriculus grauetur. Largior nu-

ritio nocet; nimis parca nauseã inducit, vẽtriculũ lædit, vires soluit, & paucos humores accumulat.

Pane vtendum triticeo, bene purgato, bene subacto & coacto vitandus calidus, & qui duos dies æstate, hyeme tres attigerit.

Panem medullam hominum vocat Homerus, vinum, robur. Age ergo pauca de vino.

Vinum moderate sumptum, plurimum, prodest, immoderate nocet. Eligendum quod nec vetus nimium sit, nec nimis recens vinum COS, boni coloris, odoris, saporis. Ieiuno stomacho nunquam bibendum, nec multum post epulas. Postquam è ventriculo egressus & bene concoctus est cibus, ad abluendum ventriculum, & cibum in venas immittendum Auicenna liberaliorem potum concedit Post fructus qui prauos humores gignunt, vt fungos, etiam melones, chrysomela non bibendum: quoniam vinum eos ad venas transire facit, vnde miscentur sanguini, & corruptionem faciunt. Hodie contra fit: etiam Medicis applausoribus:

Carnes. *Caro* corpus confortat, & facile vertitur in sanguinẽ: Carnes hœdorum & vitulorum optime. In humidam tamen temperaturam labentibus iuuenculæ carnes non ita prosunt. Bouilla melior vaccina: quia hæc durior. Porcina gustui grata, & plurimum alimenti afferens: sed relinquenda fartum habentibus ventriculum. Sed delectum nos beatioribus permittimus. Edunt alij quod habent.

Salitæ carnes magnam siccandi & calefaciendi vim adeptæ sunt, at parui alimenti & vniuersim omne salsamentum melancholicum & putrescentem sanguinem generat & nocet hepati: hyeme minus obsunt. Melior est caro tanto quanto recentior, alteratur enim ab aere, & ad putredinem vergit. idem de piscibus testatur experiẽtia. Meliores carnes calidæ; hyeme præsertim & autumno, quam frigidæ. Auicenna hanc vniuersa

tradit regulam. vt alimētū ac potus tū hyeme
mūtur, actu sint calida, æstate frigida, vtrobiq;
men sine excessu. Pinguiusculæ carnes, & tene-
valdeq; humidæ, hyeme præsertim & vere as-
ndæ, reliquæ, æstate præcipue & autūno elixan-
æ. Assatarum carnium interiores partes magis
utritiuæ, quam exteriores.

Oua facilis sunt concoctionis & optimi
anguinis materia. Dura tamen minus salubria:
rixa, mali succi. Lactis vsus senibus conceden-
dus. Confert cholericis obest phlegmaticis. Post
vsum, acetum vel acetosa sumenda. Inijciendum
quoque aliquid sacchari, salis aut mellis, ne in
ventriculo coaguletur. Ab vtero recens optimum:
ab aere enim vitiatur. Cremor noxius. Butyrum
optimum quod mense Maio conficitur. Caseum
recentem bonum ventriculo Dioscorides dicit:
dubitant plerique. Gratarolus putat magnis ca-
loribus recentem absque nocumento prima mē-
sa comedi posse, sed nec nimis recentem nec ve-
tustum secunda mensa edendum.

Piscium esus in vniuersum parum salubris, *Pisces.*
præsertim post exercitium. Calidis ventriculis
concessus, hyeme ac primo vere salitis, æstuoso
tempore humidis atq; recentibus vescendū est.
Meliores, qui nec nimis magni, nec parui, pro
suo genere, nec dura & sicca carne. Omnis pin-
guedo mala, piscium autem pessima. Qui pe-
trosis capiuntur seu lapidosis fluminibus, melio-
res quam qui lacustribus. (Sed de generibus &
delectu piscium supra satis multa) Illud tantū
addam, per Anguillæ (cuius esus in vniuersum
parum salubris) spinam, transire filum nigrum
tanquam venulum: quod, vtpote venenosum,
antequam coquatur extrahendum, &c.

SAL abstergit, resoluit, & siccādi virtute putre-
dinē impedit, aliasq; multas habet virtutes: sed

moderatus vſus ſua acritate ſtomachum lædit & viſcera, tum nauſeam ciet ac vomitum: etiam aluum mouet, ſi mane drachmæ pondere à ieiuno ſumatur.

Olea. Olea omnia relaxant ventriculum. Oliuæ oleum Auerroes, ſummis præconijs celebrat, & eo etiam carnes condiri ſolitas prædicat. Amygdalinum pectoris anguſtia laborantibus conuenit, fauces aſperamque arteriam lenit, humoreſque in thorace contentos præcoctu faciles reddit. ex cremore eius elixata ſorbitiuncula paratur, quæ & alat, & diſſecet, & renibus opituletur, & viſcera thoracemque expurget: ventriculo tamen non valde eſt commoda.

Mel. MEL & aqua eius ventriculo frigido & humido conducit, in ſenibus præſertim, biliofis incommodum. In aqua conficienda ſpuma leui concoctione auferenda eſt, ne inflet. Vim habet abſtergendi & obſtructiones aperiendi, humores re ſoluendi, ac potiſſimum è profundo corporis educendi, ac putredinem prohibendi.

Saccarum eandem fere vim habet. Bonum eſt ventriculo flaue bile carenti, abſtergit phlegma in ventriculo, ventrem lenit. Hoc quolibet anni tempore, melle autem tantum frigidis menſibus veſci expedit.

Acetum melancholicis obeſt, cholericis prodeſt, calido & humido ſtomacho conceſſum, excitat appetitum, concoctionem iuuat, ſiſtit bilem, & materias ad interiora effundi prohibet, phlegmati aduerſatur, adiutum maxime cinnamomo & paſſulis.

Legumina. *Oryza* cũ lacte cocta multi eſt alimenti, ac bonum halitum facit. Panicum & Milium per humida tempora edi poſſunt. Cicer media menſa ſumendum. A Lentibus, vtpote noxijs, abſtinendum. Fabæ concoctu ſunt difficiles, inflant, & prauos vapores ad cerebrum mittũt: pulmentum tamen ex his non ſpernendum, ſi præſertim a-

phyſorum

yſorum aliquid & mellis, admiſceas, nec nō ſum, feniculū, cuminum. Faſeoli calidi ſunt terreſtres, cerebrique ſpiritum conturbāt. In nibus leguminibus potiora viridia.

Radices.

Rapa Galenus laudat, quod atram bilem ncoquant, vrinam cieant, & inprimis vim luminandi oculorum aciem habeant. Carottæ n acetarijs commode vſurpantur, Radices apij c petroſelini in principio prandij adhibendæ. utubi etiam ſeu cichorij radix laudatur, vere & eſtate. Radiculæ excrementis plenæ ſunt & concoctu difficiles. Endiuia & lactuca ad acetaria recte vſurpantur; admiſta mentha, quæ viſcera confortat. Acetoſa quoque æſtate concedenda: à portulaca abſtinendum. Aſparagi boni ſucci ſunt, & ante alios cibos edendi. Spinachiæ raro vſurpandæ, quia nimis humidę. gutturi tamen & pulmoni conferunt. Braſſica frigido & humido tempore edi poteſt; quæ tamen capitata dicitur, minus eſt ſalubris. Cucumeres quantum fieri poteſt, vitandi. Cepæ, allia, porri ſtudioſis & ſedentarijs vitāda, niſi hyeme, & quidem cocta; phlegmaticis tamen non inutilia.

Fructus.

Ficus, vuæ maturæ, dactyli eſu non incommodi. Ficus quidem ante cibum. Vuæ paſſæ abſtergunt, & ventriculo atque hepati amicæ ſunt. Ante cibum ſumendi melones, mora, chryſomela, perſica, pruna, ceraſa, ijsque paulò ante inambulandum, dum interim deſcendant. Ceraſa optima quæ acetoſi ſucci, Perſica ante cibum bona ſunt ventriculo; poſt cibum corrumpunt & corrumpūtur. Pruna per aluum facile deijciuntur. Cotonea adſtringunt, aluumq; ſupprimunt. Sorba, corna, Meſpila ventriculo non ſunt incommoda, ſed ſanguinem peiuſculum generant. Poma cordi proſunt, vapores fuliginoſos repellendo: etiam noxam ex vino contractam ſedant. Idem de pyris ſentiendum, quæ & vberius nutrimentum ſuggerunt. Caſtaneis, Nucibus, Auellanis

nis parce vtendum. Vtraque, Nux & Auellana cum ficubus comesa, contra venena valet. Amygdalæ optimas habent virtutes, sed solæ sumtæ propter diuturnam in ventriculo moram, vapores ad caput mittunt. Lac ex ijs salubre admodum. Citri cortex, præcipue conditus, hyeme sumi potest: caro mala est ventriculo & pectori, & gignit colicam. Sed hæc satis.

FINIS.



